John Adams Library,



IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.



SHELF No

★ADAMS
★

ANTONII WOTTONI LONDINATIS ANGLI

De RECONCILIATIONE PECCATORIS, Ad Regium Collegium Cantabrigiense, LIBRI QVATUOR.

In quibus Doctrina Ecclesiæ Anglicanæ de Justificatione impij explicatur & defenditur:

Adversus

CUM PROTESTANTIUM QVORUNDAM DE ILLA NON SATIS RECTE JUDICANTIUM SENTENTIAM,

TUM PONTIFICIORUM, AC PRÆCIPUE CONCILII TRIDENTINI DE RE IPSA ERRORES.

Adams 210.5

Ambrosius Epist. 17.

Nec Imperiale est, libertatem dicendi negare, nec sacerdotale, quod sentias non dicere.

Cicero de Inventione lib 2.

Stultitia nobis visa est, aut à benè inventis alicujus recedere, si quo in vitio ejus offenderemur, aut ad vitia quoque ejus accedere, cujus aliquo bono præcepto duceremur.

BASILEÆ, Anno M DC XXIV.

ADAMS 290.5

ORNATISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO,

D. SAMUELI COLLINSO,

SACRÆ THEOLOGIÆ IN ACADEMIA CANTABRIGIENSI PROFESSORI REgio, & Regii Collegii Præposito,

OMNIBUSQ. EJUSDEM COLLEGII SOCIIS ET SCHOLARIBUS.

REUM APUD VOS AGERE, Viri Ornatissimi, non clientem; & vos mihi non Patronos, qui pro me dicant, comparandos, sed qui de me sententiam ferant, judices constituendos esse decrevi. Atq; ut integrum sit, ac incorruptum judicium vestrum, non solùm ab omni assentationis vel levissimâ suspicione, verum etiam ab earum rerum commemoratione, quibus vulgò conciliari putatur benevolentia, abstinebit se, & abhorrebit oratio mea. Itaq; nec Collegij vestri summam dignitatem, nec privilegiorum à serenissimo rege Henrico VI. concessorum magnitudinem, nec insignem eruditionis gloriam, nec in multarum rerum affluentiâ modestiam & temperantiam, aut exornabo, aut recensebo. Ne illud quidem dicam, me

ipsum in Collegio vestro regio annos octodecim educatum fuisse, & institutum. Nam invidorum & iniquorum vestrorum calumnias, quibus laborare virtutem nec mirum est, nec insolens, contemnendas esse potius quàm refellendas semper judicavi. Hæc ego omnia sciens & volens prætereo; illud unum majorem in modum peto, ut hanc (quantula quantula est) observantiæ & officij mei significationem, pro eâ, quâ estis humanitate, æqui boniq; consulere ne gravemini. Te verò (vir doctißime) cujus ego summam benevolentiam in meorum, penè dixerim salute, & expertus sum, & deinde confido experturum, etiam atq; etiam rogo, ut hanc de justificatione impij disceptationem, ab optimâ mente & ardenti veritatis studio profectam, limato & polito judicio tuo excutiendam suscipias. Ego certè, quæ de re tantâ & tàm difficili disputavi, disserere illa volui, non judicare: à te tuiq; similibus, hoc est, viris doctis & prudentibus, judicium expectabo, ut si vos consentientes habeam, in sententiâ confirmari, & permanere: sin repugnantes, de illâ dejici & deduci queam. Cæterùm tibi præ cæteris, vir doctißime, probari hanc disputationem, mirum in modum cupio. Nam & persona ipsa, quam in regali Collegio sustines, rationem studiorum meorum à me reposcere, & regij Professoris munus, quo summâ cum laude fungeris, judicium de rebus Theologicis, quasi ad arbitrium tuum videtur revocare. Accedit eodem, quod quæ in te admodùm adolescente sæpenumero mirari solebam, incredibilis ingenij magnitudo, summa industria, lectio multiplex, memoria ver-

borum ac rerum admirabilis, te delectu & sapientiâ ad judicandum accessurum, non impetu & præjudicio videantur polliceri. A vobis autem, viri eruditi, qui in Collegio regio Theologiæ studiis operam datis, iterum atque iterum peto, ut quæ summâ fide, ac diligentiâ disputavi, ea digna esse sentiatis, in quibus cognoscendis & judicandis nonnihil temporis & studij ponatis. Vos verò optimi adolescentes, quorum ætas nondum coctos, & maturos eruditionis fructus protulit, sed herbescentem viriditatem, tanquam messis copiosæ spem certam effudit, maximoperè rogatos cupio, ut in hac disceptatione, Logicæ artis usum agnoscere, illumque (si placet) in omni veritatis investigatione, velitis imitari. Est enim jejunus & tenuis tantæ diligentiæ fructus, de nugis & argutiis multorum Dialecticorum acris & iracunda contentio. Istâ, quam proposui, disceptatione indagatur veritas, & è Democriti puteo, in quo latere eam dicunt, eruitur. Verum hæc fortasse posthac pluribus. Quod reliquum est, Deum Opt. Max. obsecro & obtestor, ut vos omnes & singulos, Præpositum, Socios, & Scholares, pietate, doctrinâ, omnique virtute expletos & cumulatos efficiat, ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ & Reipub. emolumentum, Collegij honorem, vestrumque omnium perpetuam consolationem ac salutem per Jesum Christum Dominum ac Servatorem nostrum, cujus tutelæ vos commendat

E bibliothecâ meâ
Londini 1624.

Qui vos omnes observat & diligit

ANTONIUS VVOTTON.

De RECONCILIATIONE HUMANI GENERIS.

Præfatio,

De Causâ Inimicitiarum, quæ DEO *cum homine intercedebant.*

1. NON MODO NULLUM THEOLOGUM, ſed prorſus neminem in populo Chriſtiano eſſe arbitror, cui ignota ſit ea quaſi neceſſitudo & familiaritas, quæ majoribus noſtris primis humani generis parentibus Adamo & Evæ cum DEO OPT. MAX. interceſſit. Nam & facti ab illo, tanquam liberi patri indulgentiſſimo ſummè chari erant, & quum caſtis eſſent animis ac puris, id eſt, Deo ſimiles facile morum ſimilitudo, ut ferè ſit, majorem conciliavit benevolentiam. Omninò ita erant illi in amore & delitiis, tàm familiariter illo utebantur, ut nihil penè ad ſummam felicitatem accedere potuiſſe videretur. Cæterùm quod Ixioni accidiſſe & Tantalo Poëtæ fabulantur, ut Deorum commentitiorum familiaritate intemperanter ſint abuſi, idem iſtis in Deo vero, & tàm beato vitæ ſtatu reapſe contigit.

2. Quum enim Deus, (quod æquum erat, & propè neceſſarium) ut pro Deo & rege ipſorum agnoſceretur, legem illis, cui parere tenerentur, impoſuiſſet, eam illi, extra cancellos, quibus ab illo circumſcripti fuerant, egreſſi, per ſummam perfidiam & audaciam perfringere non dubitaverunt. Quid quod Deus non ſolum illos denunciatione periculi terruerat, ſed mortem etiam, mortem inquam æternam neglecti officij pœnam minatus fuerat? Mitto recentis beneficij, quo ut eſſent, acceperant ſenſum potiùs, quam memoriam. Ne illud quidem dico,

eos, quaſi ſigna & notas digitorum Dei in corporibus ſuis impreſſa potuiſſe intueri. Pulcherrimam illam juſtitiæ ac ſapientiæ divinæ imaginem, in animis ipſorum expreſſam ſciens ac volens prætereo. Non urgeo rerum omnium, quibus circumfluebant & abundabant copiam: ne tam impotenti unius arboris deſiderio æſtuarent. Illud etiam prætermitto, quod de voluntate Dei plenè perſpectâ & cognitâ, ſermones, qui dubitationem haberent, cum Diabolo conferre auſi fuerint.

Ad alia venio, gravia, atrocia, & planè horrenda flagitia, quæ tamen proponam potius, quàm explicabo. Etenim quæ vis ingenij, quod flumen orationis, tam nefarium ſcelus, non dico exaggerare, ſed pro magnitudine injuriæ recenſere poteſt? Nam quum id à Deo mandatum haberent, ut pomis quibuſdam in medio horto ne veſcerentur, gravi etiam mortis ſupplicio, ſi non parerent conſtituto, non ſolùm ſe illis non abſtinuerunt, ſed ne minanti quidem crediderunt. Itaque quod homini ferè non accidit, niſi perditâ nequitiâ & profligatâ, ut mendacio fallere voluiſſe judicetur, illud iſti de iſto Deo non ſunt veriti ſuſpicari. At quo argumento? Sic enim acceperant à Serpente, à Diabolo, ab autore & parente mendacij. O ſingularem impietatem! O inſignem impudentiam! Mendaci potius creditur, quàm veraci; vanitati, quàm veritati; Diabolo, quàm Deo. At Diaboli fuiſſe vocem, quâ ad comedendum invitabantur, fortaſſe ignorabant; Demus hoc illis: quod tamen non videtur veriſimile. At Deum fuiſſe qui vetuerat edere, non poterant ignorare. Quare illud ſaltem perſpicuum eſt, ipſos creaturæ magis quàm Creatori, alteri, qualis qualis erat, potiùs quàm Deo fidem habuiſſe. Sed neſcio quomodo, quod facturum negavi, ut iſta amplificarem, ad illud penè delapſa eſt oratio mea. Revocabo igitur ipſe me, & paucis abſolvam quæ ſuperſunt. 3.

Egregiam hanc, quam dixi de veritate Dei minantis dubitationem incredibile ingrati animi (crimen dicam an ſcelus) eſt conſecutum. Etenim quum à Deo recentes admodum formati, omniumq; rerum affluentibus copiis ditati eſſent, divino imperio ne parerent, eripere ſe, tanquam ſervi fugitivi voluerunt. Accedit ad iſta flagitia, incredibilis & intoleranda ſuperbia. Qui ne eſſe quidem ſine illo poterant, ex ſe toti pendere, & Dei non tàm autoritate, quàm tutelâ repudiatâ, ſuo arbitratu vivere; hoc eſt, Dii eſſe ipſi cupiverunt. Quam verò de non edendo legem tulerat, eam ita ſunt interpretati, malitiosè ab illo factum eſſe, quoniam probè intelligebat, fore, ut *quo die ex illo fructu comederent, aperirentur oculi ipſorum, & ipſi eſſent ſicut Dij, ſcientes boni & mali*. Itaque & impotentem, qui illorum opera carere non poſſet, & qui commodis ipſorum invideret, malevolum finxerunt Deum. 4. Gen. 3.

His rebus fiebat, ut quo ante propitio & amico utebantur, eum deinceps offensum haberent atque inimicum. Quâ cum essent conditione ac fortunâ, non modo de voluntate ejus, quæ fuerat erga ipsos recuperandâ, iraque placandâ nihil laborabant, verum etiam tàm nefarium facinus verbis extenuabant, & omnem culpam penè in ipsum Deum conferebant: sic enim Adamus; *Mulier ista, quam collocâsti mecum, ipsa dedit mihi de fructu illius arboris, & comedi.* Quid verò mulier? virum suum, quantum potuit, imitata, *Serpens ille,* inquit, *seduxit me, & comedi.*

8. Hac tàm insigni, ab illis acceptâ injuriâ, reliquum erat, ut Deus, quemadmodum minatus fuerat, ita morte ipsos multaret sempiternâ. Verùm, ô incredibilem patientiam! O clementiam admirandam! Quasi tantas injurias voluntariâ oblivione contrivisset, de illis ipsi reconciliandis consilium capit, idemque illis ipse proponit *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Paulò fortasse obscurius: ita tamen, ut & patere sibi aditum ad Dei gratiam, ipso Deo autore, qui suo spiritu illos instituit, illis verbis significari intelligerent, & facturum, quod esset pollicitus, certò crederent, ac sperarent. Hæc est illa, quâ de nunc agendum est mihi, Reconciliatio. Hoc est Christiani populi peculium, hæc prærogativa credentium, miserorum consolatio, vita denique mortuorum. Tu igitur omnipotens æterne Deus, & pater clementissime in Christo Jesu, qui dedisti mihi tanti operis aggrediundi voluntatem, da etiam ejus perficiendi facultatem; ut, quæ scripturus sum, ea tibi, ex salute fidelium, gloriæ, Ecclesiæ tuæ, ex agnitâ veritate emolumento, mihi denique ipsi, ex optimæ mentis & officij bonâ fide persoluti conscientiâ, perpetuæ consolationi esse possint, per eundem Jesum Christum, Dominum ac Servatorem nostrum, Amen.

PAR-

De Reconciliatione peccatoris.

Partis Primæ Liber primus.

Cap. I.

Quid sit Reconciliatio.

QUONIAM OMNIS, QUÆ A RATIOne suscipitur aliqua de re institutio debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit, id, de quo disputetur, placet primum definire, quid sit Reconciliatio.

Cicer. offic. 1.

Est igitur Reconciliatio actio Dei patris, quâ cum peccatoribus in Christum credentibus in gratiam redit, ad vitam æternam illis impertiendam. Generis loco (quod illi cum multis alijs à Deo in nos collatis beneficijs commune est) Actio Dei patris recensetur; Formæ, Reditus in gratiam cum peccatoribus. Atque istis quidem duobus ipsa Reconciliationis natura continetur. Cætera ad eam illustrandam adhibentur, ut facilius tota ipsius vis, caussis omnibus explicatis ac perceptis intelligatur. Nam *ea demum* (ut ait Thomas) *est perfecta definitio quæ complectitur totum esse rei, secundum quod ex omnibus causis constituitur.*

2.

Arist: Top. lib. 1. cap. 4

Ram: Dial: l. 1. c, 30.

in 2. dist: 27 q 1. art. 2 ad 9.

Feci itaque ut alijs etiam argumentis Reconciliatio-

3.

nis naturam omnem plenius explicarem. Eâque re alias ejus causas adjunxi. Meritoriam, Dominum ac Servatorem nostrum Iesum Christum: Instrumentalem, Fidem: Finalem denique causam, sive finem, qui è forma oritur, vîtæ æternæ adeptionem. Quæ tametsi ipsam Reconciliationis naturam propriè & proximè non complectantur: tamen ad eam cognoscendam non parum adjumenti adferunt. Qualis autem sit actio, transiens an immanens, c.3. deinceps ostendã.

Cap. 2.

De Forma Reconciliationis.

1. Reconciliationis formam Reditu in gratiam dixi contineri. Quod ut clarius illucescat, primum voces ipsas, quibus Reconcil. in sacris literis signantur, breviter exponam: tum de re ipsa pauca disseram. Iam duæ sunt voces, quibus hæc Reconciliationis actio in sacris literis proponitur, καταλλάττω, & ἀποκαταλλάττω Nam διαλλάττω etsi apud Matth. reperiatur, cap. 7. v. 24. tamen ad eam, quæ est cum Deo reconciliatio, signandam, nusquam in scripturis adhiberi deprehendes; & est tamen ejusdem cum illis sensus ac significationis.

2. Cæterum illæ, de quibus loquor, voces, eodem ferè sensu & significatiõe usurpantur, nisi fortè καταλλάττω paulô latius patere dixeris. Significat enim interdum Conciliare, sive amore aut amicitia conjungere. Quo sensu dixit Aristoteles de viro & fœmina, Naturam καταλλάττειν αὐτοὺς πρὸς ἀλλήλους: *Eos sibi invicem conciliare.* Unde Phavorinus eam interpretatur εἰς φιλίαν συνάγειν τινας, *Aliquos ad mutuam benevolentiam perducere.* Budæus etiam in commentarijs suis καταλλάττω simpliciter exponit Concilio: Ἀποκατάλλαττω vero, *Gratiam diremptam & solutam sarcio, & amicitiam reduco.* Quo

Oeconom. lib: 1.

ſenſu dixit Tertullianus, *Homines Conciliari extraneo potuiſſe, Reconciliari verò non alij, quam ſuo.* (Contra Marcio: l.5.c.19)

3. Verum hæc vocum iſtarum diſcrepantia à Spiritu ſancto in ſcripturis negligitur, qui communē loquendi conſuetudinem ſequutus (quod plerunq; facit) utroq; vocabulo Reconciliationem ſignificat, Καταλλάττω. Rom:5.10, 2. Cor.5,19, 20. Ἀποκαταλλάττω Eph.2,16, Col:1,20,21.

4. Jam *Reconciliare, & in gratiam redire* (inquit Valla) *idem ſunt, quoties amici interpoſita aliqua offenſa, quum aliquandiu fuerunt inimici, in priſtinam redeunt benevolentiam, ac familiaritatem.* (Elegant. lib. 5. cap. 353) In quam ſententiam Eckius etiam pontificius, *Negat ſe unquam in probatis autoribus alium illius verbi* (ſc. Reconciliare) *uſum vidiſſe, aut ſignificationem, niſi quum aliqui, inter quos antea ſimultates & diſſidia fuerunt, declinatis omnibus illis, redeunt in gratiam.* (Hom: part. 4. hom: 75.) Qui plura de vocibus deſiderat, Lexica Græca, & Dictionaria Latina conſulat.

5. Reconciliatio igitur (ut faciam breve) nihil fere eſt aliud, quā amoris vel amicitiæ redintegratio: quū illi, qui ex injuria vel ejus opinione, inter ſe diſſidebant, depoſitâ ſimultate in gratiā redeunt, aut ſaltē quum is, qui alteri infenſus eſt, omni offenſione depoſitâ, priſtinâ illum benevolentiâ complectitur. Apponamus exampla, ſi placet, ut res tota dilucidior fiat. Herodem & Pilatum ſcribit Lucas 23, 12. *inimicos fuiſſe inter ſe, ſed poſtea factos eſſe amicos.* (Luc:23,12.) Herodem igitur & Pilatum reconciliatos fuiſſe dicemus. In ijs verò, qui inimicitiâ depoſitâ injurias ſibi factas condonârunt, Joſephus facile primas obtinet, qui fratribus ſuis ignovit, etſi ipſum mancipiū Madianitis vendiderāt. (Gen: 45.41. & 50,21.) Eodem modo loquitur S. S. de recōciliatione, ubi vox ipſa reconciliationis adhibetur.

6. *Si munus tuum attuleris ad altare, & illic memineris fratrem habere aliquid contra te, Omitte illic munus tuum coram altari, & abi, primum reconciliator fratri tuo:* (Mat:5,23,24) quaſi dicat, ſi tibi conſcius ſis, te feciſſe aliquid, ob quod frater tuus

(Christianus sc. quispiam) tibi jure irascatur, da operam ut tibi de injuria confitenti ignoscat, & tecum in gratiam redeat. *Si uxor* (inquit Apostolus) *se à viro separârit, maneat innupta, aut viro reconciliator*: id est, simultatem omnem deponat, & cum illo (ut uxorem decet,) conjunctissimè vivat.

1. Cor: 7, 11

7. Rom: 5, 10

De nostra cum Deo reconciliatione idem est judicium. sic namque Apostolus: *Quum inimici essemus reconciliati fuimus Deo per mortem filij ejus.* Quid dici potuit apertius? Quinam reconciliantur? Inimici. Quibuscum in gratiam reditur? Cum inimicis. Reconciliatio igitur, est Reditus in gratiam. Nimirum si Deum cogites, Reconciliatio est actio Dei nos in gratiam recipientis ex inimicitijs. In hanc sententiam Tapperus Pontificius, *Reconciliatio est amicitiæ restitutio, & in pristinam gratiam receptio.*

Cont: Lut: tom: 2. art. 6 pag: 189.

8. Bibliothec: tom: 1.

Et Theodolus Calesyriæ ante annos 600. Episcopus, Reconciliationem ad Rom: 5. 10. interpretatur *Assertionem, qua Deus nos in libertatem asseruit, qua item per Christum Deo patri irato ante nobis reconciliati fuimus.* Reconciliati sumus Deo irato, ut jam placatus sit. Nempe asseruit nos in libertatem reconciliatus, qui diabolo iratus mancipaverat, atque de ille, quo modo Tapperus, *Restituit nobis amicitiam*: iterum nos amicitia sua dignatus est, qua indignus privaverat.

9. In Ioan: tract: 110.

Quid igitur? Deumne modo iratum modo placatum esse dicemus? Augustinum audiamus, qui ista (ut ferè omnia) eruditè & luculenter explicavit. *Quod reconciliati sumus Deo per mortem Christi non sic audiatur, non sic accipiatur, quasi ideo nos reconciliaverit ei filius, ut jam amare inceperit, quos oderat: sed jam nos Deo diligenti reconciliati sumus, cum quo propter peccatum inimicitias habebamus.* Augustino suffragatur Lombardus. *Quod dicit Apostolus, Nos Deo reconciliatos esse per mortem Christi, non sic intelligendum est, quasi nos ei sic Christus reconciliaverit, ut inceperit amare quos oderat, sicut reconciliatur inimicus*

Lib: 3 dist. 19 cap Qui solus & dist: 32. ca: consideratur.

micus inimico, ut deinde sint amici, sed jam nos diligenti Deo reconciliati sumus. Non enim ex quo ei reconciliati sumus per sanguinem filij nos cœpit diligere, sed ante mundum priusquam nos aliquid essemus. Magistrum suum sequutus est Thomas. *Hæc non ita sunt intelligenda* (inquit Thomas) *quasi revera Deus electos aliquando odisset, & de novo amare inciperet, quum scriptum sit, Jerem: 31. In charitate perpetuâ dilexi te: sed quia per passionem Christi sublata est odij causa.* In eâdem fuit sententia Calvinus: *In hunc fere modum Spiritus Sanctus in scripturis loquitur, Deum fuisse hominibus inimicum, donec in gratiam Christi morte sunt restituti. Hujus generis locutiones* (inquit Calvinus) *ad sensum nostrum sunt accommodatæ, ut melius intelligamus, quam misera sit & calamitosa extra Christum nostra conditio.* Unde num sequente dicit, *Deum sua dilectione prævenisse ac antevertisse nostram in Christo reconciliationem.*

p. 3. q. 49 art. 4. ad 2.

Instit. l. 2. cap. 16. Num. 2 n 3

10. At verò aperte loquitur scriptura, *Deum odisse eos, qui operantur iniquitatem*; & *Animam ipsius odisse improbum, & amantem violentiæ.* Quos autem odit, ijs profectò iratus est, ut etiam propriè dici possit illis reconciliatus esse. Omnes autē, etiam electi, sunt peccatores, ut definitio ipsa concedit, quum dicit Deum redire in gratiam cum peccatoribus. Idemque Paulus affirmat; qui Ephesios, *de quorum electione Deo gratias egerat,* Cap. 1. vers. 3. paulo post cap. se. 2. v. 1: dicit *fuisse mortuos in lapsibus & peccatis:* additque vers. 3. *fuisse natura filios iræ, ut etiam reliquos.* Quidni igitur Deus electos odisse dicatur, quos peccatores esse perspicuum est? Quod si concesserimus, sequetur etiam revera illis reconciliatum esse.

Psal: 5. 6. & 11. 5.

Eph: 1, 3. & 2, 1, 3.

11. Ad hæc ego quidem ita respondendum esse existimo, Illis verbis à Spiritu Sancto significari, quid peccato ex se & peccatoribus debeatur. Ea vero est in peccato pravitas, sive malitia, ut peccatorem sua natura Deo exosum reddat, &

Deus illud, ac illum propter illud prorsus aversetur. Neque tamen ex illo consequetur, Deum eos amare unquam desivisse, quos *ad vitam æternam pro benevolo affectu voluntatis suæ prædestinavit.* De quo nihil causæ esse cur dubitemus, perspicuum fiet, si quo sensu Deus amare nos dicatur, intelligamus. Iam verò *Dilectio Dei ad creaturas* (ut rectè Thomas) *una, quidem communis est, secundum quam diligit omnia quæ sunt, Alia est specialis, secundum quam trahit creaturam rationalem supra conditionem naturæ ad participationem divini boni.* Quare si Deus quibus æternam vitam communicare decrevit, eos aliquando non diligere intelligatur, immutatam esse, quam de ijs servandis voluntatem habuit necesse est. Nihil enim aliud est electos diligere, quam velle illos vitæ æternæ participes facere. Non diligere autem, est nolle illos ad vitæ æternæ participationem pervenire. Mutari igitur Deum oportet, qui modo hoc, modo illud velit. Quod si, ut est, ita nobis Deo indignum videatur, certè quos prædestinavit, ijs nunquam succenset, ut vitæ æternæ participes esse nolit. Est enim prædestinatio actio immanens, quum æterna sit. *Elegit nos in Christo ante jactum mundi fundamentum.* Quare si quis prædestinationem mutari posse concesserit, Deum ipsum inconstantem proposuerit ac mutabilem, eâque re Deum esse negaverit.

Ephes. 1, 5.
1. 2. q. 110. art. 1. c.
Eph. 1, 4.

12. Atque hoc affirmo prædestinationis naturam omnino postulare, sive ex re quapiam prævisâ, ut nonnullis placet, sive ex solâ Dei voluntate pendere sentiamus. Fingamus enim (etsi falsum sit) Deum neminem ad vitam æternam prædestinasse, nisi ex prævisâ in fide & pietate perseverantiâ ad extremum vitæ diem. Quæro itaque utrum Deus horum ita prædestinatorum damnationem cupiat priusquam actu in Christum credant. Si cupere dicas; Mutavit igitur (inquam) propositum, quod de ijs servandis habuit ante jactum mun-

di

di fundamentum; & ex conſequente reverâ, mutatus eſt ipſe; quoniam hæc actio æterna eſt, ac proinde ſi verè loqui volumus, nihil eſt aliud, quam Deus ipſe prædeſtinans. Sin autem, nolle dixeris; Reconciliationi locum nullum eſſe concludo, quum Deus nunquam erga illos ita fuerit animatus ut illos vitæ æternæ aditu prohibere velle intelligatur.

13. Quomodo igitur Deo reconciliari dicimur? Nimirum quoniam Domini ac Servatoris noſtri Ieſu Christi obedientiâ & ſacrificio (de quibus deinceps in causâ meritoriâ) ſublatum eſt illud, ob quod merito Deus nobis ſuccenſere, noſque morti æternæ addicere potuiſſet. Omnino mutatam eſſe conditionem noſtram, & de noſtro ſenſu ac judicio, & re ipsâ confitemur, quoniam quæ fuerat iræ & odij cauſa, eam Chriſtus univerſam ſuſtulit.

Cap. III.

De cauſa Reconciliationis efficiente principali.

1. Hactenus de Formâ Reconciliationis; cauſæ reliquæ ſunt tres: Efficiens, Materia, Finis. Efficiens, qui Reconciliat: Materia, qui reconciliantur: Finis, quare Efficiens eo modo in materiâ operatur, ad quam res deſtinatur.

Efficiens duplex eſt { Principalis / Adjuvans, vel Miniſtra.

2. Efficientem principalem eſſe Deum, perſpicuum eſt. Sic enim Spiritus Sanctus: *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* (2. Cor. 5. 19) Deus autem quum cauſa eſſe dicitur, principalis eſſe, non miniſtra intelligitur. Neque enim

ex quo ut causa pendent omnia, eum ex alio quopiam pendere sentiendum est. Quare quum Deus nos reconciliet, causa Reconciliationis nostræ non adjuvans, sed principalis esse cognoscitur.

3. Verum non Dei solum, sed etiam Dei patris actionem esse Reconcil. in definitionem affirmavi. Quod ita probo.

1. Omnis spiritualis benedictio, quam per Christum adipiscimur, est Dei patris actio. Nam *Deus pater Domini nostri IESV CHRISTI benedicit nobis omni spirituali benedictione in CHRISTO.* (Eph: 1.3.)

Reconciliatio est spiritualis benedictio quam per Christum adipiscimur. *Reconciliati sumus DEO per mortem filij ejus.* (Rom. 5. 10.) *Per Dominum nostrum Jesum Christum reconciliationem accepimus.* (Rom: 5. 11.) *Placuit patri, pace per sanguinem crucis ejus facta, per eum reconciliare omnia sibi.* (Col: 1. 19, 20.) Spiritualem autem benedictionem esse dubitari non potest, quoniam ad vitam æternam consequendam pertinere perspicuum est.

Ergo Reconciliatio est actio Dei patris.

4. 2. Qui reconciliat, ejus actio est Reconciliatio: ut eius qui justificat, justificationem esse actionem nemo negat.

Deus autem pater reconciliat. *Deus reconciliavit nos sibi per Jesum Christum.* (2. Cor 5. 18.) *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* (v. 19.) Cui vero reconciliatus est mundus? Deo per mortem filij ejus. (Rom: 5. 10.) Filius autem patris esse filius intelligitur. Deo igitur patri per filium reconciliati sumus.

Ergo Reconciliatio est Dei patris actio.

5. 3. Non imputatio peccati est Dei patris actio. Etenim non imputare est ignoscere. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata.* (Psal. 32. 1. 2) *Beatus vir cui non imputavit Deus peccatum.* (Ro: 4. 7. 8.) *Remittere, Tegere, non imputare* ejusdem rationis & sensus sunt verba. Glossam sequutus est

Dominicus Sotus: *simul tria hæc verba* (inquit Sotus) *Remissa, Tecta, Non imputare tantundem significant.* Ut recte dixerit Sadeel, *Prophetam rem eandem pluribus verbis explicare voluisse.* Cujus facti rationem reddit Pet. Lombardus in commentar: apud Ambrosium. *Quum tegit, remittit, & quum remittit non imputat. Sed ad laudem gratiæ Dei prolixius loquitur.*

Sadeel ad Psal. 32, 1. 2
Lōbard. ad Rom: 4, 7. d.

In eâdem fuerunt sententiâ Theodoretus & Basilius; etiam Augustinus, qui ita loquitur. *Non imputat illis, qui fideliter ei dicunt, Dimitte nobis debita nostra.*

6. Thodoret. & Basil: ad Esal: 31, 1, 2

Quis autem peccata hominibus ignoscit nisi Deus pater? *Pater noster qui es in cœlis; Remitte nobis debita nostra.* Pater remitte hoc ipsis. Patris igitur actio est. Non imputatio.

7. Aug: de perfect: just. Cœl: ratio 15. Mat: 6, 9, 12 Luc: 23, 34,

Reconciliatio est non imputatio peccati. Cujus locuples testis est Apostolus. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis lapsus eorum.*

2. Cor: 5, 19

Ergo Reconciliatio est Dei patris actio.

Adjungam ad hæc argumenta Theologorum antiquorum & recentiorum testimonia, qui eos quos recensui scripturæ locos ad Deum patrem pertinere tradiderunt.

8.

Deus erat in Christo (ait autor commentar. apud Ambrosium) *hoc est, pater in filio mundum reconcilians sibi.*

Ad 2. Cor: 5 19.

Deus erat pater, qui per CHRISTUM *reconciliavit sibi mundum.*

Occum: ad 2. Cor. 5. 19

Deus pater erat in Christo (inquit Haymo) *mundum reconcilians sibi.*

Haymo ibi.

Eadem est Anselmi, Lombardi, Thomæ, aliorumque Theologorum sententia. Addit Thomas *Deum reconciliasse nos sibi ut causam Efficientem.* Dubitari autem non potest, eam esse patris actionem, cujus ipse efficiens causa est.

His etiam nostri Theologi suffragantur. *Erat pater in filio, secundum illud, Ego in patre & pater in me.*

9. Calvin: ibi.

Erasmus ibi. Illyric. Heming. Zanchius.

Pater nos sibi reconciliavit, devicto peccato per filium suum Jesum Christum.

Idem sentiunt Illyricus & Hemmingius ad eum locum: etiam Zanchius ad Col.1.20.

10. Metap. lib. 9 cap. 9.

p.1.q.54 art.2.c,&q. 85.art.2.c.

Satis igitur constat reconciliationem esse Dei patris actionem; superest ut qualis actio sit investigemus. *Actionis autem genus duplex est*, ut recte Aristoteles in Metaphysicis; *Una quæ transit in aliquid exterius; Alia quæ non transit, sed magis manet in ipso agente*, ut loquitur Thomas. Ac illa quidem omnibus rebus, quarum aliqua esse actio intelligitur, communis est. Unde Thomas interdum eam ita describit, ut dicat *inferre passionem materiæ, in quam transit, sicut urere & secare*. 1.2.q.3.art.2.ad 3. Ea vero, quæ manens, vel immanens dicitur ad eas solum res pertinet, quæ sunt vita præditæ. *Sunt enim actus potentiarum vitalium*, ut recte Suares. Metaph. tom. 2. disp. 48. sect. 2. n. 8. Itaque Thomas ejus quasi genera vel exempla proponit, *sentire, intelligere, velle*, p.1.q. 54, art 2:c. *videre & intelligere*, p.1.q.85.art.2.c. *Appetere & cognoscere*, 1.2.q.74. art.1.c. Quæ omnes actiones in solis animantibus reperiuntur. In Deo igitur, quum ille sit vita ipsa, ejusmodi esse actionem necesse est. *Ita verò actio, quam immanentem dicimus, in intellectuali naturâ, est actio intellectus, & voluntatis*, p.1. q.27, art. 3.c.

1.2.q.74. art. 1. c.

1.q.27.art 3.c.

11.

In quo igitur actionis genere Recon: ponemus? In illo certè, quod actiones transeuntes complectitur. Significat enim Reconciliatio quandam in homine reconciliato mutationem vel physicam, ut placet pontificijs, qui eandē esse reconciliationem, cum justificatione sive sanctificatione, (quæ illis idem significant) arbitrantur: vel, ut nobis videtur, Moralem; quâ fit ut Reconciliatus alio sit apud Deum loco & numero, quam prius fuit. Neq; tamen id dicimus, aliquam in Deo ipso factam esse mutationem, sed nobis summo Dei be-

Viguerius institut. de virtu. fidei cap. 10. §. 4

neficio esse concessum, ut qui natura eramus filij iræ, gratiâ simus filij Dei: qui Deo inimici fuimus, eique (quod peccati meritum attinet) exosi, sublatis per Christi sanguinem inimicitijs, amici, Deoq; chari habeamur.

12. Verum (ut ista clarius illucescant) sciendum est, unum Prædestinationem, ex ijs omnibus Dei actionibus, quæ ad nostram salutem pertinent, actionē esse in Deo immanentē. Reliquas autem omnes Dei actiones, cujusmodi sunt, Justificatio, Sāctificatio, Adoptio, & quæ has fere universas cōplectitur, Redemptio, in transeuntibus Dei actionib. numerari. Nam hæ quidem omnes & singulæ ponunt aliquid vel physice vel moraliter saltē in Justificatis, Adoptatis, Redemptis. De prædestinatione verò tritum est in Scholis, *eam nihil ponere in prædestinato.* Cujus rei rationem reddit Thomas p. 1. q. 23. art. 2. c. quia *prædestinatio est pars Providentiæ. Providentia vero non est in rebus provisis, sed est quædam ratio in intellectu provisoris.* Cæteræ autem actiones ad executionem Providentiæ sive Prædestinationis pertinent. Nostri quoq; Theologi satis cautè & prudenter, *Decretum prædestinationis ab eius executione distinguunt*; ut illius quidem nullam causam aut rationem esse concedant, præter Dei liberrimam & sapientissimam voluntatē; hanc autem ex fide pendere contendant, quū Reconciliatio, justificatio, adoptio, nullis nisi credentib. cōcedātur.

13. Quid quod Reconciliationem ex earum actionum numero esse, quæ in tempore fiunt, perspicuum sit? Non id quæritur, An Deus nobis ab æterno fuerit reconciliatus, quod ipsius erga nos voluntatem attinet; Sed utrum Reconciliatio, de quâ tam multa sunt in sacris literis, quæque Christi obedientiam, ut effectus causam consequitur, quamque Deus nobis jam credentibus impartiri dicitur, sit Dei actio æterna, ac non potius beneficium Dei, & quasi indulgentia, cujus suo quemque tempore participem facit.

14. Ac de Reconciliatione ita loqui scripturas manifestum est. Testis est Apostolus Paulus: *Quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij ejus.* (Rom: 5, 10.) Eam scil. reconciliationem significat, quæ Christi morte parta est: & versu proximo, *Per quem nunc reconciliationem accepimus.* (vers. 11.) Non agitur illo loco de æterna Dei benevolentia, quæ in ipso manet, sed de ejus effectu; qui ad nos emanavit, quam reconciliationem vocat Apostolus. Apud eundem Apostolum *Deus dicitur fuisse in Christo mundum reconcilians sibi.* (2. Co: 5, 19.) Quando autem reconciliavit sibi mundum? Certè si in Christo; tum demum reconciliavit, quum *Christus pace per sanguinem crucis factâ, omnia reconciliavit Deo.* (Rom: 5, 10. Col: 1, 20. 21) Sequitur apud Apostolum, *Reconciliasse mundum, non imputando eis lapsus ipsorum.* Quare aut justificationem actionem esse in Deo immanentem; aut reconciliationem actionem esse oportet transeuntem: quum reconciliatio fiat non imputatione peccatorum, quæ justificationis saltem pars esse vel membrum intelligitur. Ex his ita disputatis concludo id quod quæritur.

15. 1. Actio Dei in tempore est actio transiens. Nam actio immanens æterna est, & ipse Deus.

Reconciliatio est actio Dei in tempore, 2. Cor: 5, 19. Rom. 5, 10, 11.

Ergo Reconciliatio est actio Dei transiens.

16. 2. Quæ Dei actio mutationem in creatura parit, est actio Dei transiens. Est enim transiens, quoniam à Deo quasi transit ad creaturam, eamque aliquo modo immutat.

Reconciliatio est Dei actio quæ mutationem in creatura parit; conditionis nimirum, etsi non qualitatum.

Ergo reconciliatio est actio Dei transiens. Ideoque Polanus justificationem, quæ est ejusdem rationis cum reconciliatione, ita definit, ut generis loco Beneficium ponat. Thesi. 1. & in partit. Theol. & in Syntag: de justific. in initio.

Cap. IV.

De causâ Reconciliationis meritoriâ.

1\. Expositâ Reconciliationis causâ efficiente principali, sequitur ut de ministrâ vel adjuvante verba faciam. Ea verò duplex est,

{ Meritoria
{ Instrumentalis.

2\. Ac Meritoriam quidem causam in efficientibus numerari perspicuum est, quoniam Efficientem principalem obligat, ut ea persolvat aut præstet, quæ facienti quod oportebat facere, ex merito debeantur verbi gratia: Si quis in stadio currendo, ita se gerat, quemadmodum ex lege, de cursu latâ faciendum est, præmium currenti propositum meretur, & magistrum ludi, ut id solvat, obligat. Atque hoc quidem modo *causa Meritoria Efficientis naturam induit*: ut rectè Suares de prædest. l.2.c.3. n.2.

3\. Jam Reconciliationis causam meritoriam Christum esse dicimus, autore spiritu sancto in sacris literis *Reconciliati sumus Deo per mortem filij ejus.* *Placuit patri pace per sanguinem crucis ejus* (id est Christi) *factâ, reconciliare sibi omnia.* Scripturæ certe Christum reconciliationis nostræ causam nusquam vocant, nec eam à Deo promeritum esse affirmant; tamen quum pretium nostræ redemptionis esse dicatur, meritoriæ causæ locum obtinere illum necesse est. Nam qui pretium, quod ad captivum liberandum poscebatur, solvit, ut liberetur, meruit. Quòd pretium fuerit, & quomodo

Rom. 5.10
Col. 1, 19

persolutum, in Reconciliationis partibus explicandis perspicuum fiet.

4. Quærunt hoc loco nonnulli Theologi, Potueritne Deus alium reconciliationis modum instituere. Cæterum, quũ ex sacris literis manifestum sit, placuisse Deo hanc reconciliandi (omnibus alijs repudiatis) rationem, non necesse habeo de Dei libertate ac potentiâ litigare.

5. De Trinit. lib. 13. c. 10. Augustinum tamen si placet audiamus; *Non alius modus possibilis, quo liberaret homines à miseriâ mortalitatis hujus, Deo defuit, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent: sed sanandæ nostræ miseriæ convenientior modus alius non fuit, nec esse potuit.*

6. Augustini sententiam probârunt & sequuti sunt Scholastici; Lombardus ad Rom. 5.10. Thomas p.3.q.1.art.2.c. Durandus in 3. dist. 20. q. 2. n. 9. Holkot. in decis. de imputab: peccati ad 12. ad 2. princip: art. 1. & in determ. q. 13. ad arg princip. Hugo Cardinal. ad Gal. 1.4. Dominic. Sotus ad Rom: 3.25. Sorbon. colleg. de potestate Eccles. ¶.3. Bellarminus de gratia & lib. arb: lib. 2. cap. 9. ¶. Itaque Ioan. Bono. de prædestin. pag. 63.

7. Cum his etiam sentiunt nostri Theologi. Beza contra Anonymum. Pag. 228. Musculus loc. com. de gratia. & loc. de justific. art. 3. ¶. Hac.

8. Luc 24. 26. Hunc autem liberandi hominis modum à Deo fuisse constitutum scriptura loquitur. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam?* Atque *hoc* quidem (ut ibi Servator noster) *ab omnibus prophetis prædictum fuit.* Ab Esaia vero præcipue. *Ipse dolore afficitur à defectionibus nostris; atteritur ab iniquitatibus nostris: castigatio pacis nostræ imponitur ei, & tumice eius fit curatio nobis.* Et versu proximo. *Jehova facit ut incurrat in eum pœna omnium nostrûm.* *Absque sanguinis effusione non fit remissio.* *Nec est in alio quoquam salus.*

vers. 25. 27 — Esai. 73. 5. — vers. 6. — Heb. 9, 22. — Act. 4, 12.

Nec

Nec enim aliud nomen est sub cælo quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari. Hunc oporteat obsignavit. Ioan. 6.27

Cap. V.

Quomodo Reconciliatio his causis efficientibus tribuatur.

1. Reconciliatio igitur & patris actio est & filij. Quo autem modo utrique tribuatur non satis liquidò constat. Quare dabo operam ut ejus rationem, quantum fieri potest, explicem. Ac primum, quomodo uterque nos reconciliet, quod divinam naturam attinet, exponam: tum, quo modo reconciliatio à Christo facta esse dicatur, ostendam.

2. Iam vero, ut ista facilius ac rectius percipiantur, meminisse oportet Personas in Trinitate, etsi unus fuit ac idem Deus; tamen pro vario subsistendi modo, inter se distingui, ut eandem Divinitatem alio atque alio modo participare credantur. Atque hoc quidem significavit Thomas, quum *Naturam divinam tribus personis ordine convenire dixit.* Cui Theologi nostri assentiuntur. Calvinus Jnstit: lib. 1. cap. 13. n. 6. 7. &c. Confessio Helvetic. in Harmon. cap. 3. & ibi etiam Confess. Bohemica. Gallica autem magis distinctæ loquitur, *Patrem primam esse causam ordine.*

Confess. Helver. Confess. Bohemica.

3. Athanasius. Hunc ordinem sive modum sic explicavit in Symbolo suo Athanasius. *Pater* (inquit) *à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à patre solo est, non factus, nec creatus sed genitus. Spiritus Sanctus à patre & filio est, non, factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Eademq; est illis operandi, quæ subsistendi ratio. Pater scil. ita

operatur, ut qui à se est, & à quo sunt omnia. unde Augustin. *Jllud ideo dictum est de patre, Jpse facit opera; quod ab illo sit etiam origo operum, à quo est existentia cooperantium personarum.*

De verbis Dn. secundum Mat. Ser: 11.

4. Filius autem ita intelligitur operari, ut ille per quem sunt omnia. Non ut instrumentum esse existimetur, verum *ut à patre tanquam principio (sed principio, quod originem significet non prioritatem) ut existendi, ita operandi virtutem accepisse intelligatur*, ut ait autor lib. de Spiritu Sancto cap. 8. In quam sententiam præclare Augustinus ad Ioan: 5,19. *Quicquid filius habet ut faciat, à patre habet ut faciat. quare habet a patre ut faciat? Quia à patre habet, ut filius sit.* Et paulo post. *Aliud est esse hominis, aliud posse ipsius. Si enim hoc esset esse ipsius, quod posse ipsius, quum vellet posset. Deus autem, cui non est alia substantia ut sit, alia potentia ut posit, sed consubstantiale illi est, quicquid ejus est, quia Deus est; non alio modo est, & alio modo potest, sed esse & posse simul habet; quia velle & facere simul habet. Quia ergo potentia filij de patre est, ideo & substātia filij de patre est. Non alia potentia est in filio, & alia substantia, sed ipsa est potentia quæ substantia: substantia, ut sit, potentia, ut posit. Ergo quia filius de patre est, ideo dixit non potest filius à se facere quicquam. Quia non est filius à se, non potest à se.*

Thom. p. 1. q. 33. art: 1 ad 1.

Apud Basil

Tractat. 20.

5. Egregiè etiam Hilarius Arianos refellens. *Naturæ* (inquit Hilarius) *cui contradicis hæc unitas est, ut ita per se agat, ne à se agat; & ita à se non agat, ut per se agat. Intellige agentē filiū & per eum agentem patrē. Non ab se agit, quum pater in eo manere monstratur. Per se agit, quum secundum filij nativitatem agit ipse, quæ placita sunt.* Tandem ita concludit: *Ac sic novitas naturæ retinetur in agendo, dum & ipse operans, non operatur.* Quid igitur? Patre minor est filius? *Donantis quidem autoritate* (ut ait idem Hilarius) *pater major est: sed minor jam non est, cui idem esse donatur. Datâ enim* (ut in eodem libro dixerat)

De Trinit. lib. 4.

non

non infirmat Divinitatem, quæ in his eum constituant esse, quibus pater est.

Quod autem patrem filio majorem esse dicat, illud ita exponit Durandus: *Accipiendo largè & impropriè Majus per autoritatem originis, sic pater dicitur (licet impropriè) major filio, quia à patre est filius; licet non è converso.* Atque hoc ipsum est, quod ait Scotus: *Filius negat à se autoritatem primariam causandi, Joan. 5. Non potest filius à se facere quicquam: concedit autem subautoritatem in causando, quum subdit, Nisi quod viderit patrem facientem:* Et post, *Opera quæ dedit mihi pater, ut perficiam, ipsa opera, quæ ego facio, &c, Dedit mihi pater, ecce Subautoritatem. Ego facio, Ecce Causalitas. Consimiliter respectu Spiritus Sancti habet filius autoritatem in agendo. Et ratio utriusq; est, quia, A quo aliquid habet principium agendi, ab eo habet & Agere: & per consequens virtute illius Agit. Non virtute ejus, tanquam causæ superioris; quia non habet virtutem distinctam ab eo: sed virtute illius, tanquam communicantis sibi causalitatem: & ideo habentis autoritatem in causalitate, in quâ recipiens habet subautoritatem.* Hinc est illa Feildi nostratis distinctio, quâ ostendit, *Omnia opera ad extra* (ac proinde reconciliationem) *à patre fieri Autoritativè, à filio autem Subautoritativè.*

6. in 1. dist. 17 q. 4. n. 4

Quodlibet. q. 8. art. 1. arg. 2.

De Ecclef. lib. 5. c. 16

Eadem igitur Actio: Verbi gratia; Justificatio, Reconciliatio, Adoptio, Electio, Prædestinatio, & quæcunque ad res creatas spectant, à Patre, Filio. & Spiritu Sancto fiunt, & à singulis quidem (ut loquuntur) immediatè. Quod perspicuum erit, si intelligamus, quare eadem actio à duobus aut pluribus produci non possit, ut ipsorum unusquisque eam immediatè & perfectè producat. Ejus verò rei rationem esse tradit Durandus, quoniam *non est in illis eadem virtus numero.* At verò quum *una & eadem sit essentia in omnibus & singulis personis*, (ut ex Athánasio didicimus) *nec in iis discrepet essentia à potentiâ,* ut optimè Augustinus, eandem etiam numero in il-

7.

in 2 dist. 1. q. 5. n. 12.

in Symb.

in Ioann. tract. 20.

lis esse virtutem necesse est. Reconciliatio igitur aliæque similes actiones, & Patris sunt, & Filij & Spiritus sancti: patris quidem ut agentis à se; filij ut agentis à patre; Spiritus sancti autem, ut agentis ab utroque. Unde conficitur, Reconciliationem, etiam primo (quod ordinem attinet) patris esse actionem. Feci ut hæc pluribus differerem, quoniam hic locus à nostris Theologis, aut omninò prætermissus, aut leviter tactus est.

Sect. 2.

Accedo nunc ad alteram partem, ut ostendam quo modo Christus Mediator reconciliare dicatur. In quo illud primum cogitandum est, quum duæ sint in Christo naturæ, divina & hnmana, utramq; in Reconciliatione spectari oportere, quoniam ab utraque eadem reconciliatio perficitur. Ita Calvinus Opuscul. classe 5. ad Polonos adversus Stancarum epist. 1. *Verè dicitur omnes actiones, quibus Christus nos Deo reconciliavit, ad totam personam pertinere, ut ad alteram tantum è duabus naturis non debeat accommodari. Etsi enim duæ sint operationes in Christo specie differentes, secundum ejus duas naturas: qualibet tamen operatio est una numero in ipso semel facta, sicut una ambulatio, & una sanatio.* Thomas p. 3. q. 19. art. 1. ad 3. *Divina quidem natura utitur operatione naturæ humanæ sicut operatione sui instrumenti, & similiter humana participat operationem divinæ naturæ, sicut instrumentum participat operationem principalis agentis. Sic igitur* (ut ait Thomas ibi ad 2.) *operatio quæ est humanæ naturæ in Christo in quantum est instrumentum Divinitatis, non est alia ab operatione Divinitatis. Non enim est alia salvatio,* (ac proinde nec Reconciliatio) *quâ salvat humanitas Christi, & Divinitas ejus.* Rectè itaque Synodus 6. act. 4. & 8. & 9. *Duas naturales operationes indivisè, inconvertibiliter, inconfusè, inseparabiliter in eodem Domino nostro Jesu Christo vero Deo nostro glorificamus.*

1. 8. Calvinus. Thomas, Synodus.

9. In quam sententiam multa sunt in eâdem Synodo Constan-

ſtantinopol. præſertim Actione 4. Atque hæc quidem omnia Suares ad eum locum Thomæ *ita certa & perſpicua eſſe judicat, ut nec diſputatione opus eſſe ſentiat, neq; explicatione.* Hoc Calvinus eâ Chriſti actione oſtendit, quæ, præ cæteris, ad humanam ipſius naturam videtur pertinere. *Mori* (inquit Calvinus ad Polonos de Mediatore) *quamvis naturæ humanæ peculiare ſit; ſi tamen conſideramus, quid illud Apoſtoli velit, Sanguine Chriſti purgari noſtras conſcientias, quia ſe per ſpiritum obtulit, in morte ipsâ non ſeparabimus naturas, quia expiatio à ſolo homine præſtari non potuit, niſi conjuncta eſſet vis Divina. Quod ſi jure & aptè colligit Apoſtolus Chriſtum eſſe Mediatorem novi Teſtamenti; quia ſe obtulit per ſpiritum, ſequitur, mortem ejus ideò expiatoriam fuiſſe, quatenus unigenitus Dei filius erat, & humano generi datus Redemptor.* Ita Calvinus.

Suares.

Calvinus.

10. Quomodo autem Chriſtus reconciliationem noſtram cum Deo meruerit, in juſtificatione explicandâ clarius illuceſcet. Nunc id unum dico, Ex iis quæ ſunt hactenus diſputata facilè colligi illum nos in Dei gratiam reſtituiſſe, omniaque beneficia, quibus ad vitam æternam conſequendam opus eſt, in nos collata eſſe, propter eam gratiam, quâ ipſe apud Deum valet. Ea verò his ferè rebus continetur, quòd naturâ ſit Dei filius, quód perfectè ſanctus, quòd ea omnia præſtiterit, quæ ad munus Mediatoris pertinebant. Quamobrem, ut aliquando concludam, Reconciliatio eſt actio Servatoris noſtri JESU CHRISTI, qui nos in gratiam cum Deo reduxit. Eſt etiam Dei patris actio, qui propter filij ſui meritum & ſatisfactionem nobiſcum in gratiam redit, peccata noſtra nobis non imputando.

Cap. VI.

De instrumentali Reconciliationis causâ.

1. IN causis adjuvantibus instrumento locum esse quis ignorat? Nam ejus etiam vi effectum existit. Quod si verum non esset, profectò humana Christi natura (de quâ paulò ante) Reconciliationis causa esse non potuit existimari. Est enim Divinitatis instrumentum; & tamen Reconciliatio etiam humanæ Christi naturæ opus sive effectum esse dicitur. Jam Reconciliationis causa instrumentalis est fides. Quæris Scripturæ testimonium. Equidem de totâ Reconciliatione nullum esse concedo. De membris tamen singulis non obscurè loquitur Spiritus, fidem ad eas ab hominibus postulari. *Justificati ex fide pacem habemus apud Deum.* (Rom. 5. 1.) *Quotquot exceperunt eum, dedit eis hoc jus, ut filij Dei sint facti; nempe iis, qui credunt in nomen ejus.* (Ioan. 1. 12.)

2. Verùm quum de totâ reconciliatione nusquam dicatur, fidem ad eam adipiscendam flagitari, quæ de illâ dicenda habeo, in justificatione explicandâ proponam. Tantum illud interea monebo, quæ ad Reconciliationis membra pertinent, ea de ipso integro posse & debere intelligi; ut quæ de corpore & animâ dicuntur, de homine etiam dici, qui ex iis duobus conficitur, nemo dubitat. Nec illud quidem cujusquam est momenti, quod instrumenti nomine nusquam in scripturis insigniatur. Nam nec causa esse dicitur: cujus tamen rationem obtinere Theologi omnes confitentur. Sed de istis plura, si opus fuerit, deinceps suo loco: nunc quod est in manibus.

Caput VII.

De Materiâ Reconciliationis.

Ateriæ voce id, cujus ratione Reconciliatio quasi forma esse intelligitur, significo, nimirum quod reconciliandum est. Hoc interdum *Materiam*, interdum *Subjectum* Philosophi dicunt. Aristot. Metaphys. lib. I. cap. 3. Materia igitur sive subjectum reconciliationis, circa quod versatur, vel cui adjuncta est reconciliatio, est Homo. *Reconciliati* (ait Apostolus Rom. 5. 10.) *sumus Deo.* Nempe nos homines reconciliati sumus. Quales autem homines? Inimici; peccatores. *Quum inimici essemus reconciliati sumus.* Rom. 5. 10. *Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis lapsus ipsorum.* 2. Corinth. 5. 19.

1. Aristoteles. Rom. 5. 10.

Quæret hîc fortasse aliquis, quî factum sit, ut quum Reconciliatio amoris sit redintegratio, quâ ex inimicis, qui reconciliantur, amici fiant, peccatorum potius quàm inimicorum, in ejus definitione mentionem faciam: Quod ego quidem eâ causâ feci, quoniam illam vocem optimè convenire instituto meo judicavi. Neque enim in hac definitione de nostrâ erga Deum amicitiâ, vel inimicitiâ quæritur, sed de nostrâ in Dei gratiam receptione: quæ quum *non imputatione sive remissione peccatorum contineatur*; ut significat Apostolus 2. Cor. 5. 19. peccatores dicere volui potius quàm inimicos. Veruntamen si cuiquam magis placeat inimicorum in definitione, quàm peccatorum nomen adhiberi, ego certè cum illo non contenderim.

2. 2. Cor. 5. 19.

3. Cæterùm reperientur fortasse nonnulli, qui non hominem solum, sed Deum etiam Reconciliationis materiam, vel subjectum esse existiment. Primum, quia Reconciliatio mutuum in gratiam reditum videtur continere. Deinde quoniam multi viri eruditi, non nos solum Deo, sed Deum quoq; nobis reconciliatum esse non dubitent affirmare. Ac quod priores illos attinet, quæ supra de reconciliatione disputavi, ea videntur illorum argumento satisfacere. Etenim ne in humanâ quidem reconciliatione, ut mutua sit in gratiam restitutio, necesse est. Quum Absolon fratrem suum Ammonem trucidasset, rectè dici potuit reconciliatus esse patri, etsi pater illi non succensuisset, nec ille patri. Verùm eo facinore perpetrato, ob quod iram & mortem meruerat, si pater illi ignoscere, & simultatem quam suscipere potuerat, quasi deponere voluisset, reconciliationem esse factam affirmare possemus. Quod si in hominis reconciliatione fieri nō facilè intelligeremus; tamen in nostrâ cum Deo reconciliatione, res se aliter habere nullo modo intelligi debet aut potest. Deus enim ab omni mutatione & mutabilitate (ut loquuntur) immunis est; ideoque nulla in illo esse potest amoris redintegratio.

2, Sam. 16.

4. At Deum nobis reconciliari dicunt Theologi cum primis eruditi: *Pater* (inquit Augustinus de Trin. lib. 13. cap. 11.) *reconciliatus est nobis morte filij.* Theophylactus etiam dicit *Christum Mediatorem factum reconciliasse nobis patrem,* ad Heb. 9. Eodem modo loquitur Damascenus de fide Orth. lib. 3. c. 14. Ita Thomas p. 3. q. 49. art. 4. ad 3. & ad Eph. 2. 17. lect. 5. Ita Calvinus ad Polonos in Stancarum. Ita Olevianus de Testim. fœd. ¶ 81. Verum hic loquendi modus, nostræ inservit intelligentiæ, rei veritatem non explicat. *Apud Deum* enim *non inest transmutatio, aut conversionis obumbratio.* Quæcunque fiat mutatio, in nobis fit, non in Deo. Nobis certè, quod statum

Augustinus. Theopylactus. Damascenus. Thomas. Calvinus Olevianus. Iacob. 1. 17

& conditionem nostram attinet, mutatio accidit. Quum enim *essemus filij iræ, Alieni à republicâ Israëlis, & extranei quod ad fœdera promissionis attinet; Nunc in Christo Jesu propinqui facti sumus per sanguinem Christi: Filij ac hæredes, cohæredes Christi.* Rom. 8. 17. Gal. 3. 26. Quod videtur significare Cajetanus ad Rom. 5. 1.

Eph. 2. 3. v. 12, 13. Rom. 8. 17. Gal. 3. 26. Rom. 5. 1. Cajetanus.

5. Atque hæc quidem ita esse intelligenda & Dei natura flagitat, quæ nullam in ipso mutationem fieri posse contendit, & testimonia Augustini, Lombardi, Thomæ, quæ recensui. cap. 2. n. 7. confirmant. Ad quem locum Calvini sententiam proposui, è quâ de illo ad Polonos testimonio licet judicare: nimirum *Ejusmodi locutiones ad sensum nostrum esse accommodatas, ut melius intelligamus, quàm misera sit & calamitosa extra Christum nostra conditio.* Institut. lib. 2. cap 16. n. 2. Omninò scriptura nusquam dicit Deum reconciliatum esse nobis, sed nos illi. *Reconciliati sumus Deo.* Rom. 5. 10. *Deus reconciliavit nos sibi,* 2. Cor. 5. 18. & 19 *Mundum sibi reconcilians. Placuit patri per illum reconciliare sibi omnia.* Coloss. 1. 21. Ac de Materia vel Subjecto Reconciliationis satis multa. Venio nunc ad finem ejus explicandam.

Calvinus. Rom. 5. 10 2. Cor. 5. 18, 19. Colos. 1. 21

Caput IIX.

De fine Reconciliationis.

1. Finis Reconciliationis postremis in definitione verbis continetur; quæ etiam naturam ejus egregiè illustrat. Fieri enim potest, ut reconciliatus esse Deo intelligatur, qui pœnas nō persolvat, quas daturus esse putabatur. Quod Achabo videmus accidisse, 1. Reg. 21, 29. *Videsne Achabum se abjecisse ante faciem meam? Eò quòd ab-*

1. Reg. 21, 27.

vers. 21, 22. *jecit se ante faciem meam, non inducam malum illud* (de quo v. 21, 22.) *diebus ejus, diebus filij ejus inducam malum illud super domum ejus.* Reconciliatus igitur est Achabus Deo. Verum non erat tamen ejusmodi hæc reconciliatio, ut ad vitam æternam pertineret. At ea, quâ de nos agimus, talis est, ut ea vitæ æternæ participatio consequatur. Cui quo modo quasi subordinata sit, i.e. quomodo ad salutem peccatoris conducat, in partibus reconciliationis tractandis, in quarum explicatione sc. literæ usum ejus proponunt & explicant, magis commodè & opportunè disseremus. Hic autē satis rectè officio meo functus esse debeo existimari, si de Reconciliationis fine illâ significavero, quæ generatim de Prædestinationis effectis omnibus possint & soleant observari. Jam Prædestinationis finem esse Dei gloriam, & Hominum salutem notissimum est. De priori loquitur Apostolus Ephes. 1. 5. 6. *Deum* scil. *prædestinasse nos ad laudem gloriæ gratiæ suæ:* & ver. 12. *ut simus laudi gloriæ ipsius.* Alterum non ita perspicuè declaratur, significatur tamen apud Apostolum eodem cap. vers. 11. quum de prædestinatis dicitur, *Eos ascitos esse in sortem, nempe ad hæreditatem in cœlis adeundam,* de quâ vers. 14. & 18. Quare si prædestinatio istos sibi fines proponis, certè Reconciliatio, quæ ab illâ tanquam effectus â causâ proficiscitur, eò collineet necesse est. Nam per hæc effecta sua, tanquam per causas quasdam suo quamq; ordine, finem illum suum gloriæ divinæ, & salutis humanæ assequitur Prædestinatio. Quid quod idem finis ad Rom. 5. 10. non obscurè significari videtur; *Si quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij ejus; multò magis reconciliati servabimur per vitam ipsius:* quasi vita illa, quæ reconciliationem comitatur, finis esset, cujus gratiâ reconciliati sumus.

[Margin notes: Eph. 1. 5. 6. — vers. 12. — vers. 11. — v. 14. 18. — Rom. 5. 10.]

Cap.

CAPUT IX.

De Partibus Reconciliationis.

Atque hujusmodi quidem est Reconciliatio, ut Reconciliantem spectat, & Activa dici potest. Passiva autem, (ut ad Reconciliantem spectat) non effecti, sed adjuncti locum obtinet: Estque peccatorum in Christum credentium propter ipsum in gratiam quasi receptio, ad vitam æternam consequendam.

1.

Reconciliationis duæ sunt partes: Justificatio, & Adoptio.

2.

In quâ distributione duo sunt explicanda, ut legitima esse intelligatur. Alterum est, Reconciliationem ex duabus partibus sive membris constare; Alterum, has ejus partes Justificationem esse, & Adoptionem. Ac illud quidem, Reconciliationem scil. duas partes complecti: primum communi omnium hominum de illâ judicio confirmatur; qui de reconciliatione ita planè sentiunt. Ego ut rem totam illustriorem faciam & clariorem, exemplo quodam utar, quod similitudine ad id, quo de agitur, quàm proximè accedat. Cogitemus igitur servum aliquem (non illum dico, qui ex jure civili in bonis domini numeratur, sed quales hodie sunt apud homines Christianos, famulum aut ministrum) qui, quum rationes ac negotia domini sui procuraret, malè rem administrando, bona heri, vel per negligentiam amiserit, vel per luxuriam dilapidaverit. Istum dominus, quum solvendo non sit, è familiâ ejectum in carcerem contrudit. Deprecatorem sibi servus & intercessorem comparat. De re-

conciliatione ejus cum domino transigitur. Ut plena fiat atque integra reconciliatio, quis non intelligit duo esse præstanda: primum, ut servo, quæ debet, remittantur: alterum, ut eodem sit loco & numero apud dominum, quo prius fuerat. Horum alterum si desit, mancam esse reconciliationem & imperfectam, necesse est.

3. 2. Sam. 13. 29. Apponam aliud exemplum, & illud fortasse magis ad rem accommodatum. Absolon, Ammone fratre per summum scelus interempto, à patriâ exulavit, ad regem Gessuris confugit. Itaque & patris indulgentissimi (ejus quæ v. 37. fuerat erga ipsum voluntate immutatâ) aspectu & amore illi carendum erat, & morte, si aliquando rediisset, pœnæ tàm atrocis & immanis flagitii persolvendæ. Reconcilia- cap. 14. v. 1. tio tamen gratiæ consecuta est; eaque ex iisdem, quas dixi, v. 22. partibus constituta. *Dixit rex Joabo: Ecce fecisti jam rem* v. 24. *hanc; abi ergò, reduc puerum illum Absolonem.* Deinde surgens Joab abiit Gessurem, reduxit Absolonem Hierusalem: Ecce inchoatam reconciliationem. Condonato enim quod commiserat, parricidio, nullum illi mortis pe- v. 25. riculum impendebat. Sed nondum plane confecta res est. Etenim *dicente rege, Divertito domum suam, & faciem meam ne videto, Divertit Absolon domum suam, & faciem regis non vidit.* Sensit igitur Absolon, ad plenam reconciliationem paternæ sibi gratiæ restitutionem defuisse. Eam biennio v. 33. post adeptus est. *Veniens Absolon ad regem; incurvavit se super faciem suam in terram coram rege: & osculatus est rex Absolonem.* Integram videmus reconciliationem, Absolone in pristinam patris gratiam restituto. Duas igitur reconciliationis partes, me tacente, res ipsa loquitur.

4. 1. Cor. 7. 11. Accedit eodem Spiritus sancti in Scripturis autoritas, qui reconciliationis voce eadem, quæ nos in illâ ponimus,

com-

comprehendit. *Si uxor à viro se separarit, maneat innupta, aut viro reconciliator.* Quis autem dubitat reconciliationem hanc, de quâ loquitur Apostolus, illud postulare, ut non solùm simultatem, quam cum viro susceptam habebat, deponat, sed etiam cum illo conjunctissimè vivat? Eadem est ratio illius apud Matthæum reconciliationis. *Reconciliator fratri tuo.* An id tantùm flagitat Servator noster, ut de peccato suo confitenti pœna, quam daturus erat, remittatur? Et non illud etiam, ut ei ex animo amicus sit, omniaque humanitatis ac charitatis officia præstet is, cui reconciliari ipsum jubet? *Condonate vobis mutuò offensas* (ait Apostolus) *sicut & Deus in Christo condonavit vobis.* Dubitari igitur (ut mihi quidem videtur) non potest, quum duæ sint nostræ cum Deo reconciliationis partes, quin easdem in hominum inter se reconciliatione Deus flagitet; siquidem quæ à Deo homines consequuntur, multò perfectiora & absolutiora esse oportet, quàm quæ ab hominibus ad homines proficiscantur beneficia.

Matth. 5. 24

Eph. 4. 32.

5. Jam verò, quæ tandem DEI actiones, quænam ab illo in nos collata beneficia, illis, quas recensuimus reconciliationis partibus aptius convenire judicabimus? Omninò nihil est, si à Justificatione & Adoptione discesseris, quod tàm propè ad earum naturam accedere posse videatur. Nam peccatorum quidem remissionem justificationis beneficio consequimur. De quo inter omnes, tàm nostros, quàm Pontificios video convenire. Alterum fortasse paulò est obscurius. Verum facilè nobis illucescet, si illud seriò cogitemus, unicum esse istum nos in gratiam recipiendi modum. Neque enim alii sunt atque alii nos in gratiam recipiendi gradus, quasi primum servi, deinde amici, postremò filij esse intelligeremur. Verùm quisquis in Dei gratiam restituitur, simul Adoptionis particeps esse, & filij

Galat. 3, 26. loco haberi cognoscitur. *Omnes filij Dei estis per fidem in Christo Jesu.* Nimirum qui credit in Christum, credendo Dei filius efficitur. Sic enim Joannes: Ioan, 1. 12. *Quotquot eum exceperunt, dedit eis hoc jus, ut filij Dei facti sint, nempe iis qui credunt in nomen ejus.*

6. Adjungam ad ea, quæ hactenus de reconciliationis partibus disputavi, quorundam Theologorum testimonia; paucorum fateor; Neq; enim multorum expectanda sint; quum nullus è nostris aut Pontificiis de reconciliatione distinctè aliquid scripserit, nec quo modo à justificatione discrepet, explicaverit; etiam Pontificii, eam cum illâ commiscent. Unus tamen & alter è nostris perspicuè loquuti sunt. Primus Instit lib 2. c. 12. n. 2.3. est Calvinus, qui *duo esse dicit reconciliationis nostræ cum Deo capita, alterum sic in Dei gratiam restitui, ut ex filiis hominum illius filij fiamus: alterum, ut qui suâ se inobedientiâ perdiderunt, remedij loco obedientiam opponerent.* In quibus verbis de Adoptione nostrâ perspicuè affirmat, eam reconciliationis nostræ alterum caput esse. Justificationem verò altero illo capite significari manifestum est; Nam Christi obedientiam, & pœnarum (ut ibi etiam loquitur Calvinus) per solutionem, justificationis causam esse nemo nescit Calvinus certè remissionem peccatorum, sive justificationem posteriori loco ponit, cui ego primum concessi, quoniam (pace viri doctissimi dixerim) & rei ipsius naturâ, & ejus, qui reconciliatur, sensu, priorem videtur obtinere. Quis enim non intelligit peccatores de illo præcipuè laborare, ut veniam eorum, quæ deliquerunt, consequantur? Illud etiam est, quòd semper ferè inculcant Apostoli, quum reconciliationem hominibus cum Deo pollicentur. 1, Cor. 5. 19. Quid quod Paulus Reconciliationem, peccatorum remissione quasi definiat? *Deus mundum reconciliavit, non imputando eis lapsus ipsorum.*

7. Perkinsus autem nostras, & duas esse reconciliationis partes disertis verbis affirmat, & in iis enumerandis suffragatur

gatur ſententiæ meæ. *Duæ ſunt* (inquit lib. de rectâ cognitione Chriſti crucifixi, paulò ab initio) *reconciliationis partes, Remiſſio peccatorum* (i. e. ut dicam ſuo loco ipſa juſtificatio) *&* *Acceptatio ad vitam æternam*. Quid autem eſt ad vitam æternam acceptari, niſi adoptari ad regni cœleſtis hæreditatem adipiſcendam? Nam *ſi filij, etiam hæredes: hæredes quidem* DEI*, cohæredes autem* CHRISTI. Neque enim alius nobis in cœlum patet aditus, niſi ut ejus hæreditatem filiorum jure cernamus. *Adeſte benedicti patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento.* Quid opus eſt pluribus? Et duas eſſe reconciliationis partes, & eas juſtificatione ac adoptione contineri ſuffragantibus Calvino & Perkinſo oſtendi, & probavi. Supereſt ut Integro explicato, quæ ſit membrorum ejus natura videamus.

Rom. 8. 17.

Matt. 25. 34.

LIBER SECUNDUS
De
JUSTIFICATIONE.
CAPUT I.
Quid sit Justificatio.

1\. JUSTIFICATIO EST PARS RECONciliationis, quâ Deus, in Christum credentibus fidem reputans ad justitiam, omnia illis peccata condonat. Ut ea quæ de justificatione deinceps sunt differenda, & melius intelligantur, & certius dijudicentur, explicanda est illius, quam proposui, descriptio, & confirmanda. Ac primum de ipso definito; id est, de Justificatione; tum de illius Descriptione, dicendum est.

2\. Calvinus. Jam verò justificare duo significat; Alterum, ex peccatore justum facere. De quo ita Calvinus Instit. lib. 3. cap. 11. n. 21. *Quem Deus in conjunctionem recipit, eum dicitur justificare. Quia nec recipere in gratiam, nec sibi adjungere potest, quin ex peccatore justum faciat.* Hinc est illud ejusdem ad 2. Corinth. 5. 21. *Tunc Deum nobis esse propitium, quum pro justis agnoscit.* Et il-

lud

lud ad verſ. 10. *Deum peccatoribus amicum aut propitium eſſe non poſſe.*

3. Calvinus. Alterum, quod voce juſtificationis ſignificatur, eſt ſententia judicis reum abſolventis. *Juſtificatur* (inquit idem, de quo modo, Calvinus) *qui non loco peccatoris, ſed juſti habetur; eoq́ nomine conſiſtit coram Dei tribunali, ubi peccatores corruunt. Quemadmodum, ſi reus innocens ad tribunal æqui judicis adducatur, ubi ſecundum innocentiam ejus judicatum fuerit, juſtificatus apud judicem dicitur.* Inſtit. lib. 3. c. 11. n. 2. Et n. 3. *Juſtificatio nihil aliud eſt, quàm eum, qui reus agebatur, tanquam approbatâ innocentiâ à reatu abſolvere.* (Calvinus.)

4. Iſtas vocis hujus ſignificationes etiam Pontificii agnoſcunt. *Juſtificare ſæpius in divinis ſcripturis, pro eo quod eſt Reum abſolvere, accipitur. Pluribus etiam in locis ſignificat juſtum facere.* Andrad. Orthod. explic. lib. 6. de juſtif. pag. 448. (Andradius.)

Juſtificari ſignificat juſtitiâ imbui, ornari, donari. Quandoq; juſtum pronunciari, declarari, comprobari, & deputari. Tapper. contra art. Luther. tom. 2. art. 8. pag. 20. (Tapperus.)

Juſtificatio ſignificat remiſſionem peccatorum, & gratiam operantem Abſolutionem ejus, qui reus in judicio fit. Domin. Sotus de nat. & grat. lib. 2. c. 5. 6. ad Rom. 1 17. (Sotus.)

Juſtificari eſt aliquem oſtendi, & pronunciari juſtum. Reipſa & verè juſtum fieri. Andr. Vega Inſt. de juſtif. lib. 5. cap. 3. (And. Vega.)

Significat Juſtificare, Pronunciare aliquem juſtum, eumq́ abſolvere, Accipitur etiam pro eo quod eſt, revera juſtum facere. Binſfeldius receptarum concluſionum. Sect. 4. memb. 3. concl. 1. (Binsfeldius)

Juſtificatio ſignificat abſolutionem à peccatis. In juſtificatione impij etiam ſanctificatio comprehenditur. Cenſura Colon. dial. 5. pag. 146. (Cenſ. Col.)

Juſtificatio circa primam juſtificationem, ſignificat Abſolutionem à peccatis; Inhærentes qualitates ex quibus denominamur & ſumus juſti. Stapleton. de juſtif. prolegom. 2. ad lib. 5. (Stapleton)

Idem ſentiunt Jeſuitæ recentiores. Sic enim Bellarminus

minus; qui cum Ecclesiæ Romanæ sententiam de justitiâ infusâ proposuisset, addit *Justificationis nomen accipi, pro declaratione justitiæ modo quodam forensi.* De justif. lib. 1. cap. 1. ¶ 4. Etiam *in justificatione impij eo sensu adhiberi,* Rom. 5. 16. *confitetur.* lib. 2. cap. 3. ¶ Præterea. aitque *significare ibi actionem judicis. Verbi Justificare duæ sunt significationes magis celecres: Una est, ut justificatio idem sit, quod justum declarare seu ostendere; Altera est, justum facere vel constituere.* Suarez de grat. part. 3. lib. 7. cap. 6. n. 10.

5. Justificatio autem, ut à nobis jam de illâ disputatur, in priori significatione usurpatur. Ita enim de justificatione loquitur Ecclesia Anglicana ubique. *Nemo per opera sua justificari, & justus fieri potest apud Deum.* Homil. de salvat. part. 1. in initio. *Justificatio non est hominis officium. Neq; enim se justum facere homo potest.* part. 2. *Opera nostra non justificant nos, & ex injustis justos apud Deum faciunt.* part. 3. Ex illâ posteriorem pendere & consequi necesse est. Nam quocunq; sensu quisquam à Deo justus esse pronunciatur, eodem antea justus ab illo factus esse intelligitur. Itaque rectè Scharpius Theologiæ in Academiâ Diensi Professor de justificat. cap. Definitio rei. *Deus nos antequam justos pronunciet, justos facit: & hujus respectu justificare justum facere significat.* Et Controv. 9. in respons. 3. ad object. 9. *Deus in Christo justum facit, & justum factum pronunciat.* Easdem significationes Hemmingius agnoscit, *Justificare apud Paulum non solum est absolvere reum, verum etiam significat ex injusto justum facere.*

Hom. Ang.

Scharpius.

Hemming.

6. Beza. Eadem est Bezæ sententia, ad Act. 13, 39. *Justificemur, id est, justi fiamus & pronunciemur. Sed nonnulli objiciunt* (ait idem Beza) *Apostolum Rom. 5, 19. Justificari interpretari justum constitui. Respondeo* (inquit ille ad Rom. 3, 24.) *nos fide justos fieri.* Vide eundem Bezam ad Rom. 3, 26. & ad 5. 13, 15, 18.

7. Zvvinglius. Hinc factum est, ut Theologi nostri tàm sæpè dicant nos *Justos Reddi, Esse, Fieri*; ut Zvvinglius ad Rom. 1. 17. (&

ibi Bullingerus) ad Philip. 3, 9. ad Rom. 3, 20. & ad 4, 2. Hyperius ad Rom. 4, 12. Denique (ut faciam breve) quid opus est justitiæ Christi imputatione, nisi ut justi per eam facti, deinceps justi esse pronunciemur?

8. His assentiuntur Pontificii: *Non potest impius verè justificari, id est, justus pronunciari* (ait Bellarm. de justif. lib. 2. cap. 9. ¶ Denique) *nisi qui pronunciat justum, simul faciat justum.* *DEUS* (ait Vasques in 1. 2. q. 113. disp. 202. cap. 5. n. 30) *si in aliquem, qui revera peccata commisit, sententiam ferat, secundum severitatem juris, aut non potest ipsum justum & innocentem, & immaculatum declarare sine mendacio, aut debet ipsum revera justum, immaculatum & innocentem efficere.* Et n. 31. *Aut Deus revera efficiat hominem justum, dum ipsum justum pronunciat, aut ipsum non pronunciet justum, si justus revera non est, neq; ipsum facit justum.* Eadem est Suaris opinio de grat. part. 3. lib. 7. cap. 6. n. 22.

Bellarmin. Vasques. Suarez.

CAP. II.

Justificationis definitio confirmatur.

1. QVam proposui Justificationis definitionem, eam veram esse ac legitimam hac ratione concludo.

Quæ justificationis definitio totam justitiam, quæ ad hominem justificandum postulatur, comprehendit, ea vera est ac legitima justificationis definitio.

Definitio justificationis à me proposita totam justitiam, quæ ad hominem justificandum postulatur, comprehendit.

Ergò definitio à me proposita vera est ac legitima justificationis definitio.

Propositionis veritas perspicua est; quoniam Definitio significat quid res sit; ut dicunt Logici. Aristoteles Top. lib. 1. cap. 5. n. 2. Poster. anal. lib. 2. cap. 3. n. 3, & cap. 10. n. 1, & c. 13. per totum. Ramus Dialect. lib. 1. cap. 30. Estque *Essentiæ notificatio.* Aristoteles Analyt. lib. 1. cap. 3. poster. Unde Richardus: *Definitio ut perfecta sit, oportet ut totum & solum definiendæ rei esse comprehendat,* de Trinitate lib. 4. cap. 21. Essentia verò cujusque rei ipsa ejus forma continetur. Justificationis autem forma est justitia; Quare quæ eam totam comprehendit, legitima esse illius rei definitio censenda est.

Aristoteles
Ramus.
Richardus.

2. Justificationis formam justitiâ constare certum est; quoniam justificamur, sive justi constituimur per justitiam nobis à Deo donatam; estque justificatio revera proprius & verus justitiæ effectus, quoquo modo ea justitia imputari, sive communicari nobis intelligatur. Ideoque Thomas, *Formalem esse effectum justitiæ dicit, quia eâ aliquid formaliter justificatum est,* in 4. dist. 17. q. 1. ad 3. de verit. q. 28. art. 1. c.

Thomas.

3. Neque hæc Pontificiorum solum, sed nostrorum etiam Theologorum sententia est. *Differunt justitia & justificatio* (ait Ursinus in Cat: de liber: hom: ad q. 60, q. 3, ¶ justitia) *ut forma, & applicatio formæ ad subjectum, ut Albedo & Dealbatio, seu Albificatio.* Et q. 5. *Nisi Christi obedientia fiat nostra, seu nobis applicetur; non possumus eâ esse justi; sicut paries non fit albus, nisi albedo applicetur.*

Vrsinus.

4. Polanus igitur Syntagmat: lib. 6. cap. 36. ¶ Causa per quam, *Certum esse dicit Nos per justitiam justificari coram DEO. Nam sine justitiâ,* inquit, *justum censeri perinde esset, ac sine doctrinâ doctum, sine sapientâ sapientem censeri.* Trelcatius etiam Institut: de justificat. part. κατασκ. ¶ Nam quia. *Necesse erat justitiam communicari, ut vitam assequeremur.* Idem sentire eos omnes Theologos, qui justitiam Christi nobis donari, imputari, communicari, applicari dicunt, necesse est. Willetus autem nostras perspicuè. *Justificatio est positio vel consti-*

Polanus.
Trelcatius.
VVilletus.

tutio hominis in statu justitiæ coram Deo. Synopſ: de inhær: juſt: q. I. pag. 1000. Et pag. 1001. arg. 4. *Collationem justitiæ ad justificationem concurrere oportere* contendit.

5. Quod etiam ex vocis ipſius ſignificatione confirmari poteſt. Nam vox ipſa Juſtificare, ſi naturam ejus ſpectemus, idem eſt quod juſtum facere; quum in linguis Hebræâ, Græcâ & Latinâ à Juſto & juſtitiâ deducatur. Ipſa vox Latinâ (ut, quod omnes ferè Theologi faciunt, de eâ pauca dicam) apud nullum Latini ſermonis autorem ſatis locupletem deprehenditur. Calepinus igitur eam in ſuo Dictionario omiſit; qui illam in ſuis Dictionariis exponunt, Theologorum tantum Latinorum autoritate nituntur. Quorum antiquiſſimus eſt, cujus ſcripta jam ſuperſunt, Tertullianus, annos poſt Chriſtum natum 200. Verùm etſi vox ſit parùm Latina; tamen crebrò à Theologis & antiquis & recentioribus uſurpatur, ad eas voces interpretandas, quibus ea res, nempe τὸ juſtificare, ſignificatur à Spiritu ſancto. Quo conſilio ab antiquiſſimo interprete & inventa eſſe & adhibita videri poteſt. Unde Coſterus Jeſuita Enchirid: controverſ: cap. 6. *Vocem eſſe dicit Chriſtianis propriam, à quibus ſolis ejus ſignificatio diſcenda ſit.* Quod etiam Bellarminus fatetur de juſtif: lib. 2. cap. 3. ¶ Ad tertium.

Calepinus. Tertullian. Coſterus. Bellarmin.

6. A Latinâ linguâ ad vulgares, quas vocant, deducta eſt; ad Italicam integra, Juſtificare; ad Hiſpanicam, Gallicam, Anglicam, pro cujuſque linguæ ratione, Juſtificar, juſtifier, juſtific. Belgæ quidem & Germani Latinam vocem pro ſuo jure repudiârunt, aliaſque ad hanc rem ſignificandam, è ſuâ utraq; linguâ adhibuerunt; ſed quæ maximam partem ejuſdem ſint cum Latinâ ſignificationis & notationis: licet Piſcator in eâ, quam edidit, Bibliorum verſione, alias voces uſurpare maluerit, quæ juſtum pronuntiare ſignificent.

Piſcator.

7. Si vocũ Hebrææ & Græcæ in ſcripturis uſum frequentiſſimũ ſpectemus, verba eſſe ſecundæ impoſitionis (ut loquuntur)

2. Sam. 15, 4. Psal. 82, 4. Deut. 25. 1. 1 Reg. 8. 32. Rom. 5, 16. Bellarmin. Rom. 8, 33.

reperiemus, quæ judicare, vel sententiam ferre, aut dicere, significare notissimum est. Ut *justum pronunciarem istum*; *justificarem* in Hebræo. Psal. 82, 3. *Afflictum & pauperem justificate, justum pronunciate*. Omninò eam judicis sententiam in scripturis vox ista significat, quæ ad eum, qui reus factus est, absolvendum pertinet; saltem justificari is dicitur, qui causam obtinet. Deuteron. 25, 1. *Justificabunt eum, qui justus est*. 1. Reg. 8, 32. *Justificando justum, reddendo ei secundum justitiam ejus*. Rom. 5. 16. *Ex multis lapsibus ad justificationem*; quo loco judicis actionem significari concedit Bellarminus de justif. lib. 2. cap. 3. ¶ Præterea. Rom. 8, 33. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus is est, qui justificat*. Pro eâ verò judicis sententiâ, quâ condemnatur reus, nusquam in sacris literis adhibetur. In Ethnicorum autem scriptis planè aliter se res habet. Significat enim δικαιοῦν supplicio addicere, vel condemnare. *Messala Corvinus* (ait Plutarchus in Bruto) ἐδικαίου *sententiam tulit, ut mimi virgis cæderentur*. Ita etiam ab illo usurpatur in Agesilao. Qui Græcæ linguæ Lexica conscripserunt, Hesychius, Phavorinus & Suidas, διακαιοῦν interpretantur κολάζειν, supplicio afficere, & δικαιούμενος κολαζόμενος, supplicio affectus. Idem est judicium Scholiastis apud Sophoclem in Oedipo Colonæo. Quare Cicero Actor. 4. in Verrem, vertit ἐδικαιώθησαν *supplicio affecti sunt*, Anglicè *Had justice done on them*. Nusquam autem apud Ethnicos vox Græca pro Absolvere usurpatur. Sed de voce hactenus.

Plutarchus. Hesychius. Phavorin. Suidas. Scholiastes Sophocles. Cicero.

8. Justificatione fieri homines justos, idque per justitiæ alicujus collationem vel communicationem ostendi. Addo eam per mutationem quandam effici. Quod apparet sensisse Ursinum, quum Justificationem diceret esse applicationem formæ ad Subjectum, ut applicatione coloris albi ad parietem, paries albificatur, ut ipse loquitur, vel albus fit. Perkinsus autem & Willetus id disertis verbis affirmant. *Justificatio* (inquit Perkinsus ad Gal. 4, 4. pag. 274. A) *est Muta-*

Ursinus. Perkinsus.

tatio peccatoris ab uno contrario ad aliud, à malo in bonum, ut peccatum justitiæ loco cedat. Atque hoc quidem duplici similitudine illustrat; *rei scil. quæ è nigrâ fit alba,* & *domus quæ ex obscurâ lucida fit; non tantum per privationem nigredinis & tenebrarum, sed etiam accessione coloris albi, & luminis.* Nec minus perspicuè loquitur Willetus de inhærente justit. pag. 1001. *In omni,* inquit, *mutatione & alteratione, duo spectanda sunt, è quo & in quid mutamur. Ut quum è nigro quippiam fit album, & nigredinis est privatio, & albedinis successio: sicut quando aëre tenebræ pelluntur & lux recipitur: sic ad hominem justum constituendum oportet esse justitiæ communicationem.* Et hoc quidem significare videtur Apostolus 1. Corinth. 6. 11. quum Corinthios dicit *fuisse fures, avaros, ebriosos, &c. sed ablutos esse, sed sanctificatos esse, sed justificatos esse.*

VVilletus.

1. Cor 6. 11.

9. Consentientes habemus hac in re Pontificios; etiam Synodum ipsam Tridentinam. *Justificatio* (ait Synodus Seff. 6. c. 4.) *est translatio hominis à statu, in quo natus est filius primi Adam, in statum gratiæ & Adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Jesum Christum.* Ideoque dicit Thomas: *Justificationem significare posse formalem justificationis effectum: quoniam justitia justum facit, ut albedo album.* De verit. q. 28. art. 1. c. & in 4. dist. 17. q. 1. ad 3. Et 1. 2. q. 113. art. 1. c. vocat *justificationem Motum, & Transmutationem à statu injustitiæ in statum justitiæ.* Ac de propositionis confirmatione satis multa.

Conc. Trident.

Thomas,

10. Venio nunc ad Assumptionem, de quâ tota ferè est controversia, qualis sit illa justitia, per quam ex injustis justi evadamus. Nimirum sitne interior, & in nobis sita, an externa, & extra nos posita. Pro illâ Pontificii non secus ac pro aris & focis dimicant; quam infusam vocare solent, quia in animam à Deo infunditur; & inhærentem, quoniam in nobis inhæret. Thomas 1. 2. q. 113. art. 7. c. & art. 8. c. Conc. Trid. Seff. 6. c. 7. Bellarm. de justif. lib. 2 c. 2, 3, 4. Vasques disp. 202. in 1, 2. per tot. Hanc justitiam Stapletonus *inhærentium qualitatum*

Thomas.
Con. Trid.
Bellarmin.
Vasques,
Stapleton.

nomine appellat, de justificat. prolegom. 2. ad lib. 5. Unde Jesuitæ Colonienses *in justificatione etiam sanctificationem dicunt comprehendi*, dial. 5. pag. 146. *His enim qualitatibus, hac justitiâ, hac gratiâ animam ornatam esse contendunt.* Andrad. Orthod. explicat. lib. 6. Ruardus Tapperus cont. art. Luth. tom. 2. art. 8.

Cens. Col.

Andradius. Tapperus. Lutherus.

11. Eam Pontificiorum justitiam omnes Theologi Evangelici ut spuriam ejiciunt; alteram autem, quæ Externa dicitur tanquam filiolam libenter amplexantur. Testis est Ecclesia Anglicana. *Justificamur ex gratuitâ Dei misericordiâ, & non ex aliquâ virtute, quæ nobis inhæret.* Hom. de salv. part. 3. Et Calvinus optimè concludit *nullam nos ex nobis habere virtutem, quoniam justitiam extra nos quærere docemur*, Institut. lib. 3. cap. 11. n. 23. Et paulò pòst: *Vides non in nobis, sed in Christo esse justitiam nostram; nobis tantùm eo jure competere, quia Christi sumus participes.*

Eccl. Angl.

Calvinus.

12. Sed quæ tandem est illa justitia, quam externam esse dicimus, quâ tamen justificati seu justi facti sumus? Eam ego nihil esse aliud, quàm remissionem peccatorum contendo. Quam sententiam primùm Ecclesiarum reformatarum, & hominum doctissimorum testimoniis confirmabo, deinde è scripturâ petitis argumentis probabo.

CAPUT III.

Formalem Justificationis causam esse Remissionem peccatorum.

1. PRoponam primo loco Anglicanæ Ecclesiæ judicium, quoniam apud me, ut debet, plurimum valet. Pro quâ, de justificatione peccatoris, sententiam feret Homiliarũ liber regnante Edvar-

Homil. lib.

do sexto ante annos 80. editus, & Synodi Londinensis suffragiis regnante Elizabethâ anno 1562. art. 11. approbatus. In quo libro, quæ sunt de justificatione tradita, ea nunquam ab ullâ Synodo (quæ fuerunt apud nos plurimæ) aut reprehensa, aut correcta, aut immutata, vel tollendo quæ redundent, vel supplendo quæ desint, quisquam deprehendet. Sic autem Homil. liber Sermon. de salvatione humani generis parte 1. in initio: *Justificatio est remissio peccatorum in iis rebus, in quibus quispiam deliquerit. Atq; hæc justificatio sive justitia, accipitur, acceptatur, & approbatur à Deo pro nostrâ plenâ & perfectâ justificatione.* Quibus verbis tota justificationis natura unâ peccatorum veniâ comprehenditur, eaque plena esse & perfecta justificatio Dei ipsius eam acceptantis judicio affirmatur: nec ulla est in duabus reliquis ejus sermonis partibus, aut in iis, qui de fide conscripti sunt, syllaba aut litera, quæ vel huic sententiæ repugnet, vel aliquid deesse significet. Parte autem secundâ idem esse (Ecclesiæ nostræ judicio) justificationem & remissionem peccatorum manifestum est. *Fides* (inquit Homilia) *nos ad Christum mittit, ut remissionem peccatorum sive justificationem adipiscamur.* Et parte 3. *Nostra opera non justificant nos, id est, non merentur opera nostra remissionem peccatorum, neq; nos ex injustis justos reddunt apud Deum.*

Serm. de Salv. hom. part. 1.

parte 2.

parte 3.

Et hæc quidem fuit Ecclesiæ nostræ de justificatione sententia, à primis reformationis (ut loquuntur) incunabulis. Sunt enim in manibus Articuli quidam ab Henrico 8. editi, in quibus disertis verbis affirmatur *Remissionem peccatorum esse justificationem nostram.*

2. Act. & Mon. Eccl. p. 998, Col. 2, l. 42.

Idem erat Tyndalli judicium, qui tum floruit. *Per justificationem* (inquit Tyndallus lib. de Christianâ obedient. ad Henricum 8. cap. contra falsam Papæ potestatem f. 46. a) *intellige Remissionem peccatorum & favorem Dei.* Et fol. eod. b *Si promissionibus credas, veritas Dei te justificat; id est, ignoscit tibi teq; in gratiam recipit.*

Tyndallus.

Thomas Matthæus.

Eum ſequutus eſt coævus ipſius Thomas Matthæus, qui Biblia Anglicè reddidit anno 1537. & ad ſingula capita notas appoſuit, quæ duodecimo poſt anno ſcilicet 1549. regnante Edvardo ſexto cum ipſis Bibliis prodierunt in lucem. *Quum dico Chriſtum nos juſtificare, ſcito me id dicere, Chriſtum ſolum nos redemiſſe, emiſſe, & liberâſſe nos ab irâ Dei & condemnatione, & ſuis ſolius operibus conciliaſſe nobis miſericordiam, favorem & gratiam Dei, & remiſſionem peccatorum.*

Nec regnante illo, de quo ſæpe, Edvardo, aliter ſenſerunt Theologi eruditi. Nam ita notæ ad Teſtamentum Novum tum editum: *Per novum fœdus intellige Gratuitam remiſſionem peccatorum, quam omnes per Chriſti ſanguinem conſequuntur.*

ad Hebr. 8

3. Harm. Confeſſ. Gallic art. 13.

Huic Eccleſiæ noſtræ judicio aliæ etiam Reformatæ aſſenſerunt. Teſtis eſt Gallica, cujus ita habet Confeſſio: *Credimus totam noſtram juſtitiam poſitam eſſe in peccatorum noſtrorum remiſſione, quæ ſit etiam (ut teſtatur David) unica noſtra felicitas.*

Conf. Belg. art. 24.

Idem iiſdem ferè verbis confitetur Eccleſia Belgica: *Credimus omnem felicitatem noſtram ſitam eſſe in peccatorum noſtrorum remiſſione, quæ eſt in* CHRISTO *JESU: eâq; unica totam noſtram juſtitiam coram* DEO *contineri, ut nos Paulus è Davide docet.*

Auguſtana. Baſilienſis.

Eadem fuit Auguſtanorum & Baſilienſium ſententia, etſi non loquantur tàm perſpicuè. Etenim *Omnia, quæ de Juſtificatione diſputantur, ad articulum de Remiſſione peccatorum referenda eſſe* contendunt.

CAPUT IV.

In quo quæ fuerit Calvini de justificatione ſententia explicatur.

VEnio nunc ad hominum ſingulorum teſtimonia. Quorum omnium & autoritate & propemodum antiquitate primus eſt Joannes Calvinus, quem præcipuè Bellarminus oppugnat. De juſtificatione autem ita Calvinus Inſtitut: lib. 3. cap. 11. n. 21. *Juſtitia fidei eſt Reconciliatio cum Deo, quæ ſolâ remiſſione peccatorum conſtat.* Jam reconciliationis voce juſtificationem ſignificari manifeſtum eſt; quoniam juſtitia fidei ea eſt, per quam juſtificamur, vel juſti conſtituimur. Quod etiam, quæ paulò pòſt adjungit, ſatis oſtendunt. *Conſtat* (inquit) *quos Deus amplectitur, non aliter fieri juſtos, niſi quod abſterſis peccatorum remiſſione maculis purificentur, ut talis juſtitia uno verbo appellari queat Remiſſio peccatorum.* Et n. 33. *Sic Remiſſionem peccatorum cum juſtitiâ connectit Apoſtolus Act. 13, 38, ut idem prorſus eſſe oſtendit.* Eundem Apoſtolum ait quarto cap. ad Romanos *Juſtificationem appellare juſtitiæ imputationem, nec eam dubitare in peccatorum remiſſione collocare. Beatus homo,* inquit, *à Davide dicitur, cui Deus accepto fert, vel imputat juſtitiam ſine operibus; ſicut ſcriptum eſt, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c. Illic ſanè* (ait Calvinus) *non de juſtificationis parte, ſed de ipsâ totâ diſputat. Ejus porrò definitionem à Davide poſitam teſtatur, quum beatos eſſe pronunciat, quibus datur gratuita peccatorum venia. Unde apparet juſtitiam hanc, de quâ loquitur, ſimpliciter reatui opponi.* n. 4. *Certè prophetam* (ait Calvinus n. 11.) *non adducit teſtem, ac ſi doceret partem juſtitiæ eſſe veniam peccatorum, vel ad hominem juſtificandum concurrere: ſed totam juſtitiam in gratuitâ*

1. Calvinus.

Act. 13. 38.

remissione includit. Beatum hominem pronuncians, cujus tecta sunt peccata, cui remisit Deus iniquitates, & cui transgressiones non imputat.

2. Ac Calvinum quidem hoc constanter & perpetuò sensisse ex eo liquet, Quod nullam aliam assignet justitiam ad justificationem, nisi remissionem peccatorum; ne iis quidem in locis; ubi cum Pontificiis de formali justificationis causâ dimicat. Deinde nullo unquam argumento aliam esse justitiam probare conatus est. Denique eo modo loquendi utitur, ut omninò aliam omnem justitiam à justificatione excludere voluisse intelligatur. *Solâ peccatorum remissione constat.* Instit. lib. 3. cap. 11. *Non aliter fieri justos.* n. 21. *Remissionem peccatorum cum justitiâ idem prorsus esse ostendit Apostolus*, n. 22. *Remissio peccatorum non est pars justificationis, sed tota justificatio*, n. eod. *Propheta totam justitiam in peccatorum remissione includit*, n. 11. *Justitia apud Paulum nihil est, quam remissio peccatorum*, ad Rom. 4. 7. 8.

Institut.

3. Eademque est illius sententia in Antidoto ad Sess. 6. Concil. Trid. cap. 8. Ubi patres illos Tridentinos reprehendit, quod *Justificationem solam esse peccatorum remissionem negent*, eosque ita refellit. *Verba Pauli sunt* (inquit Calvinus) *ad Rom. 4, 7, 8. David beatitudinem hominis dicit, cui Deus imputat justitiam sine operibus; Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Si ex hac Davidis sententiâ* (inquit) *Paulus gratuitæ justitiæ definitionem ritè elicit, sequitur in remissione peccatorem esse positam. Sic enim Davidem interpretatur Paulus; Justum à Davide nuncupari, cui Deus justitiam imputat, non imputando peccata.* & paulò pòst è 2. Cor. 5, 19 ita disputat: *Quid apertius* (inquit) *requiras, quàm nos coram Deo justos censeri, quia Christi sacrificio expiata sunt peccata nostra, ne amplius sub reatu nos teneant?* Et postea: *Remissioni peccatorum Act. 13, 38. Justificatio velut interpretationis loco subjicitur, & absolutionem procul dubio significat.* Etiam ad Romanos 4, 6. *DEUM ait homines justificare, peccata non impu-*

In Antid. ad Conc. Trid.

tando. Quibus verbis docemur (ait Calvinus) *justitiam Paulo nihil aliud esse, quam remissionem peccatorum.* Addit postea *Justificari fide, qui gratuitâ peccatorum remissione purgatus sit coram* DEO. Et ad Corinth. 5, 19. ait: *In gratiam redire homines cum Deo, ubi impetratâ peccatorum remissione justi censentur.* Et Opuscul. part. 1. formulâ brevi confess. ¶ Itaque confiteor, affirmat *Omnem nostram justitiam, quâ sumus* DEO *grati, positam esse in peccatorum remissione.* Et part. 3. classe 1. de verâ Ecclesiæ reformat. ratione advers. Interim. ¶ Cum autem. *Quæritur ubinam tutò acquiescant conscientiæ nostræ, quùm de salute nostrâ agitur: Ut nobis salus constet, simul necesse est certam constare fiduciam. Hujus quantulacunque pars in operibus fuerit reposita, tanquam parum solido fundamento suffulta nutabit. Restat igitur ut in solam peccatorum veniam recumbat.* Et pauló pôst: *Quis dubitet totam hominis justitiam, cui inniti debet, gratuitâ peccatorum remissione contineri?* Et pòst ¶ Negant Deum. *Meritò Paulus fidei justitiam in peccatorum remissione simpliciter includit.* Et ¶ Nisi hac. *Scriptura nos justificari testatur, non quia impleamus legem, sed quia recumbamus in Christi sacrificium, quo expiata sunt peccata. Non ergò legis observatio, sed transgressionum venia nos justificat.*

4. Conc. Trident.

Accedit eodem, quòd Concilium Tridentinum Sess. 6. can. 11. Anathema illis denuntiet, qui hominem solâ peccatorum remissione justificari affirment. Quod quidem nunquam fecissent homines versuti, nisi, aut communi Evangelicorum ministrorum consensu, aut alicujus saltem apud illos insignis Theologi judicio eam sententiam defendi, pro comperto habuissent; ne (ut Solon apud Plutarchum de parricidio) *non tàm prohibere, quàm monere homines viderentur.* Quare aut omnes nostri Theologi ita senserunt, aut quod perspicuum est aliquis. At nullus est è nostris, qui Concilii Tridentini tempore scripserat, à quo tàm multa sunt in hanc sententiam, & tàm egregiè disputata.

Plutarchus.

5. Bellarmin. Quid quòd Bellarminus, quum eam propositionem, scil: Justificationem nostram constare solâ remissione peccatorum refellat, eam ab uno Calvino sumat, cujus opinionem esse dicit *Justitiam in solâ remissione, id est, non imputatione peccatorum positam esse; quùm Lutherani* (quos vocant) *in imputatione potius justitiæ Christi sitam esse contendant*. Bellarm: de justif: lib. 2. cap. 6. At verò quum justificationem non consistere in imputatione justitiæ Christi probat; Solum Chemnitium nominat, Calvini mentionem nō facit. Etiam quum Concilii verba exponit, quibus dicitur Justitiam non consistere in solâ remissione peccatorum, ait *rejici sententiam Calvini de Justificatione more forensi*, de justif: lib. lib. 2. cap. 2. ¶ His verbis.

6. Sunt tamen, qui sic existiment, *Justitiam, quæ ad justificationem flagitatur, à Calvino etiam in imputatione justitiæ Christi esse positam*. Ex horum numero est ipse Bellarminus, qui de Calvino ita scribit: *Joannes Calvinus admittit quidem cum Lutheranis, non esse in nobis ullam inhærentem justitiam, & imputari Christi justitiam, & propter eam condonari peccata: propriè tamen in ipsâ remissione peccati sitam esse docet justificationem. Itaq;* (ait paulò pòst Bellarminus) *quum idem Calvinus* Institut: lib. 3. cap. 11. n. 22. & in Antidoto ad Concil: Trid: ad Sess: 6. *contendit Justificationem non esse positam in peccatorum remissione, non excludit imputationem justitiæ Christi, sed internam renovationem & sanctificationem*. Bellarmin. de justif: lib. 2. cap. 1. ¶ Joannes Calvinus. Eundem etiam Calvinum reprehendit, quod *causam formalem justificationis duplicem faciat*, cap. 2. ¶ Sed non minori.

7. Paræus. Bellarmino respondet Paræus, vir sanè doctus, & Theologiæ in Academiâ Heidelbergensi Professor; *Calvinum minimè voluisse geminam esse justificationis causam, quasi partim remissione, partim imputatione justi simus, & quasi neutra sit plena justificatio, (sic enim*, ait Paræus, *& secum & cum scripturis sa-*

cris

cris pugnaret) sed duobus terminis scripturæ æquipollentibus, unam causam formalem exprimere; seu duos illos terminos exegeticè conjungere voluisse. Paræus contra Bellarmin. de justif: lib. 2. c. 2. sect. 247. ¶ Quod regerit. Ac suam hanc responsionem ita confirmat. *Sic enim* (inquit) *Calvinus quod dixerat n. 2. Justificationem in remissione peccatorum, & imputatione justitiæ Christi sitam esse, exponit ipse n. 3. Vides remissionem peccatorum justificationem interpretationis loco poni.* Addit Paræus è Calvino alia testimonia, quæ sunt à me proposita n. 3. Tandem ita concludit; *Unde liquet, Calvinum integram justificationem modò solâ remissione peccatorum, modò remissione peccatorum, & imputatione justitiæ Christi cum Apostolo definire.*

8. Istis addi possunt alia etiam Calvini, eaque luculenta testimonia. *Causam justificationis* (ait Calvinus de Tridentinis Antid. ad Sess. 6. cap 8. ¶ Neque tamen) *faciunt duplicem, ac si partim remissione peccatorum, partem spirituali regeneratione justi essemus: vel (ut aliis verbis exprimam quod sentiunt) ac si partim imputatione, partim qualitate justitia nostra constaret.* Quibus verbis videmus Calvinum, quod prius remissionem peccatorum vocaverat, id postea Imputationem nuncupare. Præterea si ipse Calvinus duplicem fecisset causam justificationis formalem, injustè & ineptè Concilium reprehendisset, quum idem ipse peccaret. Fortasse non immeritò illos condemnare potuisset, quod eas justificationis partes proposuissent, quum alias assignare debuissent; sed alienum prorsus erat ab omni ratione, ut eos de illâ re accusaret, in quâ ipse, non minus quam illi, deliquisset. Quid autem respondet vir prudens & eruditus? *Tridentini patres duplicem esse fingunt. Ego autem* (ait Calvinus) *unicam & simplicem esse assero, quæ tota continetur gratuitâ Dei acceptatione.*

9. Eodem pertinent illa Calvini Instit. lib. 3. c. 26. *Nostra justitia in gratuitâ remissione peccatorum est collocata.* Et illa: *Veniam indulgere est gratuitam homini justitiam largiri. Confiteor*

omnem nostram justitiam, quâ sumus Deo grati, & in quâ una oportet nos prorsus acquiescere, positam esse in peccatorum remißione, quam ipse nobis acquisivit, Opuscul. Confess. fidei form. brevi par. 1. ¶ Itaque. Idem de gratuitâ imputatione in eadem confessione mox affirmat, scripturam jubere, ut *in unâ gratuitâ imputatione acquiescamus*. Ex quo facilè constat rem eandem prius appellari remissionem peccatorum, deinde gratuitam imputationem. Quapropter dubitari non potest, hanc fuisse Calvini sententiam; Justitiam nostram, quâ justificamur, nihil esse aliud, quam Remissionem peccatorum, vel Imputationem justitiæ.

10. *Neq; enim refert* (ait Paræus de justif. lib. 2. c. 2. lect. 247. ¶ Quod regerit) *quod Apostolus non dixit: Beatus, cui Deus imputat justitiam Christi, sed absolutè, Cui Deus imputat Justitiam, Justitia namq; imputata rectè dicitur Justitia Christi, quia Christus suâ obedientiâ eam nobis acquisivit. Justitia* scil. (ut loquitur ipse Calvinus Instit. l. 5. c. 11. n. 5.) *quæ nobis obedientiâ & sacrificio mortis Christi parta est*. De hac Imputatâ justitiâ sic alibi Paræus ad Rom. 4, 7, 8. *Hoc sensu justitia imputata dicitur justitia Christi, hoc est, Christi merito nobis parta*. Meritoriè nimirum, seu effectivè, non subjectivè. De quâ si quis plura desideret, videat Scharpium de justific. epist. dedic. p. 6. Zanchium de tribus Elohim part. 1. cap. 1. ¶ 3. Rennecher aur. cat. cap. 26.

Scharpius. Zanchius. Rennecher.

11. Verùm si cuiquam fortè non placeat ea verborum Calvini, quam Paræus attulit interpretatio, ut Remissio peccatorum & Imputatio justitiæ se mutuò exponant, unum verò ac idem significent, aliam ipse (salvo ipsius omniumq; eruditorum hominum judicio) proponam. Dico itaque Remissione peccatorum formalem justificationis causam (quod sensisse Calvinum perspicuum me fecisse existimo) Imputatione justitiæ Christi Efficientem denotari. Quo sensu illa etiam quæ ad 1. Cor. 1, 30. disputat Calvinus, sumenda esse judico. Jam Christi justitiam in efficientibus justificationis no-

ſtræ cauſis numerari & Paræus ad Roman. 4, 7, 8. affirmat, & Calvinum ſenſiſſe videbimus ſuo loco. Certè Bellarminus eam fuiſſe Calvini mentem debebat exiſtimare, quum ejus ſententiam ita proponat, Calvinum dicere *Imputari nobis Chriſti juſtitiam & propter eam condonari peccata.* Bellarm. lib. 2. c. 1. ¶ Joan. Calv. Nam qui id dicit, peccata nobis condonari propter Chriſti juſtitiam, Chriſti juſtitiam Efficientem cauſam per modum meriti facere exiſtimari poteſt, atq; debet.

Bellarmin.

12\. Cæterùm negabit forſan aliquis, ita Calvini verba poſſe exponi, ut de Efficiente causâ intelligi exiſtimentur, quoniam ipſe modus loquendi, ad formalem cauſam ſignificandam aptiſſimè poſſit accommodari. Sic enim Calvinus, *Juſtificationem in imputatione juſtitiæ Chriſti poſitam eſſe dicimus*, Inſtit. lib. 3. c. 11. n. 2. Non ſum neſcius Philoſophos de formali causâ ad eum modū loqui; & nos etiam quū juſtificationem dicimus in remiſſione peccatorum eſſe poſitam. Neq; tamen dubito, ea Calvini verba de causâ efficiente ſatis rectè poſſe exponi. Nam eodem planè modo loquitur, eadem phraſi utitur; quum de fide ſermonem habet. *In fide* (inquit Inſtit. l. 3. c. 16. n. 2.) *juſtificationem ponimus.* Ac ne quis tropum neſcio quem illâ voce ſignificari exiſtimet, quam fidem dicat ipſe declarat. Non ſomniamus (inquit) fidem operibus vacuam. Quare ſi quod dicit Calvinus, Juſtificationem in fide ponimus, id de efficiente causâ (qualem eſſe fidem nemo opinor negaverit) affirmari perſpicuum ſit, quidni & illa verba juſtificationem in imputatione juſtitiæ poſitam eſſe dicimus, de causâ efficiente interpretemur? Sic igitur eam Calvini ſententiam explico. Juſtificationem in remiſſione peccatorum, ut in ejus formali causâ; in Imputatione, ut in efficiente per modum meriti collocamus. Omninò verba ipſa quod attinet, malim ea ſic interpretari, ut virum doctiſſimum, ſemel & iterum non tàm aptè, quàm potuit, loquutum fuiſſe exiſtimem, quám ut ipſum ſibi repugnare concedam ſæpiſſimè.

CAP.

CAP. V.

Lutheri & Melanchthonis testimoniis probatur Remissionem peccatorum esse causam formalem justificationis.

1\. HActenus omnem justificationis naturam peccatorum remissione contineri quarundam Ecclesiarum, Anglicanæ scil. Gallicæ, Belgicæ, Augustan & Basileensis judicio ostendi. Quæ de nostrâ Ecclesiâ dixi, ea ex articulis ab Henrico 8. editis, & ex doctissimorum Theologorum, Tyndalli & Matthæi scriptis confirmavi.

2\. Cum illis sensisse Calvinum cum ex ipsius scriptis, tun ex Paræi pro illo defensione contra Bellarminum indicavi Adjungenda est ad ista, quæ proposuimus, aliorum Theologorum consensio. Quorum primus est Lutherus.

3\. *Lutherus.* *Justitia est, quando non observantur hominis peccata, se condonantur & non imputantur. Commendo vobis hanc Davidi cam justitiæ definitionem: Beatus est, cujus iniquitates remiss sunt, &c.* Lutherus tom. 4. fol. 403. b in Psalm. 130. Et ad Hoseam cap. 10. tom. 4. fol. 653. a. *Justitia est remissio peccatorum Justitia nostra non potest esse alia, quàm quod peccata quæ habe mus, non imputantur, sed condonantur, ut Paulus definit beatitu dinem Psal. 32.* Cæterum (ut alia Lutheri scripta omittam qui illum ejus librum, qui est in manibus ferè omnium, commentarios dico in Epistolam ad Galat. attentè legerit, ean fuisse Lutheri mentem facilè animadvertet. Hominen Christianum ita definit: *Hæc est vera & propria hominis Chri stiani definitio, Eum gratiæ & remissionis peccatorum filium esse* Gal. 2, 19. ¶ Hæc est. Et vers. 16. ¶ Nos igitur. *Christianus est*

ille

ille, cui Deus non imputat peccata propter fidem in CHRISTUM.

4\. Ea verò, cujus in illis commentariis sæpe meminit Lutherus, *Imputatio justitiæ* nihil aliud est nisi *Remissio peccatorum, & Dei acceptatio, non secus ac si justi essemus. Hæc Imputatio sive Acceptatio* (inquit Lutherus) *est admodum necessaria; primùm, quia non sumus adhuc perfectè justi; sed habitat in nobis peccatum. Præterea interdum Spiritus sanctus nos deserit, ut Davidem, Petrum, aliosq́; viros sanctos deseruit. Tamen semper ad hunc articulum accurrimus; Tecta esse peccata nostra, Deumq́; ea nobis non imputaturum.* Psal. 32. Rom. 4. ad Gal. 2, 16. ¶ Et hæc acceptatio. fol. 66. ad cap. 3. Et fol. 111. b ¶ Nos igitur. per prosopopœiam Deum ita loquentem inducit; *propter fidem tuam in Jesum Christum filium meum, &c. æstimabo & pronunciabo te ut justum, & peccatum illud, quod in te manet, tibi non imputabo.* Ideoque paulò antè dixerat, *Justitiam Christianam constare fide cordis & imputatione Dei*; additque *Fidem non esse satis, quia post fidem hærent adhuc reliquiæ peccati in carne.* ¶ Hanc particulam. Aliam præter hanc, quam dixi Imputationem, nusquam apud Lutherum reperies; etsi copiosè quæ ad justificationem spectant, in illis commentariis tractaverit. Unam illam apud Lutherum sententiam adjungam, & finem faciam. *Fides infirma est: & igitur adjungenda est ad illam Imputatio Dei; nimirum Deum non imputaturum nobis reliquias peccati; eas non puniturum; nos propter illas non condemnaturum; sed tegere eas velle, & gratis condonare, quasi nihil essent omninò: non nostrâ causâ; neq; propter operationem aut opera nostra, sed propter Christum, in quem credimus.* Plura legat qui velit eodem loco ¶ Discant igitur.

5\. Melanchth. Ad alios pergo, ac primum ad ejus coævum Melanchthonem; qui Apostolum Paulum Rom. 4, 6. ita facit disputare, *Justificatio est remissio peccatorum.*

Igitur justi sumus non propter nostras virtutes seu qualitates, sed divinâ acceptatione, quâ remittit nobis peccata.

Hic clarè videmus (ait Melanchthon ad Rom. 4, 6.) *& quid ſit juſtificatio, & quomodo pronunciemur juſti.* Et paulò pòſt: *Hæc omnia idem ſignificant, Juſtificatio eſt Remiſſio peccatorum; eſt Non imputatio peccati; eſt Reconciliatio ſeu Acceptatio.*

6. Quare quum Melanchthon (quod nonnunquam facit) *Juſtificationem à remiſſione peccatorum diſtinguit,* Juſtificationis voce illam, de quâ modò Lutherus, Acceptationem ſignificare cenſendus eſt. Sic enim juſtificationem vocat, vel potius interpretatur. *Remiſſio* (inquit) *peccatorum & juſtificatio, hoc eſt, Acceptatio.* Argum. ad Rom. 4.7.8. Proleg. de juſtif. fol. 8. b. Et in eo, quem modò citavi, loco ad Roman. 4.7.8. magis perſpicuè loquitur. *Debet intelligi Remiſſio peccatorum, non tantùm de factis præteritis, ſed de continuâ remiſſione præſentis imbecillitatis. Sic enim ſentit Apoſtolus, Nos pronunciari juſtos, quia Deus per miſericordiam acceptat nos, etſi ſumus indigni & immundi. Et hæc Acceptatio eſt perpetua quædam Remiſſio peccati, hoc eſt, immunditiæ præſentis.* Juſtificationem igitur & Acceptationem idem eſſe Melanchthon docet; ſcilicet Remiſſionem peccatorum, eamque ut dicit continuam. Argum. ad Rom. fol. 13. a.

CAPUT VI.

Idem probatur aliorum Theologorum teſtimoniis.

1. FEci de induſtriâ, ut in Lutheri & Melanchthonis ſententiâ recenſendâ paulò fuerim largior, quoniam ex eorum erant numero, qui his poſtremis ſeculis ante 100. annos in religione, quaſi poſtliminium reducendâ egregiam operam Eccleſiæ navârunt, & veritati. In aliorum teſtimoniis recitandis ero brevior.

Justificatio est gratuita imputatio remissionis peccatorum in Christo. Sarcerius loc. comm. de justifica. Et postea. *Justificatio, de quâ hîc loquimur, non est in partes distributa. Loquimur enim hîc de justificatione, quæ apud Deum valet, quæque in remissione peccatorum in conscientiâ sita est.* Sarcerius.

Justitia Christi est Absolutio à peccatis per Christum ex fide. Petrus Martyr ad Rom. 10, 8. Pet. Martyr

Quid aliud est justificatio, quàm peccatorum remissio? Bullingerus ad Rom. 4. 8. Bullinger.

Justificatio nihil est aliud, quàm remissio peccatorum parta per sanguinem Christi. Musculus ad Johan. 3. 18. Musculus.

Justificatio constat propriè peccatorum remissione. Joannes Foxus de Christo gratis justificante lib. 3. pag. 383. Foxus.

Gratuita peccatorum remissio est unica & ipsissima justificationis forma, quâ ipsa justificatio est id quod est. Rennecher. aur. cat. pag. 26. Rennecher.

Articulus de justificatione, seu (quod idem est) de remissione peccatorum. Pezelius ad Melanchth. in Exam. Theol. de justif. pag. 529. Et pòst: *An simus justi coram Deo ex parte vel ex toto; vel (quod idem est) An Deus nos absolvat à peccato vel ex parte, vel ex toto,* ibid. in dialect. vocab. justitiæ parte 2. ¶ Hæc facilius. Et pòst: *In definitione ipsum Formale justificationis, id est, Absolutio à damnatione, seu reatu exprimitur.* ibid. de justific. fidei. ¶ Postremo. Pezelius.

Formalem justificationis nostræ causam scriptura sacra in imputatione justitiæ, seu in remissione peccatorum sitam esse docet. Paræus contra Bellarm. de justific. lib. 1. cap. 2. pag. 31. ¶ Primo. Et alibi. *Justificationis causa formalis est Remissio peccatorum, seu imputatio justitiæ absque operibus, propter Christi obedientiam,* lib. 2. cap. 1. pag. 365. Paræus.

In quam sententiam ille, de quo paulò ante, Pezelius: *Formale justificationis est Imputatio Justitiæ, seu Remissio* Pezelius.

peccatorum, seu Reconciliatio, seu Acceptatio personæ gratuita, ad Melanchth. in Exam. de justific. part. 2. ¶ Formale justificationis.

Albizius,

Declarat Apostolus Actor. 13, 38. Remissionem peccatorum per Christum esse justificationem, Albizius exercit. Theolog. part. 2. q. 2. in conclusione. *Remissio peccati atq; Non imputatio dicitur unica justificatio hominis apud Deum.* Ibid. ad 3. arg. neg. & q. 9. in concl. & q. 10. arg. 1. affirm. & in concl. & q. 18. in concl. & q. 26. ad 1. affirm.

Abbotus,

Quibus verbis videmus Apostolum affirmare, esse Imputationem justitiæ sine operibus: quam declarat esse Reputationem fidei ad justitiam, quoniam per eam accipimus Remissionem peccatorum. Robert. Abbotus in vero antiquo Cathol. part. 1. cap. 9. pag. 261. *Si loquamur de homine in statu gratiæ, qualis erat David, hæc est ejus beatitudo, ipsa Remissio peccatorum, quæ est per fidem, Imputatio justitiæ sine operibus*, ibid. pag. 262.

Dupliciter dici potest quispiam formaliter justus; qualitate, vel lege, Qualitate formaliter justus est, qui habet perfectam internam formam justitiæ sine omni maculâ. Atque hoc quidem modo justum esse quempiam alterius justitiâ qui diceret, absurdè diceret: Quoniam inhærens qualitas unius subjecti, alterius subjecti inhærens qualitas fieri non potest. In Lege vero & judicio formaliter justus esse intelligitur, qui culpæ aut accusationi obnoxius non est, ut secundum legem reus fieri non queat. Verum quidem est, qui inhærenti qualitate formaliter justus est, eum etiam lege formaliter esse justum: Lege verò formaliter justus esse potest, qui inhærenti formâ & qualitate non est justus. Nam lege justus fit quis veniâ sive indulgentiâ; quoniam veniâ concessâ, lex quô progrediatur, ulterius non habet, quum omnis imputatio culpæ, quæ legaliter fieri potuit, sublata sit, quasi omninò nunquam fuisset. Atque hæc quidem justitiæ nostræ coram Deo ratio est: ut per imputationem meriti & satisfa-

ctionis Jesu Christi peccata nobis condonentur; ideoq; rei fieri non possumus, aut commissorum, quæ fieri non oportuit, aut omissorum quæ facienda erant, juxta verba Apostoli, Rom. 8, 33. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei?* Si inhærentem qualitatem spectemus, est de quo accusemur; at illud veniâ peccatorum aboletur, quasi nunquam exstitisset. Quare, ut uno verbo dicam, Qualitate formaliter justi non sumus, si Deus secundum illam, sententiam de nobis ferret quum omnis nostra justitia contaminata sit: at lege formaliter justi sumus, imputatione justitiæ Christi, quia per eam satisfactio intercessit, & delicta nostra remissa sunt & condonata, ut nihil impediat, quo minus Deus nos ad vitam æternam acceptet. Abbot. defens. Cathol. refor. part. 2. de justitiâ inhærent. ad object. 1.

Caput VII.

Probatur è Scripturis Remissionem peccatorum esse totam justitiam, quæ ad justificationem flagitatur.

1. Justificationis formam remissione peccatorum contineri multis & hominum singulorum testimoniis, & ecclesiarum quarundam sententiis satis luculenter ostendi: Accedo nunc ad Argumenta proponenda, quæ Scripturarum autoritate nitantur. Ac primum è Roman. 4. 6. 7. 8. ad hunc modum disputo è Calvino Instit. Lib. 3. cap. 11. n. 4. 11.

Rom. 4. 6. 7. 8. Quâ justitiâ tota justificatio à Spiritu sancto describitur Roman. 4. 6. 7. 8. ea est tota justitia, quæ ad justificationem flagitatur. Nisi forte aut ignorâsse Spiritum sanctum, quæ sit illa justitia, aut nos in errorem inducere voluisse contendât.

At remiſſio peccatorum eſt illa juſtitia, quæ tota juſtificatio à Spiritu ſancto Rom. 4. 6. 7. 8. deſcribitur.

Rom. 4. 6. 7. 8.

Ergo remiſſio peccatorum eſt tota juſtitia, quæ ad juſtificationem flagitatur.

Dixi de Propoſitione: Jam Aſſumptio tria complectitur Quorum primum eſt, Remiſſionem peccatorum eſſe juſtitiam. Alterum, Juſtificationem per remiſſionem deſcribi Tertium, Totam juſtificationem, Rom. 4. 6. 7. 8. eâ deſcriptione contineri. Quæ ſingula quum probavero, aſſumptionis veritas erit clariſſima.

Rom. 4. 6, 7. 8.

Primum autem hoc argumento conficitur:

Juſtitia imputata Roman. 4. 6. 7. 8. eſt juſtitia. Nam eo nomine vocatur à Spiritu S. v. 6. *Cui Deus imputat juſtitiam.*

2. Rom. 4. 6. 7. 8.

Remiſſio peccatorum eſt juſtitia imputata.

Ergo remiſſio peccatorum eſt juſtitia.

Aſſumptionem hac ratione confirmo.

Beatitudo hominis, cui Deus imputat juſtitiam ſine operibus, eſt juſtitia imputata, Rom. 4. 6. 7. 8. Ut hujus propoſitionis veritas clarius illuceſcat, cogitandum eſt, Prophetam & Apoſtolum non abſolutè & abſtractivè (ut loquuntur) de hominis beatitudine loqui, ad quam præter juſtitiam, multa flagitantur, quæ gloriæ voce comprehenduntur, ſed de illâ ipſius beatitudine, quâ beatus nominatur ratione juſtificationis ex juſtitiâ illâ imputatâ. Oſtendam quod dico, exemplo non diſſimili. Beatitudo hominis, quem Spiritus ſanctus regeneravit, eſt ipſius regeneratio, vel quòd regeneratus ſit. Eadem plane ratione; Beatitudo hominis, cui Deus imputat juſtitiam, eſt, quòd juſtitiam imputatam habeat, vel quòd juſtus ſit juſtitiâ imputatâ.

Rom. 4.6. 7. 8.

Remiſſio peccatorum eſt beatitudo hominis, cui Deus imputat juſtitiam ſine operibus. Nam per remiſſionem peccatorum ea beatitudo deſcribitur à Davide Pſ. 32, 1. 2. teſte Apoſtolo Rom. 4. 6. 7. 8.

Pſal. 32 1, 2. Rom. 4. 6 7, 8.

Ergo

Ergo remissio peccatorum est justitia imputata.

Deinde idem confirmatur patrum antiquorum, & recentiorum Theologorum testimoniis, qui remissioni peccatorum justitiæ nomen tribuerunt, ut ostendam cap. 8. n. 1. 2.

Deniq; esse justitiam virtualiter (ut loquuntur) ostendam c. 8. n. 3. Ex his emergit, remissionẽ peccatorũ esse justitiam.

3. Quod secundo loco à me propositum est, sc. justificationem per remissionem peccatorum describi, id ita confirmatur:

Rom. 4. 6. 7. 8. Beatitudo Rom. 4. 6. 7. 8. describitur per remissionem peccatorum. Etenim quum Apostolus affirmâsset, beatitudinem hominis, cui Deus imputat justitiam, describi à Davide, ea ipsius verba recensuit, ut id ostenderet, quæ remissionem peccatorum significant: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta peccata.*

Rom. 4. 6. 7. 8. Justificatio est beatitudo, Rom. 4, 6. 7. 8. De quo dubitari nõ potest, si cogitemus, quod antea significavi n. 2. de illâ beatitudine agi, quæ hominis justificati est, quatenus justificatus est. Nam ea certè non potest esse alia, quàm ipsa justificatio. Atque hoc etiam descriptio ipsa videtur indicare: quoniam remissio peccatorum, quæ sola in eâ descriptione adhibetur, ad justificationẽ tantùm pertinet, nec illi cum aliis Dei actionibus communis est; quarum nulla, præterquam justificatione, remittuntur peccata. Quod etiam hac disputatione conficitur: Non imputatio ver. 8. & beatitudo ver. 9. idem sunt.

Justificatio est non imputatio, vers. 8.

Ergo justificatio & beatitudo idem sunt.

De propositionis veritate ita constat: Quum hominis justificati beatitudinem in non imputatione peccati sitã esse v. 8. docuisset Apostolus, ostendit v. 9. eam beatitudinem sive non imputationẽ peccati, ad Judæos & Gentes pertinere; ut probet, quod instituerat, omnes justificari justitiâ imputatâ sine operib9; quia Abraham pater credentiũ eo modo justificatus est. Justificationẽ verò (quod assumptione cõtinetur) esse nõ

imputationem inde conficitur, quòd Abrahamum non e
justificatum operibus, eâ ratione declarat Apostolus, quia
de ad justitiam imputatâ, sive non imputatione peccati ju-
ficatus sit; ut vers. 3. 4. 5. 6. 7. 8. differit.

Adjungam conclusionem:

Ergo justificatio per remissionem peccatorum desc-
bitur.

4. Rom. 4. 6. 7. 8. Psal. 32. 1. 2.

Venio nunc ad id, quod tertium erat in primâ illâ
sumptione: nempe, Totam justificationem, Rom. 4. 6. 7.
ab Apostolo è Davide Psal. 32, 1. 2. describi. Ac primum ill
sumo, quod videor mihi satis luculenter ostendisse, n. 3. J
stificationem & beatitudinem idem esse apud Apostolum
illâ disputatione. Quo posito, ita disputo:

Si Apostolus eam vocem usurpet, quæ in usu commu
rectè loquentium totam beatitudinem denotat, nec usqua
significet, eâ partem tantum beatitudinis significari, tum t
ta justificatio illâ descriptione continetur. Quis enim id si
audeat sumere, ut quam Apostolus beatitudinem dicat, ej
partem tantummodò esse contendat, suâ solius non Apost
li autoritate fretus? apud quem nulla est ejusmodi interpr
tationis vel levissima significatio.

At Apostolus eam vocem usurpat, quæ in usu commu
ni rectè loquentium totam beatitudinem denotat, nec u
quam dicit eâ partem tantum beatitudinis significari.

Ergo tota justificatio illâ descriptione continetur.

5.

Quod etiam hoc argumento probatur:

Si tota justificatio illâ descriptione non contineatur,
tum id agit Apostolus hac disputatione, ut partem tantum
justificationis non esse ex operibus ostendat. Nam ut conce
damus illi, hominis justificationem aliquâ ex parte in no
imputatione sive remissione peccatorum esse positam, qui
tamen impedit, quò minus aliquâ etiam ex parte in operi
bus sita esse intelligatur? Quod pluribus ostendam contr

Bellarmin.

Bellarmini disputationem part. 2. lib. 2. cap. 32. A

At Apostolus id non agit hac disputatione, ut partem tantum justificationis non esse ex operibus ostendat. Secus enim sic interpretanda esset ipsius sententia, Rom. 3. 20. *Ex operibus legis tantum non justificabitur omnis caro coram Domino.* Et v. 28. *Colligimus hominem justificari ex aliquâ parte per fidem absq; operibus.* Et 4. 2. *Si Abrahamus ex operibus legis tantum justificatus est, habet de quo glorietur.*

Ergo tota justificatio illâ descriptione continetur.

7. Calvinus.

Secundo loco (Calvino autore) ita instituo argumentum:

Quod Apostolus sic connectit cum justificatione, ut idem prorsus esse ostendat, est tota justitia, quæ ad justificationem postulatur.

Quomodo namque prorsus idem esse cum justificatione intelligeretur, si alia esset justitia, quæ ad justificationem postuletur? Fortasse justificationis pars esse dici posset, fieri autem nullo modo potest, ut idem sit cum justificatione; si sit alia etiam ejus pars, quâ cum non est unum & idem; sed quiddam ab eâ diversum, ut partes aliæ ab aliis discrepant. Verbi gratiâ: Anima hominis, etsi ipsius sit forma; tamen non est idem cum homine: quoniam homo ex animâ constat & corpore; ut quod idem esse cum homine intelligitur, idem etiam esse cum animâ & corpore conjunctim sumptis judicetur. At hoc neque de animâ verè affirmari potest singillatim, neque de corpore.

At Remissionem peccatorum Apostolus sic connectit cum justificatione, ut idem prorsus esse ostendat.

8. Act. 13, 38. Calvinus.

Hanc Assumptionem ex Act. 13. 38. ita confirmari, ut de illâ dubitari non possit, Calvinus existimat Inst. lib. 3. c. 11. n. 3. *Per hunc vobis annuntiatur remissio peccatorum, Actor. 13, 38. Hæc remissio peccatorum vers. 40. Justificatio nuncupatur. Ab omnibus iis, à quibus non potuistis justificari in lege Mosis, omnis qui credit in eum, justificatur. Vides* (inquit Calvinus) *post remissionem peccatorum justificationem hanc velut interpretationis loco poni: Vides*

Conc. Trident.] *apertè pro absolutione sumi.* Et in Antid. ad Sess. 6. Conc. Trid. cap. 8. *Remissioni peccatorum justificatio velut interpretationis loco subjicitur, & absolutionem procul dubio significat.* Quod omninò locus ipse loquitur. Quid enim illa verba significant, *Justificari ab omnibus, à quibus in Mosis lege non potuistis justificari?* nisi omnes qui credunt in Christum, per eum absolvi, vel veniam consequi, & purgari; quod per Mosis legem adipisci nemo potuit; etsi lotionibus, purgationibus, & sacrificiis expiatoriis abundaverit. Heb. 10, 2. *Lex enim* (ut ait Apostolus Heb. 10, 2.) *umbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam expressam formam rerum, iis hostiis, quas singulis annis easdem continenter offerunt, nunquam potest accedentes sanctificare.* Quænam sit hæc sanctificatio, toto ferè capite Apostolus declarat. *In istis* (inquit vers. 3.) *fit repetita mentio peccatorum quotannis. Non enim potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata:* in quam sententiam ad vers. usque 18. multa ab Apostolo disputantur.

Ergo remissio peccatorum est tota justitia, quæ ad justificationem postulatur.

9. Si quæ hactenus de remissione peccatorum & justitiâ disputavi, ea cuiquam minus firma & certa esse videantur, faciendum esse intelligat, ut aliam ab Apostolo traditam ipse assignet. Neque enim verisimile est, virum doctum & prudentem, ut erat Paulus, â Spiritu sancto institutum, quùm tàm crebram justitiæ mentionem faciat, ea quæ sit nusquam explicare. Sed de istis deinceps plura dicemus, quùm ad justitiam illam, quâ de loquitur Apostolus, ex aliorum sententiâ exponendam, & examinandam (Deo volente & adjuvante) accesserimus. Pergo nunc in formæ explicatione, ut remissionem peccatorum rectè dici justitiam & Theologorum judicio, & ratione ostendam.

CAPUT IIX.

Remiſsionem peccatorum rectè dici juſtitiam.

1\. REmiſſionem peccatorum juſtitiam poſſe nuncupari, ejuſque quaſi naturam induere, his Theologorum, quæ ſequuntur, teſtimoniis indicatur. In quibus primum locum obtinet Auguſtinus, qui ita loquitur: *Ipſa noſtra juſtitia, quamvis vera ſit, propter veri boni finem, ad quem refertur; tamen tanta eſt in hac vitâ, ut potius peccatorum remiſſione conſtet, quàm perfectione virtutum*; de Civit. Dei l. 19. c. 27. Hæc nimirum remiſſio eſt illa Imputatio, de quâ tàm multa ſunt apud Lutherum. Omninò ſi remiſſio peccatorum dici non poſſit juſtitia, juſtitia noſtra in hac vitâ, illâ conſtare non poteſt, ne comparatè quidem, ſi cum virtute conferatur.

Auguſtinus

Bernardus autem non comparatè, ſed ſimpliciter hominis juſtitiam dicit eſſe Dei indulgentiam. *Dei* (inquit) *juſtitia eſt non peccare: hominis autem juſtitia Dei indulgentia.* In Cantic. Serm. 2?. In quam ſententiam Theophylactus ad 1. Cor. 1, 30. ait, *Deum nos juſtificâſſe, dimiſſione peccatorum datâ.*

Bernardus. Theophyl.

Sedulius etiam ad Rom. 3, 21. apertè loquitur, *Dei juſtitiam, de quâ ibi Apoſtolus, eſſe Remiſſionem peccatorum.*

Sedulius.

Ad quem modum Haymo loquitur ad Rom. 4, 3. 5. *Imputatum eſt illi ad juſtitiam*; *i.e.* ait Haymo, *ad remiſſionem peccatorũ.*

Haymo.

Unde noſter Melanchthon, Proleg. ad Rom. fol. 12. a *Juſti reputamur Deo remittente peccata.*

Melanchth.

Ideoque Spangenbergius in Margar. Theolog. *Juſtum* interpretatur, *Cui remiſſa ſunt peccata.*

Spangenb.

Et Sadeel contra Monach. Burdeg. ad art. 44, 45. cont. *Non imputare peccata, eſſe Imputare juſtitiam.*

Sadeel.

Hyperius.

Quæ est etiam Hyperii sententia ad Rom. 4,6. *Declarat Apostolus Imputare ad justitiam idem esse quod Non imputare peccata: sponte & gratis ea remittere.* Quod confirmat testimonio Psalmi 32, 1. 2.

Musculus.

Cum illo sentit Musculus, qui disertis verbis ad Rom. 4, 6. affirmat *Remissionem peccatorum esse justitiam nostram.*

Lutherus.

Lutherus etiam negat, *Posse esse aliam nostram justitiam, quàm quòd peccata, quæ habemus, non imputantur,* ad Hos. c. 10.

Calvinus.

Cui Calvinus assentitur. *Meritò Paulus fidei justitiam in peccatorum remissione simpliciter includit; docetq; eam à Dàvide describi, quùm beatum hominem pronunciat, cui non imputantur peccata. Et certè beatitudo illa, cujus David meminit, ex justitia manat. Sequitur ergo, nos esse justos, quia nobis peccata non imputantur.* De verâ Ecclesiæ reform. ratione, ¶ Negant Deum, pag. 368. a.

Foxus.

Istorum se adscribit sententiæ Foxus noster. *Justi sumus, hoc est, Pro justis deputamur, non meritorum ratione aliquâ, sed eorum, quæ perperàm gesta sunt, solâ condonatione.* Foxus de Christo gratis justificante lib. 3. pag. 280. Et lib. 2. pag. 268. *Ideò justi coram Deo consistimus, quòd Remissa sunt nobis peccata.*

Beza.

In Bezæ testimonio finem faciam; *Cuinam* (inquit) *Justificationem tribuemus? Uni certè Deo. Rom. 5, 26. & 4, 5. & 8, 34. Galat. 3, 8. Unus siquidem Deus peccata remittit, Luc. 5, 21. Posita est autem omnis justificatio in remissione peccatorum, Rom. 4, 7. & ideò justitia hæc in imputatione posita, Rom. 4, 6. Justitia Dei vocatur, Rom. 1, 17, & 3, 21. 2. Corinth. 5, 21. Phil. 3, 9. Esai. 53, 11.* Beza de Cœna Dom. pag. 175.

In quo Bezæ testimonio hæc duo continentur; 1. Positam esse omnem justificationem in Remissione peccatorum. 2. Ideò justitiam in imputatione positam, Justitiam Dei vocari, quoniam Deus remittit peccata.

Accedit ad hæc hominum singulorum testimonia Ecclesiæ Anglicanæ judicium: *Quoniam omnes sunt peccatores,*

ne-

necesse est, ut aliam sibi quisq; justitiam comparet, nempe remissionem peccatorum. Atq; hæc justitia accipitur, acceptatur & approbatur à Deo pro nostrâ plenâ & perfectâ justitiâ. Homil. tom. 1. Serm. 2. de Salvat.

Neque sanè alienum est à ratione, quòd tàm multi viri eruditi affirment, Remissionem peccatorum esse justitiam. Etenim ut rectè Calvinus Instit. lib. 3. c. 17. n. 12. *Quum veniam peccatorum fuerimus consecuti, justi habemur coram Deo.* In eandem sententiam Melanchthon in Exam. Theol. de justificat. pag. 529. *Remissionem peccatorum habemus per & propter Christum, quam adepti, justi sumus coram Deo.* Nam *gratuita Dei acceptatio* (ut ait Calvinus ubi supra n. 11.) *subrogatur in locum justitiæ.* Unde Foxus nostras *Justos eos accipio, quos quotidiana remissio per fidem accepta, divino conspectui tanquam justos repræsentat.* de Christo justif. lib. 1. pag. 52. *Est* enim *justitia* (ut Lutherus ad Psalm. 130.) *quando non observantur peccata, sed ignoscuntur, condonantur & non reputantur.* Paræus, quùm *Pronunciare beatum, Imputare justitiam, Remittere peccata, Tegere iniquitates, Non imputare peccata Apostolo idem valere dixisset*; adjungit hæc verba, *Et ratio est, quia Peccatum & justitia ut contraria immediata se mutuò tollunt, & ponunt in Dei judicio; coram quo, qui est peccator, non est justus; qui est justus, non est peccator. Quibus igitur remittuntur peccata, iis imputatur justitia; & contra: Quibus verò imputatur justitia, illis non imputantur peccata,* ad Rom. 4. Dub. 5. col. 428. *Peccator per peccatorum remissionem fit justus,* Zanchius loc. comm. Theolog. de justific. tit. Quod *justitia fidei nihil aliud sit, quàm reconciliatio cum Deo, quæ solâ remissione peccatorum constat.*

2. Calvinus. Melanchth. Calvinus. Foxus. Lutherus. Paræus. Zanchius.

Remissio igitur peccatorum est Justitia (ut ita dicam) virtualiter, quia nos idoneos facit, qui absolvamur à Deo tanquam à judice. *Quis* enim *intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat.*, Rom. 8, 33. Quibus enim Deus delicta sua ignoscit, rei jam amplius fieri non possunt. Quare

3.

quùm ille nobis tanquam supremus Dominus omnia condonaverit, à reatu tàm culpæ quàm pœnæ immunes esse judicamur, non minus certè nec aliter, quàm si ex approbatâ innocentiâ absolveremur; ut loquitur Calvinus Instit. lib. 3. c. 11. n. 3. Secundo loco, remissio peccatorum est etiam justitia virtualiter, quoniam nos idoneos reddit, qui in Dei gratiam, quam propter peccata amiseramus, nec potuimus recuperare dum peccatores eramus, restituamur ac recipiamur. *Deus* enim, ut optimè Calvinus Instit. 3. 11. 21. *nec recipere in gratiam, nec sibi adjungere potest peccatorem, quin ex peccatore justum faciat.*

Calvinus.

Calvinus.

CAPUT IX.

De efficiente causâ principali.

1. Formâ Justificationis expositâ & confirmatâ, superest, ut alias ejus causas investigemus, ne quid desit, quod ejus naturæ percipiendæ conducere posse videatur. Ac primùm de causis Efficientibus; quarum vim omnem & naturam Ecclesia Anglicana his verbis explicavit: *Apostolus tria esse præcipuè significat, quæ ad justificationem conspirare oportet; Ex Dei parte, summam ipsius misericordiam & gratiam; Ex Christi parte, Satisfactionem justitiæ Divinæ; vel pretium Redemptionis nostræ, per oblationem corporis & effusionem sanguinis ipsius, unà cum lege plenè & perfectè præstita; Ex nostrâ parte, veram & vivam fidem in merita JESU CHRISTI.* Serm. de Salvat. part. 1.

Eccl. Angl.

2. In quibus verbis causarum omnium justificationis efficientium expressam imaginem, & quo modo ad eam effi-

ciendam operentur, licet intueri. Principalis efficiens Deus eſt. Cauſa Meritoria Jeſus Chriſtus. Inſtrumentalis Cauſa fides. Modus operandi, quo Deus hunc effectum juſtificationis producit, eſt per miſericordiam & gratiam, peccata condonando, quaſi formam ad materiam applicando. Jeſus autem Chriſtus, juſtificationis cauſa meritoria, eam nobis acquiſivit, pretium redemptionis noſtræ perſolvendo per integram in vitâ & morte obeundâ obedientiam; Denique fides cauſa juſtificationis inſtrumentalis ejus nos participes facit credendo in merita Domini ac Servatoris noſtri Jeſu Chriſti. De iſtis ordine dicendum eſt mihi, & primo loco de efficiente principali.

3. Ad Eph. 2. loc. 2. n. 1. Zanchius

Principalis autem, vel ut Zanchius *Prima* efficiens (ut in reconciliatione oſtendi) Deus eſt. Sic enim Spiritus ſanctus in Scripturis Rom 3, 30. *Deus unus eſt, qui juſtificabit.* Et Rom. 8, 33. *Deus eſt is, qui juſtificat.* Nimirum Deus pater. *Qui proprio filio non pepercit*, verſ. 32. Cæterum quod dico, Deum patrem juſtificare, id non eſt intelligendum, quaſi nullæ eſſent Filij & Spiritus ſancti partes in juſtificatione. Etenim quum juſtificatio ſit Divinæ naturæ ſive Deitatis actio, nempe ab intellectu & voluntate proficiſcens, quæ in omnibus perſonis, quia ſunt unus tantum Deus, eadem ſunt, fieri non poteſt, ut omnium & ſingularum eſſe actio non intelligatur. Verùm pater (ut ea breviter repetam, quæ in reconciliatione explicandâ copioſè tradidi) principalis ejuſmodi actionum, quæ ſunt ad extra, cauſa eſſe dicitur, quoniam duæ aliæ perſonæ (Filius & Spiritus ſanctus) ab illo habent ut exiſtentiam, sic etiam operationem, in omnibus, quæ ad creaturas, quoquo modo pertinent.

( ).

CAP.

CAP. X.

De Causâ Efficiente meritoriâ.

1\. Causa efficiens minus principalis est Jesus Christus; qui eâ ratione in opere Redemptionis interdum Dei servus appellatur. *Cognitione sui justificabit justus servus meus multos*, Esai. 53, 11. Hunc autem, per quem justificandi sumus, esse Christum scriptura declarat. *Quærimus justificari per Christum*, Galat. 2, 17. *Huic omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis, qui crediderit in ipsum*, Act. 10, 43. *Notum sit vobis fratres, annunciari vobis remissionem peccatorum per istum; Et ab omnibus, à quibus per legem Mosis justificari non potuistis, per hunc quemvis, qui credit, justificari.*

Esai. 53. 11. Galat. 2. 17. Act. 10. 43.

2\. Hæc causa efficiens à Theologis vocatur causa Meritoria; cujus rationem in loco de reconciliatione plenius explicavi. Testis est Ecclesia Anglicana: *Justificamur per merita Servatoris nostri Christi*, Serm. de Salvat. part. 3. Et paulò post disertis verbis dicitur, *Solum Christum ipsum justificationis causam esse meritoriam.* Deinde affirmatur, *Deum ex suâ misericordiâ, per sola merita filij sui JESU Christi justificâsse nos.* In quâ unâ sententiâ causæ duæ efficientes, principalis & meritoria conjunguntur.

Eccl. Angl.

Eadem est Theologorum plurimorum sententia. *Addit causam, propter quam justificamur, scil. meritum Christi.* Melanchthon ad Rom. 3, 25.

Melanchth.

CHRISTUS suâ obedientiâ gratiam nobis apud Patrem acquisivit, & promeritus est. Calvinus Institut. lib. 2. cap. 17. n. 30.

Calvinus.

Chri-

Christus per suam obedientiam nobis justitiam acquisivit. Calvin. Instit. lib. 3. cap. 14. n. 17. — Calvinus.

Per redemptionem, quæ est in Jesu Christo justitia nobis conficitur. Justitiam Christi pro nobis sisti oportet, ac judicio Dei repræsentari velut sponsorem. Hac nos instructi assiduè peccatorum remissionem in fide obtinemus. Hujus puritate velatæ nostræ sordes & imperfectionum immunditiæ non imputantur, n. 12.

CHRISTUS *ipse sola causa meritoria est justificationis nostræ.* Rennech. aur. cat. cap. 26. — Rennecher.

Apostolus vocat Christi δικαίωμα causam meritoriam absolutionis & vitæ, Paræus ad Rom. 5, 18. — Paræus,

Justitia ex unius tantùm merito derivatur in omni fidei cognatione ad Christum pertinentes, Fox. de Christo justific. lib. 2. pag. 102. — Foxus.

Christus resurrexit propter justificationem nostram, tum ut justificationem promeritam testatam faceret, tum ut merita sua nobis applicaret. Scharpius de justif. controv. 10. in respons. ad object. 1. — Scharpius.

Status quæstionis de justificatione Pauli tempore fuit de Efficiente & meritoriâ causâ justificationis: Utrum ea esset Christi satisfactio fide apprehensa, an verò opera nostra, Bucanus Institut. loc. 31. q. 40. — Bucanus.

Externa impulsiva justificationis causa est Christus θεάνθρωπος, tum meriti, tum efficaciæ ac operationis illius respectu. Trelcatius Inst. lib. 2. de justif. part. κατασκ. ¶ Externa impulsiva. — Trelcatius.

Altera efficiens causa est Christus, qui remissionem peccatorum, ac vitam æternam solus nobis impetravit ac promeritus est. Zanchius ad Ephes. loc. 2. ¶ 2. Et in lib. qui dicitur de Religione, Christiana fide c. 11. art. 15. *Credimus Christum suâ perfectâ obedientiâ non solùm sibi, sed etiam nobis vitam æternam promeruisse.* Infinitus essem, si singula Theologorum nostrorum testimonia recenserem; venio ad Pontificios, qui in hac parte nobiscum sentiunt. — Zanchius.

Con. Trid. *Illi duntaxat beneficium mortis Christi recipiunt, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Conc. Trident. Seß. 6. c. 3. & cap. 7. *Meritoria causa justificationis nostræ est Dominus noster Jesus Christus.*

Lombard9. *Meruit Christus membris redemptionem à Diabolo, à peccato, à pœnâ.* Lombard. lib. 3. dist. 18. cap. De meritò.

Thomas. *Passio Christi causat remissionem peccatorum. Per modum redemptionis: Quia enim ipse est caput nostrum, per passionem suam liberavit nos, tanquam membra sua, à peccatis, quasi per pretium suæ passionis. Sicut si homo per aliquod opus meritorium, quod manu exerceret, redimeret se à peccato, quod pedibus commisisset.* Thomas p. 3. q. 29. art. 1. c.

And. Vega. *Per Christi justitiam & merita justificamur, tanquam per causam meritoriam, & suo modo efficientem.* Vega ad Concil. Trident. cap. 22. arg. 4.

Sotus. *Christus ipse meruit nobis, atq; adeò maximè per passionem.* Domin. Sotus de nat. & grat. lib. 3. cap. 7.

Bellarmin. *Christus causa est meritoria nostræ justificationis, quoniam passione suâ pro peccatis nostris integrè satisfecit, & nobis reconciliationem gratiamq; promeruit.* Bellarm. de justific. lib. 1. cap. 2. ¶ Est autem.

4. Tit. 2, 14. Rom 3, 24. 1. Tim. 2, 5. Est autem hæc justificatio per redemptionem pretio persoluto. Sic enim Spiritus sanctus Rom. 3, 24. *Justificamur gratis per redemptionem factam in Christo Jesu. Qui* (ut ait Apostolus Tit. 2, 14.) *dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos.* Mediator sc. Dei & hominis, 1. Timoth. 2, 5.

5. Matt. 20, 28. 1. Tim. 2, 6. Serm de salv. part. 1. Redemptionem autem hanc pretio persoluto esse factam Christus ipse declarat, quùm ita loquitur Matth. 20, 28. *Filius hominis venit, ut daret animam suam in redemptionis pretium pro multis.* Et Paulus 1. Timoth. 2, 6. *Qui sese ipse dedit redemptionis pretium pro quibusvis.* Huic sententiæ, ut par est, adscribit se Ecclesia Anglicana. Serm. de Salv. part. 1. ut supra ostendi: *Flagitabátur* (inquit) *ex Christi parte justitia, id est, satis-*

tisfactio justitiæ divinæ, vel pretium redemptionis nostræ oblatione corporis, & effusione sanguinis sui, simulq́ plenâ & perfectâ legis impletione. Unde Augustinus, vel quisquis fuit autor Sermonum de tempore apud Augustinum, dicit *Pretio sanguinis mundum esse emptum.* Serm. 117. Sed de istis tanta est omnium ferè Theologorum conspiratio, & in veritate consensio, ut (licet Socinus, & qui illum sequuntur homines, impij veritati refragentur) argumento non sit opus.

Sermone de tempore

Socinus.

6.

Cæterùm quæret fortasse aliquis, quodnam sit illud redemptionis pretium à Christo persolutum. *Generaliter respondere potest* (ait Calvinus Instit. lib. 2. c. 16. n. 5. Cui ego prorsus assentior) *Christum toto obedientiæ cursu hoc nobis præstitisse:* Quod ita probat.

Calvinus.

Si Christus cœpit ad nos redimendos pretium liberationis solvere, ex quo induit personum servi, tum toto obedientiæ suæ cursu illud pretium persolvit.

De consequentiâ propositionis hujus dubitari non potest; quoniam ab incarnatione ipsius, ut humiliatio, ita obedientia initium sumpsit. Nam illo primum tempore mitti sive donari à patre cœptus est, cui missioni quum pareret, patri cœpit obtemperare.

At Christus cœpit ad nos redimendos pretium liberationis solvere, ex quo personam servi induit.

Confirmat hanc Assumptionem Apostolus Phil. 2, 6. &c. *Ipse sese inanivit, formâ servi receptâ; similis hominibus factus est. Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen, quod est supra omne nomen, &c.* Etenim quum Spiritus Sanctus, quæ de Christi gloriâ loquitur, ea ad illam tantum obedientiam, quam in morte obeundâ præstitit, accommodanda esse non significaverit, ego certè nihil causæ video, cur ad totam referri non debeat: Conclusionem igitur ad omnia, quæ præcesserant,

Phil. 2, 6.

dico pertinere. *Quoniam inanivit se, & formam servi accepit, &c. Ideò Deus eum in summam extulit sublimitatem, &c.* Ex his ita disputatis concludo:

Ergo Christus toto obedientiæ suæ cursu pretium redemptionis nostræ persolvit.

7. Calvinus.

Verum quamvis hæc verissima esse, negari non potest: tamen *Scriptura* (ut ait Calvinus Instit. lib.2. cap. 16. n.5.) *quo certius definiat modum salutis, hoc morti Christi, quasi peculiare ac proprium, adscribit.* Quo de certa & clara sunt Scripturæ testimonia: *Venit filius hominis, ut daret animam suam in redemptionis pretium pro multis.* Matth. 20, 28. *Justificamur ejus sanguine,* Rom. 5, 9. *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effunditur, in remissionem peccatorum.* Matth. 26, 28. *Per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium, æternam redemptionem nactus,* Heb. 9, 12. *Non caducis rebus, argento vel auro, redempti estis, sed pretioso sanguine utpote agni puri & incontaminati, nempe Christi,* 1. Pet. 1. 18, 19. Sed ista non sunt ita interpretanda, quasi Spiritus sanctus opus nostræ Redemptionis ad solam Christi mortem pertinere judicaret; verum ideo quasi peculiari quodam modo Christi morte redempti esse dicimur, quoniam in morte opus illud admirabile consummatum est, atque perfectum.

Matt. 20, 28. Rom. 5, 9. Matt. 26, 28. Heb. 9, 12. 1. Pet. 1. 18.

8. Musculus. Paræus.

Ita loquuntur Theologi nostri: *Opus Mediationis, quo justificamur, perfectum est in cruce,* ait Musculus loc. com. de justific. ¶ 5. Paræus verò optimè. *Sanguinem Synecdochicè totum sacrificium vocat scriptura, quod in obedientiâ humiliationis cœpit, in morte fuit consummatum,* ad Rom. 3, 25. Itaq; Catechismus, qui in Palatinatu & Belgio summam Christianæ fidei docendam tradit, ad q. 37. *Passionem Christi non aliis cancellis, quam totius vitæ ipsius spatio circumscribit, quam tamen in morte præcipuè ponendam esse concedit.* Basting. eum locum explicans, eam ita describit, ut *à primo, quo natus est momento etiam ad eam, quâ mortuus est hora, sentiat pertinere.* ¶ Passio. Et ¶ sequenti

Cat. Palat. Bastingius.

Nam ut ille; *Obedientia Christi etiam illud putat comprehendi, quod factus sit sub lege, ut eam implere necesse habuerit.*

In eam sententiam pedibus eunt Pontificij. *Redemptio nostra* (ait Suarez in 3. tom. 1. disput. 4. Sect. 4. ¶ Ex hoc. Et disp. 39. Sect. 3. ¶ Secundo potest.) *passioni & morti Christi specialiter tribuitur; quùm non per solam illam, sed per omnia, quæ in vitâ mortali Christus operatus est, nobis meruerit, & pro nobis satisfecerit. Quod autem morti Christi redemptio adscribatur, eò fit; primum quia illud fuit præcipuum opus redemptionis nostræ, & maximè accommodatum ad satisfaciendum pro nobis. Secundò quia in illâ fuit consummata nostra redemptio*; ut idem Suarez ubi supra. *Ex divino* enim *pacto* (ait Suarez) *& ordinatione factum est, ut tota Christi vita ordinaretur ad integrum jus obtinendum, quasi per modum unius meriti in morte Christi consummandi.* Eandem fuisse Thomæ opinionem patet ex iis, quæ p. 3. q. 48. art. 1. ad 3. disseruit. *Passio Christi* (ait Thomas) *habuit aliquem effectum, quem non habuerunt præcedentia merita propter genus operis, quod erat convenientius tali effectui.* Quibus verbis etiam alia Christi merita salutem nostram causâsse significat; Sed hoc merito passionis attribui, ut causæ ad illum effectum producendum convenientiori: de quo videat Thomam qui velit, p. 3. q. 46. art. 3.

9. Suarez.

Thomas.

At quidam è nostris Theologis, Activam, quam vocant, Christi obedientiam à justificatione prorsus excludunt. Quod quùm faciunt, non illud agere, ut nullum esse illius obedientiæ meritum significent, sunt existimandi: sed quum justificationem unâ peccatorum veniâ (quod formam ejus attinet) putent comprehendi, ad quæ expianda sacrificio opus esse intelligunt: sacrificij autem vis omnis sanguinis effusione aut omninò, aut præcipuè sciant contineri, eâ solâ obedientiâ contenti, aliam non desiderant. Accedit eodem, quod hac disputatione id etiam conentur efficere; scil. formam justificationis, ut rectè Calvinus ad Concil. Trident.

10.

Calvinus.

Sess. 6. cap. 8. *Unicam & simplicem esse ostendant, quæ in remissione peccatorum posita sit, non etiam in legis impletione à nobis quocunque modo præstita.* Sed de istis si Deo visum fuerit, alio loco magis opportunè disseremus.

Ego autem in eâ sum sententiâ, ut Christi obedientiam, quam in lege observandâ præstitit, justificationis causam esse metitoriam, & credam, & præ me feram, eamque nobis ita communicari sive imputari, ut (quemadmodum Homilia nostra loquitur Serm. de salvat. part. 1. in extrem.) *Christus omnium in se credentium sit justitia. Ille enim* (ut eodem loco sequitur) *pro ipsis precium suâ morte persolvit. Pro illis in vitâ suâ legem implevit; ut jam planè quilibet homo Christianus observator legis possit nuncupari, quoniam quod ipsorum infirmitati deerat, id Christi justitiâ supplevit.*

Sermon. de salv. part 1.

12. Bellarmin.

Atque hoc quidem etiam Pontificii agnoscunt, teste Bellarmino. *Dicitur* (ait Bellarminus de justif. lib. 2. cap. 10. ¶ Deinde) *justitia nostra, quoniam satisfecit patri pro nobis, & eam satisfactionem ita nobis donat & communicat, quum nos justificat, ut nostra satisfactio & justitia dici possit.* Hactenus de causâ meritoriâ.

CAPUT XI.

De Justificationis causâ instrumentali, fide.

1. Calvinus.

FIdes etiam in causis justificationis efficientibus numeratur. Nam ita quidem de illâ disertis verbis loquuntur Theologi nostri. Calvinus sic ad Concil. Trident. Sess. 6. ad can. 9. *Hominem solâ fide justificari, quùm dicimus, fidem non fingimus charitate vacuam, sed ipsam solam justificationis causam esse intelligimus.* Et Institut.

lib.

lib. 2. cap. 17. n. 2. *Videmus ut priorem locum teneat Dei dilectio tanquam summa causa & origo: sequatur fides in Christum, tanquam causa secunda & propria.* Deinde in Commentariis suis ad Gal. 3, 6. rationem reddit cur fides censeatur causa justificationis, de quâ suo loco. Addit, *Quum fidei tribuimus hominis justificationem, non de causâ principali disputamus.*

Ursinus etiam Cat. de lib. hom. q. 21. art. 5. clarè vocat *Justificationem fidei effectum*; *fidemq; ait justificationis causam esse proximam.* Fides igitur justificationis nostræ causa est.

Vrsinus.

Quæ verò causa? *Principalem* non esse è Calvino didicimus ad Gal. 3,6. Quænam igitur? *Sciendum est* (inquit ad eundem locum idem Calvinus) *esse causam instrumentalem duntaxat, instrumentum scil. percipiendæ justitiæ, quâ justificamur,* ut ait Instit. lib. 3. 11. n. 7.

Calvinus.

Fides (ait Hunnius de justif. ad Rom. 3. pag. 153.) *ad justificationem necessaria est, ut causa instrumentalis.*

Hunnius.

Catechista (ait Bastingius in exposit. ad qu. 61.) *duas rationes adfert, cur è Paulo affirmemus Nos solâ fide justificari: Altera relationem habet ad Christum fidei objectum. Altera ad causam instrumentalem.* Postea vocat *solùm instrumentum, quo Christum accipere & apprehendere valeamus.*

Bastingius.

Chemnitius sæpissimè vocat *instrumentum* seu organon, *per quod misericordiam Dei quærimus, apprehendimus, recipimus, & nobis applicamus.* Exam. Conc. Trident. de fide justific. cap. Quid verè & propriè sit fide, quâ justificamur.

Chemnitius.

Justificamur per fidem (ait Ursinus Cat. de liberat. hom. q. 60. art. 6. ¶ Ut subjectum) *ut per causam instrumentalem.*

Vrsinus.

Justificationis causa instrumentalis interna, est salvifica fides. Bucanus Instit. loc. 31. de justif. q. 33. ¶ Instrumentalis.

Bucanus.

Eadem est nostratium Theologorum sententia. Willeti in Synopsi art. 6. de fide pag. 982. Perkinsi in Reform. Cathol. de justitiâ imputatâ different. 2. Justificationis igitur causa instrumentalis est fides.

CAP.

CAPUT XII.

Quid sit Fides.

1. QVanquam fides (ut significavi paulò ante) ad utramq; reconciliationis partem, non ad alteram tantũ, quæ est Justificatio, spectat; tamen feci, ut ejus explicationem hoc loco proponerem, quoniam id à Theologis ferè omnibus reperio factitatum. Quærendum igitur est, quid sit fides. Eam ita definit Ecclesia Anglicana Serm. de salvat. par. 3. *Recta & vera Christana fides est, Non solùm credere, sacram scripturam esse veram, sed etiam certam habere fiduciam de liberatione ab æterna damnatione per Christum.* Et Serm. de fide part. 1. *Fides est non solum assensus veritati de Articulis fidei, verùm etiam certa fiducia & confidentia misericordiæ Dei per Dominum nostrum Jesum Christum.*

Serm. de salv. part. 3.

Serm. de fide part. 1.

2. Ut ista fidei descriptio clarius illucescat, illud monendum videtur, Quum *duplex sit Actus; primus ipsa forma, in quantum est principium operationis; secundus ipsa operatio.* Thomas de potentiâ q. 1. art. c. Fidem, de quâ hîc differimus, non describi ut actum primum significat, quo ad credendum instituti sumus & apti, ut nihil amplius ad illud munus præstandum possit flagitari, sed ut actum secundum per hunc elicitum, quo credendi munere reverâ fungimur. Nam illud quidem est, quod Deus à nobis in scripturis postulat. Non ut *animos nostros fide exornemus,* sed ut *Deo* vel *in Deum credamus. Credite in Domino Deo vestro*, 2. Paralip. 20, 20. *Si potes hoc credere, omnia fieri possunt credenti.* Marc. 9, 23. *Illis qui credunt in nomen ejus,* Joan. 14, 1. *Si credis ex toto corde, licet.* Act. 8, 37. *Evangelium est potentia Dei ad salutem cuivis credenti,* Rom. 1, 16. Ideoque Israëlitas reprehendit Deus, quod *in ipsum non crederent.*

Thomas.

2 Paral. 20, 20.
Marc. 9 23.
Ioan 1, 12.
Joan. 14, 1.
Act. 8. 37

Quo-

Quonsq; non credent in me? Num. 14, 11. *Ignis succensus erat in Jacobum, ac etiam ira exarserat in Israëlem; Quia non crediderant in Deum,* Psal. 78, 21. 22. Credentes autem laudantur. *Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam,* Gen. 15. 6. Rom. 4, 3. *Beata est, quæ credidit,* Luc. 1, 45. *Quisquis credit in eum, non pudefiet,* Rom. 9, 33.

Num. 14, 11. Psal. 78. 21. Gen. 15, 6. Rom. 4. 3. Luc. 1, 45. Rom. 9. 33.

3. In hanc sententiam Ecclesia Anglicana in Homilia, quum fidem, quæ ad justificationem requiritur, describit, *Credere idem esse dicit, quod firmam habere fiduciam & confidentiam,* omninoque sermones illi quinque de justificatione & fide, actum fidei perpetuò inculcant.

4. Idem est Theologorum nostrorum judicium. *Christum omniaq; ejus beneficia apprehendere oportet, ut servemur.* Bastingius expos. q. 20. ¶ Igitur. Et ¶ Ex quo; *Fidem,* per quam servemur, *homini oculos aperienti comparat.* Unde Theologi tàm crebram faciunt mentionem, *Accipiendi, Apprehendendi, Credendi,* quibus vocibus actum secundum significari perspicuum est.

Bastingius.

5. Idem sentiunt Pontificii. Etenim fides ex earum præparationum. & dispositionum numero est, quæ ad justificationem flagitantur. Ideoque Concil. Trident. hanc præparationem actu credendi significari ostendit, cum *Credentes servari dicat.* Sess. 6. cap. 6. Ad quem locum Vega: *Verbum, Credentes, actum credendi significat,* lib. 6. cap. 15. ¶ Secundo loco. *Paulus* (ait idem Vega Opusc. de justif. q. 1. propos. 1.) *in iis locis, ubi de justificatione per fidem loquitur, non habitualem, sed actualem fidem significat.*

Conc. Trident. And. Vega.

In quam sententiam multò ante dixerat Durandus in 4. dist. 1. q. 8. n. 5. *Fidem requiri ut actum, non solùm ut habitum.*

Durandus.

Quod etiam ante Durandum Thomas affirmaverat; *Actus vel motus mentis requiritur ad justificationem peccatoris,* 1. 2. q. 113. art. 4. c. Eademque est Conradi ad eundem locum sententia: Et Thomæ ubique in Commentariis suis in Epist.

Thomas. Conradus, Thomas,

ad Rom. 3. lect. 3, v. 22, & lect. 1. ad cap. 4. v. 5, & ad Galatas cap. 3. lect. 3.

Vasques. Unde Vasques in 1. 2. disp: 209. cap. 2. n. 5. Fidem vocat *Operationem intellectus.*

Sotus. Dominicus etiam Sotus *Apostolum dicit, quum hominem Fide justificari affirmat, de actu Fidei loqui.* De nat: & grat: lib. 2. cap. 12.

Bellarmin. Si unum addidero Bellarmini testimonium, finem faciam. *In eo certè* (inquit Bellarminus de justif. lib. 1. c. 3. ¶ Ut igitur,) *nobiscum Adversarij conveniunt, actum Fidei requiri, ut Justificationem adipisci valeamus.* Et c. 6. ¶ Hæc Philosophia; Et cap. 12. ¶ Igitur.

6. Jam verò, quùm duæ sunt animi sive facultates sive partes, in earum utraque fides reperitur. *Sedem habet Fides* (inquit Scharpius de justif: pag. 24, & pag. 26.) *cùm in intellectu, tùm in voluntate.* Et Hunnius ad Rom. 3,24. *Fidem* ait *notitiâ fiduciâq; simul junctis definiri.* Ac de illo quidem nulla potest esse controversia. Quis enim Credere intellectus esse actionem diffitetur? *Per fidem* (ait Apostolus Heb. 11,3.) *intelligimus compactum esse mundum verbo Dei.* Ad voluntatem autem pertinere fidem, omnes illi Scripturæ loci declarant, qui de fidei obedientiâ loquuntur. Obedire namque voluntatis est. *Obedientia propriè* (ait Willetus Synopsi de fide in 2. responsi ad 2. argum: Bellarmini) *in voluntate est, non in intellectu.* Nam intellectus certè nullæ aliæ sunt partes, nisi ut ostendat obtemperandum esse, illud præceptum, sive illam propositionem, quo parere jubemur, verum esse concludendo; unde voluntas, ut obsequamur, imperat atque efficit. De obedientiâ fidei his & similibus locis loquitur Spiritus sanctus, Rom. 1, 5. *Accepimus gratiam & Apostolatum ad obedientiam Fidei;* id est, ut obedientiam præstent homines credendo. *Fides vestra annunciatur in toto mundo,* Rom. 1, 8. Nempe professio fidei, de quâ Rom. 16,19. *Vestra obedientia ad omnes pervenit,* sc: Omnes

Scharpius. Hunnius. Heb. 11,3. VVilletus.

intelligunt vos Credendo Evangelio paruisse. Hinc est illud Augustini, *Obedientia Credendi*, in Joan. tractatu 29.

Augustinus

7.

Cæterum, in fide, quatenus intellectu comprehenditur, solius veritatis habetur ratio. Eadem verò, quatenus in voluntate versatur, beneficium aut commodũ aliquod spectat. Atq; (ut de illâ prius differam) *Quùm duplex sit actus intellectus*, nimirum *Inquisitio sive apprehensiva cognitio & assensio, seu judicativa cognitio*, (ut rectè Suarez de Trin: lib. 1. c. 11. fidei cum illâ priori nihil est commercii, nisi quod rei incognitæ assentiri nemo queat. Quamobrem illam antecedere necesse est, ut hæc deinceps consequatur. Jam fides, ut ad intellectum pertinet, est assensus divinæ veritati è solâ Dei affirmantis autoritate. Ideoque Calvinus Institut: lib. 3, cap. 2, num. 7. Fidem vocat *firmam certamq; cognitionem, quæ revelatur mentibus nostris per Spiritum sanctum*. Notitiam verò hanc assensum significare docet num: eod: *Fidei* (inquit) *officium est veritati Dei subscribere*. In eamq; sententiam Petrus Martyr *Fides est assensus, & quidem firmus verbis Dei, non ex ratione aut evidentiâ naturali, sed ex autoritate dicentis*, ad Rom: 3, 22. Talis fuit Abrahami fides, quâ fiebat, ut *ad Dei promissionem non addubitaverit incredulitate, sed corroboratus fuit fide, ac plenè certioratus, eum, quod promiserat, posse etiam efficere*, Roman: 4, vers: 20, 21.

Suarez.

Calvinus.

Pet. Martyr

8.

Ac fide quidem etiam fiduciam significari non solum apud alios autores, sed apud Spiritum sanctum quoq; in sacris scripturis copiosè ostenderunt Melancht. tom. 1. fol. 187. & tom. 2. fol. 799. Budæus in Comment: ad vocem Πίστις. Illyricus in Clavi ad vocem Fides, & Chemn: ad Melancht: de justif: pag. 670. Ut rectè dixerit Erasmus ad Rom, 2, 17. *Sacras literas fidem frequenter usurpare pro fiduciâ erga DEUM, ut non multum differat à Spe: interdum pro Credulitate sive persuasione, quâ assentimur his, quæ de illo nobis tradita sunt, quâ credunt & Dæmones. Nonnunquam hæc omnia complectitur voca-*

Melancht. Budæus. Illyricus. Chemnitius Erasmus.

bulum Fides; Assensum illum & in narratis & in promissis, & Fiduciam ex illius omnipotente bonitate conceptam, non sine spe, hoc est, expectatione promissionum.

9. Hic verò fidei actus, quam Fiduciam vocat Ecclesia nostra, ab eadem Homil. de fide part. 1. sic explicatur; ut sit *In Deum credere, Deo nos totos credere, Ex Deo pendere.* Eodem modo loquuntur nostri Theologi, quùm dicunt, *Nos Fide in Dei verbum, vel in Christum recumbere.* Calvinus Institut. l. 3. c. 2. n. 7. Zanchius de 3. Elohim part. 1. lib. 4. cap. 7. 8.

Serm. de fide part. 1.

Calvinus. Zanchius. Zvvinglius

Nos in Christum fide conjicere, Zvvinglius ad Luc. 2, 6.

Melanchth. *Acquiescere in Deo.* Melanchthon. in Exam. art. de justif.

Albizius. *In Christi satisfactione,* Albizius Exercit. Theol. part. 2. q. 1. de justif. in conclusione, & q. 30. in conclusione.

Bullinger. *Committere, credere nos Deo.* Bullinger. ad Rom. 4, 3.

Zvvinglius *Deo per Christum fidere,* Zvvinglius ad Rom. 14, 17.

Illyricus. *Confidere in Deum,* Illyricus ad Rom. 4, 3.

Musculus. *Firmâ fiduciâ à Dei bonitate pendere.* Musculus loc. com. de partibus fidei.

Bucerus, *Credendo adhærere Deo.* Bucerus in Conc. art. fol. 128.

Bullinger. Ramus. *Fiduciam in Deo collocare.* Bullingerus ad Rom. 3, 26. & Petrus Ramus de Relig. lib. 1. cap. 2.

10. Hujus autem fidei, ut Assensum significat, *Generale objectum adæquatum* (ut loquuntur) *est Dei veritas, sive minetur, sive spem faciat gratiæ, & habet respectum ad omnes verbi Dei partes,* Calvinus Instit. lib. 3. c. 2. n. 30. Hæc est illa fides, quæ historica vocatur. *Non quod tantum circa historias Biblicas versetur* (ait Chemn. ad Melanchth. de justif. pag. 67.) *sed quia in genere statuit vera esse, quæ in verbo Dei revelata sunt simplici notitia, qualis solet esse historiæ.* Unde Melanchth. *fidem esse* dicit *Assensum omni verbo Dei nobis tradito.* in Exam. art. de justific.

Calvinus. Chemnitius. Melanchth.

Chemnit. Chemnitius fidem ita describit, ut dicat *eam complecti historicam notitiam eorum, quæ in Scripturâ à Deo proposita sunt; & generalem assensionem, quâ statuimus ea, quæ in verbo Dei nobis*

revelata sunt, vera esse non propter argumenta rationis, sed quia certi sumus à Deo, qui verax & omnipotens est, illa tradita & proposita esse. Exam. Conc. Trident. de fide justific. cap. Quid verè & propriè sit fides justificans ¶ Est enim.

Et Polanus Partit. Theolog. lib. 2. pag. 368. eam vocat *Notitiam & Assensum, quo creditur verum esse, quicquid Deus credendum præcepit.* Et Ursinus in Exposit. præcepti primi. *Fides est vera persuasio, quâ assentimur omni verbo Dei nobis tradito:* ut antea Melanchthon.

Polanus,

Fidei verò (ut à voluntate proficiscitur) objectum est *Promissio Dei de bono vel spirituali vel corporali consequendo. Sic futurum* est *semen tuum.* Gen. 15, 5. *Non deseram te, neq; derelinquam te,* Jos. 1, 5. Hebr. 13, 5. Eâ causâ fidem appellat Homilia nostra, *fiduciam de liberatione à damnatione.*

11.

Gen. 15, 5.
Jos 1.5.
Heb. 13, 5.

CAPUT XIII.

Fides justificans est fiducia.

Ex illis igitur ita disputatis liquidò constat, fidem quam justificantem dicimus, & de quâ nunc agimus, in utraque animi facultate positam esse: præsertim si fiduciam esse, quod affirmat Ecclesia Anglicana in Homiliâ, de quâ sæpe, concedamus, aut probemus: quoniam in voluntate esse, quæ fiduciæ sedes est, ne intelligi quidem potest, ut nō etiam in intellectu consistere judicetur, quum hic fons & radix esse cognoscatur, è quo actus illius omnes oriantur. Voluntas enim ex omnium philosophorum sententiâ nihil operatur, nisi ex intellectus judicio practico & determinatione. Præterea, quonam modo fieri potest, ut Deo fidamus ad bonam aliquod ab eo promis-

ſum adipiſcendum, niſi promiſſionem illam prorſus veram eſſe credamus, Deumque quod pollicitus eſt poſſe præſtaret. Atque ad hunc quidem modum fides primum in intellectu, deinde etiam in voluntate eſſe dicitur.

2. Calvinus. Eſt autem illius objectum ſpeciale, Gratuita Dei promiſſio, *in quâ Fides* (ut ait Calvinus Inſtit. lib. 3. cap. 2. n. 29.) *propriè conſiſtit, in quâ incipit, in quâ deſinit.* Et eodem loco n. 30. *Miſericordiæ* (inquit) *promiſſionem fidei in proprium ſcopum deſtinamus, quæ nunquam conſiſtit, donec ad gratuitam promiſſionem pervenerit.* Zanchius etiam fidem appellat *firmum & indubitatum aſſenſum in promiſſione Dei*, de Opere redempt: lib. 1. col. 282. Et Chemnitius Exam: Concil: Tridentini de fide juſtif: cap. Quid verè & propriè ſit fides juſtificans, ¶ Firma. *Promiſſionem de gratuitâ miſericordia in Evangelio, verum eſſe, proprium & principale objectum Fidei juſtificantis* affirmat. Idem poſtea dicit ¶ In ſexto; & ¶ Firmum igitur.

(Margin: Zanchius. Chemnitius)

3. Con. Trid. Quod etiam Pontificii agnoſcunt, adeoque Concilium ipſum Tridentinum Seſſ. 6. de juſtific: cap. 6. *Objectum Fidei* (ait Synodus Tridentina) *eſt quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt; atque illud imprimis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.*

4. Jam ipſa fidei juſtificantis natura & quaſi forma in eo conſiſtit, ut Chriſto nitamur, & in eum toti recumbamus ad juſtificationem & ſalutem æternam per ipſum conſequenda. Quod Eccleſia noſtra Homil. de ſalvat. part. 1. *Liberationem appellat ab æternâ damnatione per Chriſtum:* eamque liberationem ſic exponit, ut *ſub eâ comprehendat omnia bona à Deo accipienda, nominatim Ipſum peccata noſtra vobis condonaturum, propter filium ſuum ſervatorem noſtrum Jeſum Chriſtum: noſque regni cœleſtis hæredes facturum.* Quare Calvinus quum fidem *Aſſenſionem* vocaſſet, addidit, *Eam cordis eſſe magis quàm cerebri, & affectus quàm Intelligentiæ.* Inſtitut: lib. 3. cap. 2. n. 8. Ideoque Eccleſia noſtra (ut ſupra dixi) fidem ita deſcribit, ut dicat,

(Margin: Sermon de ſalv. part 1. — Calvinus.)

Non

Non solùm generatim credere veros esse Articulos fidei, sed esse præterea firmam fiduciam misericordiæ divinæ per Dominum nostrum Jesum Christum.

5. Atque hæc quidem est illa fiducia vel confidentia, de quâ in descriptionibus & definitionibus fidei Theologi nostri loquuntur, quâ misericordiam DEI peccata propter Christum remittentis amplectitur. Quam quum patres Tridentini repudiârent, eo nomine à Calvino meritò sunt reprehensi. Antidot. ad Conc. Trident. Sess. 6. cap. 2.

Conc. Trident. Calvinus.

Cum Calvino sentit Melanchthon loc. comm. de fide: Qui fidem definit *Fiduciam misericordiæ Dei propter Christum Mediatorem.*

Melanchth.

Eam *Fiduciam formam Fidei* vocat Pezelius ad Melanchthon. de justif.

Pezelius.

Fides (inquit Chemnitius ad Melanchth: de justificat: pag. 660.) *est talis notitia in mente, ad quam sequatur assensus in voluntate, & motus cordis desiderio & fiduciâ apprehendens & applicans sibi objectum, quod bonum esse monstratum est, ita ut in ipso acquiescat.*

Chemnit.

Ita Lutherus: *Fides est fiducia in Filium Dei, vel potius fiducia cordis in Deum per Jesum Christum,* ad Galat: 3.

Lutherus.

Hunnius (ut paulò ante) Fidem *notitiâ fiduciâq; simul junctis ait definiri,* ad Rom. 3, 24.

Hunnius.

Olevianus *fiduciam vocat*; dicitque *peccata Davidis remissa esse fiduciâ in sacrificio Christi, qui venturus erat*, in Symb. pag. 117, & de subsistent: fœder: part. 1. art. 3. § 16.

Olevianus.

Ex notitiâ (inquit is de quo modò Pezelius) *oritur assensus, ex assensu fiducia; quam sequitur consolatio. Rectè itaq; Veteres dixerunt, Fidem non solùm apprehensivam esse, sed quietativam,* ad Melanchth. de fide ad arg. 3.

Pezelius.

Fides (inquit Zvvingl. ad Luc. 12, 10.) *duo complectitur, Cognitionem sive scientiam, & Adhæsionem.* Illam verò adhæsionem

Zvvinglius

in-

interpretatur, quum dicit (quod sæpe facit) *Nos in Christum conjici. Justum esse coram Deo est, Fide se in Christum conjicere*, ad Luc. 1, 6. *Totâ fiduciâ in Christum conjectus*, ad Matth. 21, 28. Unde *Christianum populum hinc ait censeri Christianum, quod Deo fidat per Christum*, ad Rom. 14, 17. Et *Credere*, Matth. 23, 13. exponit *Omnem fiduciam in Christum collocare*.

Ramus. Postremum illud ex eo sumpsisse videtur Petrus Ramus, quum fidem definit *Fiduciam in Deum de ipsius beneficiis erga suam Ecclesiam*; de Relig. lib. 1. cap. 2. ubi etiam verba Zanchii usurpat, quùm *Credere* interpretatur *Fiduciam in Deo collocare*.

Bullinger. In eam sententiam Bullingerus, *Deus eos justificat, qui omnem fiduciam in ipsum per filium collocant*; ad Rom. 3, 26.

Bucanus. *Fides* (ait Bucanus Institut. loco 29. de fide) *est fiducia in misericordiam Dei propter Christum*.

Zanchius. Hinc est illud Zanchii: *Deum velle ut Fides nostra in ipsum recumbat*. De 3. Elohim partibus 1. l. 4. c. 7. ¶ 5. & cap. 2. ¶ 12. & parte 1. art. 3. ¶ 16.

Musculus. Et Musculus loco comm: de justif: ¶ 5. ait *Eos rectè docere, qui Fidem justificantem vocant fiduciam promissionibus Evangelij innitentem*.

6. Conf Basil. Eademque est Ecclesiarum reformatarum sententia. Sic enim Basiliensis: *Justitiam & satisfactionem pro peccatis attribuimus veræ fiduciæ & fidei in sanguinem agni Dei pro nobis effusi*, Sectione 9. Confess: Basileensis.

Conf. Boh. Sic Ecclesia Bohem. *Hæc fides solum, & hæc interna fiducia cordis in Jesum Christum Dominum nostrum, hominem justificat & justum facit coram Deo*. Harm. cap. 6. Sect. 9.

Conf. Sax. Ita Ecclesiæ Saxoniæ. *Hæc Fides est etiam Confidentia nitens mediatore secundum Rom. 5, 1.* Et pag. 286. affirmant Augustinum ad Psal. 31. per *Fidem sine dubio significare confidentiam, quâ remissionem peccatorum accipiat.*

7. Item fuisse Ecclesiæ Anglicanæ judicium ab initio refor-

formatæ apud nos religionis manifestum est, non solùm ex Homiliarum libro, sed etiam ex aliis quibusdam libris, qui illo ferè tempore in lucem prodierunt. *Fides est firma in Deum fiducia per sanguinem Jesu Christi,* Notæ ad Testamentum Novum 1. Corinth. 13, 2.

Notæ ad Testament. Novum.

Credere est firmam habere fiduciam & confidentiam adipiscendi ejus, quod promissum est, nec de ejus qui pollicetur fide, quicquam dubitare, Thomas Matthæus ad Gen. 15, 16. in Bibl. 1546. Et prolog. ad Roman. pag. 3. ¶ Faith then. *Fides est viva & certa fiducia in Dei benevolentiam, quâ nos totos Deo credimus.*

Thomas Matthæus.

CAPUT XIV.

Probatur è Scripturis Fidem justificantem esse Fiduciam.

1\. HActenus fidei justificantis naturam fiduciâ contineri & Ecclesiarum quarundam judicio, & multorum Theologorum testimoniis perspicuum feci. Superest ut scripturarum accedat autoritas. De quâ dubitandum esse non videtur, quum eam, de quâ agitur, fiduciam Deus à populo suo semper flagitaverit, ut bona quibus ipsis opus erat, consequerentur, & malis, quæ impendebant ipsis, liberarentur. Neque enim verisimile est ad summum beneficium à Deo adipiscendum leviorem fidem requiri, quam quæ ad minima quævis acquirenda postulatur. Quam igitur fidem ab Israëlitis exigebat Deus, ut sarti tecti, ut à malis immunes esse possent? Hanc nimirum, ut in ipsum crederent, ut illi de ipsis adipiscendis confiderent. *Credite in Domino Deo vestro* (ait Jehosaphatus 2. Paral. 20, 20.) *& confirmabimini.* Quare discipulos suos hortatur Christus, ut *in ipsum credant,* Joan. 14, 1. *Creditis in Deum, in me etiam Credite.* Nume-

2\. Par. 20, 20.

Joan, 14, 1.

Num. 14 11
Act. 16,30.
32.

mer. 14, 11. *Quousq; non credent in me? Quid oportet me facere ut server*, ait Commentariensis Act. 16, 30. Respondent Paulus & Silas, *Crede in Dominum Jesum Christum, & salvaberis*, v. 32.

2.

Apponamus exempla, ad majorem rei evidentiam. *In manus Reubenitarum traditi sunt Hagareni*, 1. Paral. 5, 20. Quid ita? Nam *ad Deum clamaverunt Reubenitæ in prælio, & exoratus fuerat ab eis, quia fiduciam collocaverant in eo.* At verò, quî factum est, ut Syrorum copiæ à rege Asa deletæ non fuerint? Dicat Propheta Hananias. *Quandoquidem* (inquit Propheta 2. Paral. 16. 7.) *innixus es rege Syriæ, ac non innixus es Jehovâ Deo, idcircò proripiunt se copiæ regis Syriæ ne sint ad manum tibi.* Deinde exemplo confirmat Propheta quod dixerat: *Annon Æthiopum illorum & Lybium erant copiæ numerosæ curribus & equitibus quam plurimùm? Tamen quum innitereris Jehovâ, tradidit eos in manum tuam.* Multa reperietis in hanc sententiam in libro Psalmorum. Psal. 2, 12. & 78, 21, 22. & 125, 1. Ex istis ita disputo:

2, Par. 16, 7.

Psal. 2, 12, & 78, 21. 22 & 125. 1.

Quod Deus fidei voce à populo suo ad quævis minima beneficia consequenda flagitavit, id à nobis eadem voce fidei ad justificationem, & salutem adipiscendam postulat.

At Deus fidei voce à populo suo ad quævis minima beneficia consequenda fiduciam in ipsum flagitavit.

Ergo Deus fidei voce fiduciam à nobis ad justificationem & salutem adipiscendam postulat.

3.

Accedit eodem, quod ipsis loquendi modum, quo uti Spiritus sanctus voluit in Novo Testamento dictando, fiduciam complecti perspicuum sit. Quid enim est *In Christum credere?* An id solummodo, credere vera esse, quæ Christus loquitur? At quid opus erat Spiritui sancto tàm novum & insolens verbum usurpare, præsertim obscurum etiam & à vulgari intelligentiâ remotum: Quod rectè & clarè dici potuit Χριστῷ πιστεύειν, id Spiritus sanctus novo more dicendi εἰς Χριστὸν πιστεύειν voluit obscurare? Nam hic certè loquendi modus εἰς Χριστὸν πι-

στεύειν

στεύειν totus eſt à Spiritu ſancto illi proprius, nec ullum è Græcis autorem agnoſcit; ne illos quidem 72. interpretes, qui Hebræa Biblia Græcè reddiderunt, à quibus Apoſtoli & Evangeliſtæ multa in ſcriptis ſuis, quod ipſum loquendi morem attinet, crebrò mutuentur. Quamobrem plus quàm veriſimile videtur Spiritum ſanctum, quũ novo loquendi more utatur, quem fiduciam ſignificare perſpicuum eſt; aliud quiddam, præter communem vocis ſignificationem proponere voluiſſe.

Reſpondebit fortaſſe aliquis, ſequutum eſſe Spiritum S. Hebræos V. Teſt: ſcriptores, qui affixum ב, ad illam vocem, quæ credere ſignificat, frequenter adjungũt. Quod mihi quidem non videtur, quum illi, quos paulò ante nominavi interpretes, qui & Hebraicè & Græcè ſciverunt optimè, hunc loquendi modum omninò non uſurpaverint. Nuſquam enim ita loquuntur, ut εἰς θεὸν πιστεύειν dicant; ſed vel θεῷ, quod eſt maximè uſitatum, vel ἐπὶ θεῷ, vel ἐν θεῷ, vel quod raró fit, ἐμπιστεύειν θεῷ. Quid quod illis etiam in locis, ubi Dativus Græcus ponitur, & affixum illud apud Hebræos, non id tantùm velit Deus, ut quæ dicit, vera eſſe agnoſcant, ſed etiam ut de iis, quæ facturus pollicetur, confidant. *Crediderunt Jehovæ & Moſi ſervo ejus*, Exod. 14, 31. Quid autem eſt Jehovæ credere; niſi quum vera eſſe, quæ promittit tibi, perſuaſeris, illi de eo quod promiſit, præſtando confidere: At dicuntur etiam Moſi crediſſe? Quidni dicantur? Deus enim Moſis miniſterio auxilium illis ferebat. Deo igitur, ut ſalutis & liberationis autore, Moſe autem & prophetis, ut ejus miniſtris & quaſi inſtrumentis nitendum erat. Quod autem Chriſtus apud Marcum populum hortatur, ut *credant* ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, id hanc habet ſententiam, ut illi de ſalute adipiſcenda confidant, nõ ſolùm ut credant vera eſſe quæ dicit. Omninò quum fiduciam verbo Credendi apud Hebræos, Græcos, & Latinos contineri certiſſimum ſit, & Spiritus Sanctus novum loquendi

4.

Exod. 14, 31

modum adhibeat, quo illam comprehendi perſpicuum ſit, nihil cauſæ eſt, cur fidem complecti fiduciam dubitemus.

5. Ac illum quidem loquendi modum *in Deum credere,* aliud quiddam ſignificare, quàm *Deum,* vel *Deo credere,* omnes ferè Theologi confitentur. *Credere in Deum* (ait Auguſtinus in Pſalm. 77.) *utiq; plus eſt quàm credere Deo.* Et in Joan. tract. 29. *Non continuò qui credit ei, credit in eum. Nam & Dæmones credebant ei, & non credebant in eum.* Auguſtino Lombardus aſſentitur lib. 3. diſt. 23. cap. Illud eſt. Et Thomas 2. 2. q. 2. art. 2. ad 1. & ad 4. Et ad Rom. Rom. 4, 3. lect. 1. Et Gloſſa ordinaria ad Rom. 4, 5. Et ad eundem locum Dominicus Sotus, qui ita loquitur: *Conſultò Paulus non dicit Credenti ei, ſed Credenti in eum. Quæ phraſis voluntatis affectum deſignat, comitem fidei.* Quibus verbis & diſcrepare illa *Credere Deo, & Credere in Deum* confitetur, & affectum voluntatis hac phraſi ſignificari concedit. Neque id quidem ſine ratione. Quid eſt enim, Credenti in eum, qui juſtificat impium? Credenti vera eſſe, quæ affirmat is, qui juſtificat impium? Ac non illud potius, In illo fiduciam collocanti. Illud verò quàm perſpicuum? *Ecce pono in Sione lapidem; & quiſquis credit in eum, non pudefiet,* Rom. 9, 33. 1. Pet. 2, 6. Quomodo in hunc lapidem credi poteſt? Niſi ut quis illo nitatur, ad illum adhæreſcat. Eſaias ita Hebraicè: *Qui credit, non feſtinabit,* quaſi diceret: *Se in Deum conjiciet, ut ille ipſi ſubveniat, & patienter expectabit, dum, quod pollicitus eſt, præſtet.* Apoſtoli Græcè ſignificant eventum, qui hunc fidei actum conſequetur, per negationem contrarij tropo eleganti propoſitam. Nam qui auxilium expectans in fugam vertitur, illum & fiduciæ ſuæ pudet, & amiſſæ, quam ſperavit, victoriæ. Quod illi certè nunquam accidet, qui Chriſto tanquam rupe nititur ad ſalutem conſequendam. Hoc etiam Chaldæus paraphraſtes ſignificat, quum dicit, *non fore, ut moveatur.* De quo eſt elegans illa Domini parabola apud Matthæum, *Decidit* (inquit Chriſtus Matth. 7, 25.) *nimbus. & ve-*

Augustinus
Lombardus
Thomas,
Gloſſa.
Sotus.
Rom. 9. 33.
1. Pet. 2. 6.
Chald. Paraph.
Matth. 7, 2.

nerunt flumina, & flaverunt venti, & inciderunt domui illi, ſed non cecidit. Fundata enim fuerat ſuper petram. Ex quibus conficitur fidem juſtificantem, etſi verbo Dei, ejuſque ſingulis promiſſionibus aſſentiatur, tamen propriè quod juſtificationē attinet, in voluntate poſitā eſſe, & fiduciâ in Chriſtum contineri.

6. Verum, qualis tandem eſt illa, quam dicimus, fiducia? Nimirum quâ Deo nitimur ad Remiſſionem peccatorum per Chriſtum obtinendam: vel Qua Chriſto confidimus, de veniâ per illius merita & ſatisfactionem acquirendâ. *Fides* (inquit Eccleſia Anglic. Serm. de fide part. 1.) *eſt vera fiducia & confidentia, Deum ex ſuâ miſericordiâ per Jeſum Chriſtum condonaturum nobis peccata noſtra, eorumq́ue obliturum, noſq́ue hæredes cæleſtis ſui regni cum illo facturum.* In quam etiam ſententiam Matthæus *Fidem vocat conſequendi illud, quod promiſſum eſt, fiduciam.* Et Zanchius de operibus redempt. lib. 2. col. 282. eam definit *Indubitatum aſſenſum in promiſſionibus Dei, de remiſſione peccatorum & juſtitiâ accipiendâ, æternâq́ue vitâ conſequendâ à Deo per Chriſtum.* Albizius autem dilucidè & apertè loquitur: *Fides non apprehendit remiſſionem peccatorum jam adeptam, ſed Chriſti pro nobis ſatisfactionem apprehendit, ex quâ apprehenſione conſequitur remiſſio peccatorum.* Exerc. Theol. part. 2. 8. ad 3. Quare quum fidem fiduciam eſſe dicimus, non eam ſignificamus fiduciam, quæ peccata remiſſa eſſe confidat, ſed illam, quæ Chriſti meritis ad remiſſionem peccatorum deinceps comparandam nitatur.

Serm. de fide part. 1.

Thomas Matthæus.

Zanchius.

Albizius.

CAPUT XV.

Fides non eſt fiducia de peccatis remiſſis, aut de Chriſto pro nobis mortuo, perſuaſio.

Sunt, qui ſic exiſtiment, fidei naturam perſuaſione de peccatis, jam remiſſis contineri. Id ſecus eſt; ideoq; minuen-

da est illorum opinio. Quod ita quidem fieri posse confido; nimirum si cogitemus, hanc, quâ de agimus, persuasionem, justificationem ipsam sequi, non illi præcedere, nisi falsa esse intelligatur. Nam si ego remissa jam esse peccata mihi persuadeo, quæ planè remissa non sunt, priusquam ista persuasio in animo meo insederit, prorsus credere me, quod falsum est necesse fuerit. Immò verò (dicet fortasse aliquis) tu jam antea justificatus es, non justificandus ex fide, sed ideò, cum credis, justificari dicendus es, quia fidei beneficio de justificatione tuâ certior factus es. Quæ si vera essent, immanentem esse Dei actionem, non transeuntem, quam tractamus, justificationem, oportebat. At transeuntem esse probavimus, non immanentem. Ac si justificari idcircò dicimur, quia nobis de justificatione nostrâ constat, quidni etiam electi & prædestinati esse dicamur ex fide, quoniam per eam electos esse nos & prædestinatos credimus? Nam si justificatio immanens sit Dei actio, non minus quàm electio, nihil causæ video, quare, quum eæ sint in utraque actione fidei partes, non eodem modo electi esse, quo justificati intelligamur.

2. Deinde, quæ ad justificationem fides postulatur, non est ea de rebus acquisitis persuasio, sive notitia; sed de acquirendis fiducia, quæ justificationi naturâ, non tempore antecedat. Quis enim nescit Credendum esse, ut justificari possimus: *Crede & servaberis*, Act. 16, 31. Quid hoc est Servaberis. Te jam ante consequutum esse salutem intelliges? *Deus* (Rom. 3, 30.) *justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*; i. e. Persuasit illis de justificatione suâ. Quid illa Pauli, Galat. 2, 16. *Scientes non justificari homines ex operibus Legis, sed per fidem Jesu Christi; etiam nos in Jesum Christum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis, propterea quod non justificabitur ex operibus legis ulla caro?* An ista parum clarè loquuntur, justificationem ex fide pendere? Fides igitur non est fiducia, quâ peccata nobis remissa esse animis nostris persuadetur.

Act. 16, 31. Rom. 3, 30. Gal. 2, 16.

3. Neque illi quidem ſatis rectè ſentiunt, qui illam fidem ab homine juſtificando exigunt, quâ Chriſtum pro ipſo quiſque mortuum eſſe confidat. Hæc enim quam dicunt, confidentia, nihil aliud eſt, niſi certa perſuaſio de veritate hujus Enunciati, Chriſtus pro me mortuus eſt. Quæ ſi fides eſſe cenſenda ſit, Dei verbo in ſacris literis tradito niti illam neceſſe eſt. Etenim objectum fidei, verbum Dei eſt, ut paulò ante oſtendi. Jam veró de ſingulorum hominum juſtificatione & ſalute nihil uſquam in ſcripturis reperias. Quare perſuaſio hæc de Chriſto pro ſingulis mortuo non eſt illa fides juſtificans, quæ in ſcripturis imperatur.

4. Quicunque credit ſervabitur.
Ego credo.
Ergo ego ſervabor.

Hujus Syllogiſmi propoſitio major eſt de fide, quum veritate Dei ſcripturis patefacta nitatur. *Qui crediderit* (ait Dominus noſter Marc. 16, 16.) *ſervabitur. Crede in Dominum Jeſum Chriſtum, & ſervaberis.* Act. 16, 31. *Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem cuivis credenti,* Rom. 1, 16,

Major autem ſive Aſſumptio ex divinâ veritate in ſcripturis nihil habet firmamenti; ſed ejus veritas, ſi quæ ſit, ex illâ notitiâ, quam de meâ fide in Chriſtum habeo, proficiſcitur.

Concluſio è præmiſſis oritur, quæ, ſi illæ veræ ſint, falſa eſſe non poteſt. Ex fide autem non pendet, quia nullum habet in verbo Dei fundamentum; niſi quatenus ex præmiſſis deducitur, quarum alteram eſſe de fide oſtendi. A quâ nempe propoſitione, ſi concluſio immediatè ortum duceret, ſine Aſſumptionis auxilio, reverâ eſſet de fide. Nunc autem, cùm ex utriuſq; diſpoſitione ſyllogiſticâ emergat, nõ divinâ autoritate creditur, ſed naturali ratione vera eſſe percipitur,

si veram esse concedamus. Veruntamen illud fateor, nullum esse de conclusionis veritate dubitandi locum, si Assumptionem veram esse concesseris. Nam eâ concessâ, qui conclusionem veram esse dubitat, propositionis veritatem in dubium vocet necesse est. At eam Dei verbo liquidò & perspicuè confirmari certum est. Quare, qui concessâ Assumptione conclusioni non assentitur, idem agit, ac si apertè diceret: Fieri potest ut credam, & tamen non server. Quod quidem Chemnitius rectè animadvertit, & explicavit ad hunc modum: *Si credam in filium Dei, & tamen dubito an habeam vitam æternam, non credo huic propositioni, Qui credit in filium habet vitam æternam, Joan. 3, 36. Juxta Joannem igitur, 1. Joan. 5, 10. facio Deum mendacem.* In Exam. Conc. Trident. part. 2. de fide de justif. pag. 186. a. ¶ Nam si.

Chemniti9

Ioan. 3, 36. 1, Ioan. 5, 10

5. Eadem est ratio aliarum conclusionum ejusmodi; qualis illa est, de quâ disputatur.

Pro unoquoque, qui in ipsum credit, Christus mortuus est speciatim.

Ego in Christum credo.

Ergo Christus pro me mortuus est speciatim.

6. In quo Syllogismo nulla est propositio de fide, nisi major, quæ ex consequenti divinâ veritate nititur. De secundâ ex meâ ipsius conscientiâ faciendum est judicium. Ipsa verò conclusio, ut illa prior, è præmissis emanat, atque id quidem non ex autoritate eam affirmantis Dei, sed ex naturalis rationis evidentiâ, propter eam illarum propositionum dispositionem in Syllogismo.

7. Idem de illâ conclusione sentiendum est:

Qui pro omnibus mortuus est, pro me mortuus est.

Christus pro omnibus mortuus est.

Ergo Christus pro me mortuus est.

Ex his tribus propositionibus sola assumptio est de fide. Propositio è naturali rationis evidentiâ pendet. Conclusio

igitur, quum è præmissis oriatur, fide opus non habet. Nam assumptione concessâ, quum veritas propositionis perspicua sit, ne Turcæ quidem, aut alij quivis Ethnici de conclusione possint dubitare. Ex quo sequitur, si hæc vera essent, Eum qui Evangelio credit, necessariò in Christum credere, & justificationis per Christum participem fieri, ut nihil aliud sit fides justificans, nisi assensus verbo Dei, & humanæ rationi, è quibus illa conclusio deducitur. Hæc autem, si vera sint, ad fidem justificantem comparandam operâ Spiritus sancti opus non habemus, nisi tantum ut iis, quæ in Evangelio tradita sunt, assentiamur. Reliqua naturalis ratio suâ solius vi suppeditabit, nec fides Dei donum magis, quàm rationis beneficium dicendum est; quum ipsa conclusio, quę fidei objectum esse fingitur, non minus à ratione in assumptione, quàm à Spiritu sancto in propositione proficisci intelligatur.

8. Galat. 2, 20.

Quod autem Paulus Gal. 2, 20. de se prædicat: *Christum sc. ipsum dilexisse, & semetipsum pro illo tradidisse,* nõ est ea profectò fidei vox ad justificationem adipiscendam, sed hominis jampridem justificati, de remissis peccatis in Deo gloriantis, & ex sensu divinæ misericordiæ, quam credendo est consequutus, de suâ per Christum salute persuasi. Atque hæc quidem est illa Fidei comes, cujus meminit Sotus ad Rom. 4, 5. quam Fidei nomine ad eum locum significari ab Apostolo perperàm judicavit. De iis enim, quæ Fidem comitantur, quinto demum capite disserit Apostolus; illo autem quarto, id agit, ut, quid Abrahamus ad justificationem suam præstiterit, exponat. *Credidit Abrahamus Deo,* i. e. ut vers. 5. interpretatur, *Credidit in eum, qui justificat impium.* Illud tamen non negaverim, istam, quâ de loquimur, Fidem justificántem, illa, quæ in intellectu posita veritati assentitur, naturâ semper, interdum etiam tempore posteriorem esse: verum ita ut neq; hæc justificans sine illâ possit consistere, nec illa sine hac ad justificationem valere. Quamobrem illa quidem Pauli confi-

dentia, quâ de Christi amore non sine justâ causâ gloriatur, non ex Dei verbo in Scripturis tradito, quod Fidei objectum esse diximus, orta est, sed ex eâ conclusione, de quâ prius tum per notitiam, quam de suâ Fide in Christum habuit; tum etiam ex Spiritus Sancti testimonio, qui & Pauli persuasionem de illâ Fide, & conclusionem inde ortam verissima esse, suâ autoritate confirmavit. Quod etiam Spiritus testimonium omnes qui in CHRISTUM credunt, suâ quisque mensurâ, suo tempore, audiunt, agnoscunt, amplexantur. Idem est de Thomæ Apostoli voce illâ judicium, Joann. 20, vers. 28. *DOMINE mi, & DEUS mi.* Neque ex hac Fidei suæ professione justificandus erat Thomas, quum hæc diceret, sed jam ante justificatus per Fidem in Christum. *Vos puri estis,* inquit Dominus noster, *sed non omnes.* Joann. 13, vers. 10. Omnes igitur Apostoli, præter unum Judam, qui Christum erat proditurus, multò ante justificati fuerant, quàm hæc à Thomâ sunt pronunciata.

Ioan, 20. 28

Ioan. 13, 10.

Quapropter, ut aliquando concludam, Fidem illam, quâ justificatur impius, notitiâ & fiduciâ dico contineri, illâ ut magis remota, hac ut proxima justificationis causâ instrumentali. Illâ fit, ut Dei promissionibus de reconciliatione per CHRISTUM Fidem habeamus, id est, Christo credamus: hac autem ut Christo secundùm eas promissiones nitamur, ad illud reconciliationis beneficium consequendum. Atque hæc hactenus. Fidei quæ sint partes in justificatione, paulò pòst videbimus.

CAP.

CAPUT XVI.

Quo modo Causa efficiens principalis hominem justificet seu justum faciat.

QVÆ sint justificationis nostræ causæ efficientes, ex iis, quæ sunt hactenus disputata, satis liquet. Reliquum est, ut quo modo earum unaquæque ad hunc justificationis effectum producendum operetur, exponam. Primo itaq; loco dicendum est de Deo patre. Qui duobus quidem modis, quod suum munus esse voluit, administrat. Quorum alter in generali reconciliationis definitione significatus, & ex eâ petendus est; alter disertis verbis hoc loco propositus. Prior est, quo justitia Christi ad justificationem à Deo nobis communicatur sive imputatur. De quo paucis opus est: quoniam in eâ sententiâ summa est Theologorum omnium consensio. *Homo* (ait Calvinus Instit. l. 3. c. 11. n. 23.) *non in seipso justus est, sed quia Christi justitia imputatione cum illo communicatur.* Et n. 16. *Intercedente Christi justitiâ impetratâ peccatorum remissione justificamur.* Et n. 10. *Christi justitiam nobis imputari* affirmat. Sed illud maximè perspicuum de ver. Eccl. reform. ratione adv. Interim. Opusc. classe 1. part. 2. ¶ Ad hæc. *Nos gratis justificat Deus, Christi obedientiam nobis imputando.* Nec quenquam esse è nostris Theologis existimo, qui id, modò rectè intelligatur, neget. Illud certè scio, Piscatorem, Paræum, Lubbertum, Rollochum, aliosque, qui justificationem unà peccatorum veniâ sentiunt comprehendi, nos justitiâ Christi imputatâ justificari sine dubitatione agnoscere & confiteri.

1. Calvinus.

Eandemque esse Pontificiorum sententiam, declarat Concil. Tridentin. Sess. 6. cap. 7. *Nemo potest esse justus* (ait

2. Con. Trid.

Synodus) *nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur.* Vasques etiam *Imputandi* voce, non minus quàm *Communicandi* utitur. Sic enim loquitur in 1. 2. disp.222. etiam Titulum cap. ita proponit: *Quo pacto merita Christi nobis applicentur & imputentur.* Deinde in ipso cap. *Quum omnia dona auxilij, gratiæ, justitiæ propter Christi merita à Deo obtineamus, non possumus non aliquam applicationem & imputationem meritorum ejus circa singula agnoscere.* n. 2. Articulus etiam secundus de *Imputatione meritorum Christi ad justificationem* est institutus. Addit n. 9. *Quum igitur dicimus justitiam & merita Christi ad justificationem a peccatis nobis imputari, intelligimus etiam imputari ad ea omnia, quæ ad justificationem requiruntur.* Bellarminus quoque de justif. l. 2. c. 10. ¶ Deinde, concedit *satisfactionem Christi nobis in justificatione conferri & applicari. Et hoc modo* (inquit) *non esset absurdum, si quis diceret, nobis imputari Christi justitiam & merita, quum nobis donentur & applicentur, ac si nos ipsi Deo satisfecissemus.*

Vasques, Bellarmin.

3. Jam verò Christi obedientia sive justitia, vel obedientiam ipsam significat, vel ejus obedientiæ meritum. *Obedientia Christi* (ait Perkinsus nostras Armill. aur. cap. 37.) *à Deitate Filij vim suam & meritum accipit.* Et in libro de verâ cognitione Christi crucifixi; *Meritum Christi est valor & pretium mortis & passionis ejus.* Et postea pag. 627. col. 1. *Acceptatio ad vitam æternam est ex merito obedientiæ Christi.* Quibus verbis obedientiam sive justitiam Christi ab ejus merito distingui perspicuum est. Ac ista quidem inter se discrepare liquidò constat, quoniam *Justitia* (ut Scholastici loquuntur) *est Rectitudo ordinis.* Thomas 1. 2. q. 113. art. 1. c. Ut nostris Theologis placet, *Conformitas cum Lege.* Scharpius de justific. cap. justitia & justificatio. ¶ Justitia Evangelica. Ita Ursinus, *Justitia* est *conformitas cum lege, seu legis impletio.* In explic. Catech. de liber. hominis ad q. 60. q. 3. Negat etiam Polanus *aliam Dominum justitiam probare, quam illam ipsam, quæ lege describitur,*

Perkinsus, Thomas, Scharpius, Vrsinus, Polanus.

tur,

tur, quam qui non adferunt ad tribunal Dei, ij mortis æternæ rei pronunciantur, Syntagm. l. 6. c. 36. ¶ Primam justitiam. Itaque Bucanus Instit. loc. 31. q. 28. dicit *Justitiam legalem & Evangelicam non differre materiâ aut formâ.* Quare aliud est ipsa obedientia, aliud quod ex ea oritur Meritum.

Bucanus.

4.

Deinde *Meriti* voce, vel *Dignitas operis ad merendum* significatur, *vel ipsum meritum actu.* Verbi gratiâ, est in legis impletione dignitas quædam sive aptitudo ad vitam æternam promerendam. Eam igitur qui implet, is propter eam dignitatem & aptitudinem vitam æternam actu promeretur. Quæ distinctio & nostris Theologis & Pontificiis probatur. Perkinsus optimè. *Meriti nomine intelligimus quamlibet rem aut opus, quo Dei benevolentia & vita æterna acquiritur; idq; propter rei aut operis dignitatem & præstantiam.* Cathol. reform. cap. 5. de merito. In eandem sententiam Vasques in 3. disp. 6. c. 2. n. 15. *Christi actiones aptæ erant ad merendum infinitè: sed tamen non meruerunt aliis infinitè.* Et n. 17. *Si de Merendo aliis loquantur, intelligendi sunt de dignitate operis ad merendum, non de merito actu.* Quod Durandus multò ante, breviter & accommodatè dixerat. *Christus meruit pro nobis, ut nos fructum ejus meriti perciperemus, qui nobiscum communicatur,* in 3. dist. 18. qu. 13. n. 8. Ejus judicium probat & sequitur Suarez in 3. disp. 41. Sect. 3.

PerKinsus.

Vasques.

Durandus.

Suarez.

5.

Hæc autem dignitas sive aptitudo ad merendum Adjuncti rationem obtinet, & obedientiam sive justitiam intelligitur pertinere. Meritum verò actu effecti potius naturam induit; unde à Durando ubi supra *fructus* dicitur Appositione exempli res tota dilucidior existet. Aptitudo ad secandum quæ in gladio, securi, aut cultro reperitur, est eorum adjunctum, quæ naturam rerum ejusmodi comitatur. Ipsa verò sectio, quæ his instrumentis perficitur, est ipsorum effectus, cum id revera præstent, ad quod naturâ suâ apta nata sunt. Jam in hac nostrâ disputatione non agitur de ipsâ obedientiâ (ut suo loco manifestum fiet) sed de merito actu, quod no-

Durandus.

Calvinus. bis tanquam ejus fructus communicatur. Hoc Calvinus indicat, quum dicat Institut. l. 3. c. 11. n. 8. *Christum nos justificare virtute mortis suæ, & communicare nobiscum suam justitiam, ut mirabili quodam modo vim ejus in nos transfundat.* n. 23. Cæterum quòd hoc loco justitiam alibi ejus fructum vocat Opusc. part. 1. form. brevi Confess. ¶ Quod attinet. *Confiteor Jesum Christum in suâ morte ac resurrectione cumulatissimè perfecisse quicquid ad delendas nostras offensas requirebatur, ut nos Deo patri reconciliaret; & mortem ac Satanam superasse, ut ipsius victoriæ fructum percipiamus.* Bucanus autem perspicuè: *Christi obedientiæ & passionis meritum credentibus imputatur.* Instit. loc. 31. q. 25, ut rectissimè dixerit ille, quem sæpe nominavi, Calvinus, Instit. l. 3. c. 11. n. 16. *Nos intercedente Christi justitiâ, impetratâ peccatorum remissione justificari.*

Bucanus.

Calvinus.

6. Quid autem significat Christi obedientiam nobis communicari? Nimirum idem quod Merita Christi nobis applicari & imputari. *Communicari nobis merita Christi, nihil aliud est* (ait Vasques in 1. 2. disp. 202. c. 6. n. 45.) *quam Deum intuitu illorum aliquid in nobis efficere, ac si nos illud propriis nostris operibus mereremur; eo quod Christus pro nobis illud meruit, & impetravit.* Et disput. 222. c. 2. n. 8, *Merita Christi nobis imputantur, h. e. Ita nobis prosunt merita Christi, ad dona auxilij, gratiæ, justitiæ, ac si nostra essent: siquidem non minus effectus illi in nobis fiunt, intuitu meritorum Christi, quàm si merita Christi essent nostra; quod est, Merita Christi nobis communicari, seu communia esse.* Atque hanc esse Ecclesiæ Romanæ sententiam, declarat Vega ad Concil. Trident. lib. 15. de justif. cap. 2. Et Thomas part. 3. q. 69. art. 2. c. *Omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus & mortuus esset.* Et post: *Qui baptizatur, liberatur à reatu totius pœnæ sibi debitæ pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis.* Quod autem ait Vasques *aliquid in nobis effici*, ex Ecclesiæ Romanæ opinione loquitur,

Vasques.

And. Vega.

Thomas

Vasques.

quæ infundi in nos justitiam, quâ justificemur existimet. Sed rem ipsam tamen satis luculenter explicat: Christi merita nobis imputari idem esse, ac nos propter Christi merita omnia à Deo beneficia accipere, non minus, quàm si ea nos ipsi præstitissemus.

7. Paræus.

Ad quem modum nostri Theologi loquuntur. *Justificamur* (ait Paræus contra Bellarminum de justif. l. 2. c. 7. lect.) *propter mortem, sanguinem, obedientiam, justitiam Christi, quoniam Deus hæc acceptat quasi à nobis præstita.* In quam sententiam Calvinus: *Obedientia Christi nobis accepta fertur, ac si nostra esset.* Instit. l. 3. c. 11. n. 23. Et cap. 17. n. 10. *Unde venia, nisi quia Deus nos & nostra omnia in Christo intuetur?*

Calvinus.

8. Calvinus.

Quâ verò ratione fiat, ut hoc obedientiæ Christi meritum nobiscum communicetur, declarat Calvinus Instit. l. 3. cap. 11. n. 10. *Fateor* (inquit) *hoc tàm incomparabili bono nos privari, donec Christus noster fiat: Conjunctio igitur illa capitis & membrorum, habitatio Christi in cordibus nostris, mystica denique unio a nobis in summo gradu constituitur, ut Christus noster factus donorum, quibus præditus est, nos faciat consortes. Non igitur eum extra nos procul speculamur, ut imputetur nobis ejus justitia, sed quia ipsum induimus, & insiti sumus in ejus corpus, unum denique nos secum efficere dignatus est, ideò justitiæ societatem nobis cum eo esse gloriamur.*

9. Thomas

Idem prorsus affirmant Pontificij; Thomas quidem sæpe. *Sicut naturale corpus est unum ex membrorum diversitate consistens: ita tota Ecclesia, quæ est mysticum corpus Christi, computatur, quasi una persona cum suo capite, quod est Christus.* part. 3. qu. 48. art. 1. c. & qu. 69. art. 2. ad 1.

Ideoque *satisfactio Christi* (ut ait idem Thomas ibi ad 1.) *ad omnes fideles pertinet, sicut ad sua membra. Habet enim effectum in nobis, in quantum incorporamur ei, ut membra suo capiti,* q. 49. art. 3. ad 3. Et q. ead. art. 1. c. *Passio Christi causat remissionem peccatorum per modũ redemptionis. Quia enim ipse est caput nostrum, per*

pas-

passionem suam, quam ex charitate & obedientiâ sustinuit, liberavit nos tanquam membra sua à peccatis, quasi per pretium sui sanguinis.

10. Venio nunc ad illum alterum justificationis modum, quo *Fides à Deo ad justitiam reputatur.* Quod in scripturis dilucidè traditur, Rom. 4, 3. *Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam.* Et vers. 5. *Credenti in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.* A quo autem imputatur Fides ad justitiam, nisi ab eo, qui non imputat peccatum? *Sicut David declarat beatitudinem hominis, cui Deus imputat justitiam absq; operibus, dicens: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccata,* Psal. 32, 2. Rom. 4, 6. 8.

CAP. XVII.

Quo modo Jesus Christus causa efficiens meritoria, ad justificationem operetur.

1. DE causâ meritoriâ dicendum est; quo modo scil. Jesus Christus Dominus ac Servator noster justificationem nobis acquirat. Ac primum quidem generaliter, deinde particulatim de illo disseram. Generaliter dico, *Christum nos à peccatis liberasse, tanquam causam, ea præstando, ex quibus possent quæcunq; peccata* (inquit Thomas p. 3. q. 49. art. 1. ad 3.) *quandocunq; remitti; vel præterita, vel præsentia, vel futura: sicut si medicus faciat medicinam, ex quâ possint quicunq; morbi sanari etiam in futurum.* De quâ loquitur Esaias 53. 5. *Tumice ejus fit curatio nobis.* Et Apostolus Paulus Rom. 3, 25. *Proposuit eum Deus placamentum per fidem in sanguinem ipsius.* Et Heb. 10, 14. *Unicâ oblatione consecravit in perpetuum, omnes qui sanctificantur.*

Thomas.

2.

Et hæc quidem generaliter; deinceps particulatim videndum est, quo modo hæc Christus præstiterit, quod utramque ipsius naturam Divinam & Humanam attinet. Certum enim est, hunc justificationis effectum à Christo tàm Deo quàm homine, utriusque naturæ vi ac operatione esse productum; quemadmodum in iis, quæ de reconciliatione disserui, copiosius ostendi, ut in hac de justificatione controversiâ, paucioribus opus esse sentiam. De utriusque autem naturæ operatione & singillatim, & conjunctim disputabo: Ac priori quidem loco de naturâ Divinâ.

3.

Quod opus suâ præstantiâ superavit hominis naturam, id Christus non potuisset præstare, nisi fuisset verus Deus.

Sed justificationis opus, quod causam meritoriam attinet, suâ præstantiâ hominis naturam superavit.

Ergo Christus justificationis opus ut causa meritoria præstare non potuisset, nisi fuisset verus Deus.

Calvinus.

Propositionis veritas manifesta est. Assumptionem probat Calvinus Instit. l. 3. cap. 11. n. 9. Quoniam *sanguine suo animas nostras purgare, patrem suo sacrificio placare, nos reatu absolvere, deniq; munus sacerdotis peragere ejusmodi sunt effecta, ut ea humanæ naturæ præstantiam superare dubitari nequeat.* Hæc autem omnia ad homines justificandos postulabantur. Quare quem illa præstare oportuit, eum verum esse Deum necesse fuit.

Eandem verò justificationem nostram ab Humanâ Christi naturâ fuisse peragendam ita constat.

Calvinus.

Quod obedientiâ suâ Christus peregit, id humanæ naturæ operatione præstitit. *Neq; enim* (ut rectè Calvinus Instit. lib. 3. cap. 11. n. 9.) *aliter obedivit, quàm assumptâ servi figurâ. Ipse sese inanivit formâ servi acceptâ, similis hominibus factus. Et habitu compertus ut homo ipse se submisit, factus obediens ad mortem,*

Philip. 2, 7. 8. Unde apud Esaiam *Servus* dicitur. *Cognitione s[...] justificabit justus servus meus multos.* Esai. 53, 11.

At Christus obedientiâ suâ justificationem nostra[m] peregit: *Per unius obedientiam justi constituentur multi,* Rom. [5,] 19. Et ad Hebr. 10, 9. 10. *Tunc dixi, Ecce adsum, ut faciam De[us] voluntatem tuam; Quâ voluntate sanctificati sumus, per oblatio[-] nem corporis Jesu Christi semel factam.*

Ergo humanæ naturæ operatione, vel quatenus homo erat, justificationis opus Christus præstitit.

5.

Præterea, Quod Christus præstitit, quatenus sacrificium erat pro nobis expiatorium, id præstitit quatenus homo erat. *Nam* (ut optimè Calvinus Instit. l. 3. c. 11. n. 9.) *à Divinâ naturâ abhorret, expiatricem fieri victimam pro nobis; quum ad eam rem sanguinis effusione opus sit; sine quâ nulla est remissio,* Heb. 9, 22. Rom. 3, 25.

Calvinus,

At Christus justificavit nos quatenus sacrificium expiatorium, pro nobis factus est. *Quandoquidem exponebat se ipse sacrificium pro reatu videbit semen; justificabit multos.* Esai. 5[3], 10. In quam sententiam dicit Apostolus 2. Cor. 5, 21. *Fecit eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum esse, ut nos efficeremur justitia Dei in eo.*

Ergo Christus justificavit nos quatenus homo erat.

6.

Thomas

Justificavit igitur nos Christus, & ut Deus erat, & ut homo: verum alio atq; alio modo. De quo Thomas succinctè, sed tamen perspicuè pag. 3. q. 49. art. 1. ad 1. *Licet Christus non sit passus secundum quod Deus, tamen caro ejus* (i. e. humana natura) *est Divinitatis instrumentum. Et ex hoc passio ejus habet quandam Divinam virtutem dimittendi peccata.* Et ibid. ad 2. *Passio Christi licet sit corporalis* (& non spiritualis) *sortitur tamen quandam spiritualem virtutem ex Divinitate, cujus caro ei unita est ut instrumentum. Secundùm quam quidem virtutem passio Christi est causa remissionis peccatorum.* Quo etiam spectat illud

Cal-

Calvini Instit. l. 3. c. 11. n. 9. *Non à seipso justificare aut vivificare Christum merum hominem.*

Calvinus.

CAP. XIIX.

Quo modo Fides causa instrumentalis justificationem nostram operetur.

1.

EX efficientibus justificationis causis reliqua est Fides, quam instrumenti locum obtinere diximus. Eam verò quo tandem modo justificare sentiemus? Nimirum ut conditionem, quam Deus ex hominis parte præstandam flagitet, ut Ecclesia Anglic. Serm. de salvat. part. 1. *In his Scripturæ locis* (scil. Rom. 3, 28. & 10, 4.) *Fides illa res est ex hominis parte, quam ad justificationem concurrere necesse est.* Quam si quis nunquam in scripturis conditionis nomine appellari dixerit, illud cogitet, neq; instrumentum quidem in illis nuncupari. Cæterum conditionis naturam inducere fidem ex iis locis colligitur, in quibus, ut credant homines ad justificationem consequendam, imperatur. *Qui crediderit servabitur*, Marc. 16, v. 16. *Crede in Dominum Jesum Christum, & servaberis*, Act. 16, 31. *Evangelium est potentia Dei ad salutem cuivis credenti.* Rom. 1, 16.

Serm. de salv. part. 1.

2.

Quamobrem non dubitâruut Theologi nostri fidem conditionis nomine insignire. Foxus quidem nostras sæpe: *Evangelium nullam exigit conditionem aliam ad salutem potiundam, præter fidem duntaxat, quâ credimus in Christum.* De Christo gratis justif. lib. 3. pag. 240. Et pag. 244. *Conditio quâ propriè justificamur, ea est, ut in Christum credamus.* Et pagin. 251. *Promissio salutis propter CHRISTUM non nisi ad certos duntaxat, sub certâ quadam conditione pertinet.* Et lib. 3. pagin. 366.

Foxus.

Apostolus, Rom. 3, 22. cum universali signo adscripsit propriam rei notam, ac singularem obtinendæ justitiæ conditionem. Et Act. & Monum. pag. 1507. col. 1. lin. 1. 2. *Passio Christi est efficiens salutis causa: Fides verò est conditio, per quam illa passio efficax nobis redditur.*

Perkinsus, *Conditio fœderis est, ut nos ex nostrâ parte beneficia illa accipiamus.* Perkins. Reform. Cathol. de imputat. justit. diff. 2. ¶ Secunda est.

Paræus. *Fides est conditio, sub quâ Christus nobis datus est propitiatorium.* Paræus ad Rom. 3, 23. col. 287.

Trelcatius. *Fœdus gratuitum est sub conditione fidei.* Trelcatius Instit. de fœdere in ἀνασκ. de mater.

Georgius Dovvnam. *Conditio sub quâ Evangelium justificationem pollicetur, est Fides in Christum, Conditio Legis obedientia nostra perfecta & perpetua. Sic enim Evangelium Rom. 10, 5. Si credis in Christum, justificatus es, & salvus eris.* Dovvnamus de Christ. libertate è Joann. 8, 36. ¶ 12. pag. 44.

Ioannes Dovvnam. *Fides sola est, quæ nobis jus tribuit, ad omnes Dei promissiones in Evangelio consequendas, utpote quæ sola sit conditio fœderis gratiæ inter Deum & nos.* Joan. Dovvnamus, Christ. milit. part. 3. lib. 1. cap. 4, ¶ 5.

Scharpius. *Est conditio annexa fidei, si Ecclesiæ membra crediderint.* Johan. Scharpius de justif. controvers. 7. ¶ Nos verò.

Thomas Matthæus. *Promissio facta est sub conditione* (ait Matthæus ad Rom. 10, 8.) *ut Christi doctrinam amplectamur.*

Alij verò è nostris Theologis, etsi fidem conditionis nomine non appellent, tamen eam esse ejus naturam apertè significant.

Calvinus. *Ex hac distinctionis notâ* (ait Calvinus ad Rom. 10. 8.) *colligimus, sicuti lex opera exigit, Evangelium nihil aliud postulare, nisi ut fidem adferant homines ad recipiendam Dei gratiam.*

Aretius. Itaque Aretius *Fidem* vocat *causam, sine quâ non confertur salus.* Rom. 10, 16.

Chri-

Christus judicio Divino nostrâ causâ satisfecit, ut nos Deo reconciliet: Eâ lege, ut ipsum fide amplectamur. Sadeel contra Monach. Burdeg. ad art. 44.

Sadeel.

Fœdus gratuitum nullâ conditione nostræ dignitatis aut meritorum nititur, sed solâ fide constat. Olevianus in Symb. cap. 11.

Olevianus.

Remissionem peccatorum consequimur per misericordiam propter Christum, modo ut fide apprehendamus illam misericordiam: Melanchthon proleg. ad Rom. fol. 11. a, & ibi sæpissimè.

Melanchth.

Sic disponendus est status hujus Epistolæ (ait Beza ad Rom. 1, 17.) *Nos à Deo per unum Christum servari, si Evangelio crediderimus.*

Beza.

Scripturæ verò apertè & clarè loquuntur, ut paulò ante monui; unum illud addo; *Si agnoveris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde, quod Deus eum excitavit à mortuis, servaberis.* Rom. 10, 9.

Rom. 10. 9.

3. Fides igitur est conditio; & quidem talis conditio ad justificationem per Christum in fœdere gratuito, qualis erant opera ad justificationem ex operibus legis. Ideoq; justitia Legis & Evangelij invicem opponuntur, Rom. 10, 6. 7. &c. & hæc quidem v. 9. conjunctione *Si* explicatur; *Si credideris:* ad quem locum Calvinus, ut modò significavi, colligit, *Sicuti lex opera exigit, Evangelium postulare, ut fidem adferant homines ad Dei gratiam recipiendam:* Ex quo emergit, eum, qui in Christum credit, quum conditionem præstiterit, quam Evangelium præstandam flagitet, non minus (secundùm fœdus Evangelij) præstitisse existimari, quam secundum fœdus legale præstitisse existimandus fuerat, si obedientiam legi perfectissimam præstitisset. Atque hoc quidem est Fidem ad justitiam reputare, vel imputare, de quo ad cap. 15. in extremo disserui.

Rom. 10, 6. 7.

Calvinus.

7. Conditionis autem hujus ratio à Calvino optimè explicatur, Instit. l. 3. c. 11. n. 20. quum ait *Fidem non aliâ ratione justificare, nisi quia in communicationem justitiæ Christi nos inducit.* Et cap. 16. n. 1. ait *Fidem in Christum dirigi, & inde totam vim accipere. Per fidem* enim (ut rectè Thomas p. 3. q. 49. art. 4.

Calvinus.

Thomas.

ad 5.) *applicatur nobis passio Christi, ad participandum fructum ipsius,* Quid quod Synodus Tridentina fateatur, *hominem omnia, per quæ justificatur, per Christum accipere, & in eum per fidem inseri*; licet addant patres illi: *Fidem, nisi ad eam spes accedat & charitas, neq; unire perfectè cum Christo, neq; corporis ejus vivum membrum efficere:* Seff 6. cap. 7. Hoc autem fidei esse munus ab Apostolo significatum est, Rom. 3, 25. *Quem Deus proposuit placamentum per fidem in sanguinem ipsius.*

Con. Trid.

5. Omninò fidem non aliter justificare, quam quatenus nos justitiæ Christi participes faciat, dubitari non potest, nisi formalem esse justificationis nostræ causam statuamus: vel in solidum, ut Arminius aliique eum sequuti tradiderunt; vel pro parte, quod Ecclesiæ Romanæ placuisse intelligo, quæ *Fidem justificationis formam inchoatam* facit. Conc. Trid. Seff. S. c. 7. Quæ est etiam Bellarmini sententia de justif. l. 1. cap. 20. in extremo, & cap. 17. ¶ Alterum argumentum. Thomas eodem planè sensu ad Rom. 4, 5. lect. 1. *Fidem* dicit *esse primum actum justitiæ, quem Deus in homine justificando operatur. Ex eo enim* (ait Thomas eodem loco) *quod credit in Deum justificantem, justificationi ejus subjicit se, & sic recipit ejus effectum.* Et ad Galat. 3. lect. 4. *Primum, quo Deus est in animâ hominis, est fides.* Non esse autem hoc fidei officium, quo in justificatione fungatur, & antea ostendi, quum justificationis formam remissione peccatorum docui contineri; & deinceps suo loco (Deo adjuvante) confirmabo.

Arminius.

Conc. Trident.

Bellarmin.

Thomas

6. Superest ut illud moneam; quum Nos fide justificari affirmamus, non id dicimus, Habitum fidei, aut actum credendi, ullâ præstantiâ aut dignitate suâ justificare, sed solummodo & omninò ex officio & loco, quod Deus misericors spontè & liberè illi concessit. *Hæc* (ait Homil. Eccles. Anglicanæ de salvat. part. 2.) *est Dei constitutio, ut qui in Christum credunt serventur, remissionem peccatorum suorum gratis accipientes per fidem.* Et in extremo: *Quamvis magna & eximia sit virtus viva*

Sermon. de salv. part 1.

fides, tamen nos à se amandat, ad Christum mittit, ut per illum, remissionem peccatorum sive justificationem adipiscamur.

Itaque Calvinus Instit. l. 3. c. 11. n. 7. Negat *fidem intrinsecâ* (ut loquuntur) *virtute justificare; sed eam quasi vasi* (inquit) *conferimus; quia nisi exinaniti ad expetendam Christi gratiam aperto animæ ore accedamus, non sumus Christi capaces.* Quo etiam accommodari possunt illa Thomæ ad Rom. 4, 5. lect. 1. *Credenti fides reputatur ad justitiam, & hoc secundum propositum gratiæ Dei, id est, secundùm quòd Deus proponit ex gratiâ suâ homines salvare.* His ita disputatis, de fide sic res habet, ideo justificare illam, quia Deo placet, Credenti in Christum omnia peccata condonare.

Calvinus.

Thomas.

Postremò *dicimus* (inquit Calvinus Inst. l. 3. c. 11. n. 19.) *hominem solâ fide justificari. Quod quum dicimus* (ait idem Calvinus Antidot. ad Sess. 6. can. 9.) *Fidem solam causam justificationis causam esse intelligimus. Nihil enim* (ait Ecclesia Anglicana homil. tom. 1. serm. de salvat. part. 1.) *ex hominis parte flagitatur ad ipsius justificationem, præter veram & vivam fidem.* Neque tamen hæc fides spem, dilectionem, timorem, pœnitentiam excludere censenda est, quasi ad eum, qui justificandus est, non pertinerent, sed hæc omnia ab officio justificandi significantur penitùs excludi. Atque hoc quidem justificandi munus soli fidei convenire, his rationibus ostendo.

7. Calvinus:

Eccl. Angl.

8.

1. Quo actu nostro rectâ ad Christum tendimus, ut per eum justificemur, & promissiones Dei de justificatione amplectimur, eo justificamur.
   Solâ fide rectâ in Christum tendimus, ut per eum justificemur, & promissiones Dei de justificatione amplectimur.
   Ergo solâ fide justificamur.

Est hoc Ecclesiæ Anglicanæ argumentum hom. 1. de quâ modo. De cujus propositione non est, quòd multùm laboremus. Nihil enim à quoquam adfertur; quod sciam, cur de ejus

Eccl. Angl.

veritate dubitari debeat. Quam si non perspicuam, at certam esse ita constat.

Quo actu nostro eam justificationis rationem sequimur, quâ solâ Deus nos justificare constituit, eo justificamur.

Quo actu rectà in Christum tendimus, ut per eum justificemur, & promissiones Dei de justificatione amplectimur, eo illam justificationis rationem sequimur, quâ solâ Deus nos justificare constituit.

Ergò quo actu nostro rectâ ad Christum tendimus, ut per eum justificemur, & promissiones Dei de justificatione amplectimur, eò justificamur.

Propositio pro concesso sumit, totam justificandi hominis rationem ex Dei voluntate & ordinatione pendere: quod omninò negari non potest.

Assumptio etiam hæc duo pro concessis sumit, 1. *Totam hominis justificandi rationem promissione Dei de justificatione contineri.* 2. *Justificationem nobis quod postulatur præstantibus concedi, ex intuitu meritorum Christi:* quæ nullam habere possunt dubitationem.

9. Hactenus de propositione principalis Syllogismi; cujus Assumptio pro concessis sumit, 1. *Fidem rectâ nos ad Christum ducere, ut per eum justificemur.* 2. *Eam promissiones Dei de justificatione amplecti.* Quorum prius manifestò liquet Gal. 2, 16. *Nos in Jesu Christo credidimus, ut justificaremur ex fide Christi.* Posterius ex eo probatur, quod Apostolus dicat Gal. 3, 22. *Promissionem ex fide Jesu Christi dari credentibus.* Etiam utrumq; ex iis, quæ de objecto fidei disputavimus, confirmatur; nempe Objectum fidei proprium & proximum esse promissionem Dei de justificatione per Christum. Hæc autem omnia fidei tribuenda esse, tum demum perspicuum fiet, quum ista Pontificiorum, quas vocant, præparationibus non convenire ostenderimus; quod suo loco (Deo adjuvante) præstabimus.

Galat. 2, 16.

Galat. 3, 22.

Se-

Secundum argumentum ſic inſtituo:

2. Si ubicunque Spiritus ſanctus diſertis verbis loquitur de juſtificatione impii, ejuſq; cauſas ex hominis parte aſſignat, nullam ejuſmodi cauſam aſſignet, niſi fidem, tum ſolâ fide juſtificamur.

At ubicunque Spiritus ſanctus diſertis verbis loquitur de juſtificatione impij, ejuſque cauſas ex hominis parte aſſignat, nullam ejuſmodi cauſam aſſignat, niſi fidem.

Ergo ſolâ fide juſtificamur.

Conſequentiæ veritas in propoſitione ex eo pendet, quod nec alias juſtificationis cauſas aſſignare liceat, quàm quas Spiritus ſanctus aſſignet; nec alias eſſe credere, quàm quas in iis locis aſſignet, in quibus diſertis verbis loquitur de juſtificatione. Neque enim veriſimile eſt, Spiritum ſanctum, unius ejuſdemque cauſæ tam crebram, aliis ne ſignificatis quidem, facturum fuiſſe mentionem, quùm deditâ operâ, quid ex noſtrâ parte flagitetur, explicaret.

Aſſumptionem confirmant loci ſinguli, iique plurimi, in quibus de juſtificatione diſertis verbis agunt Apoſtoli. Teſtis eſt Petrus Actor. 10, 43. *Huic etiam omnes Prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen ejus, quemvis qui crediderit in ipſum.* Teſtis eſt Paulus Act. 13, 39. *Ab omnibus à quibus per legem Moſis abſolvi non potuiſtis, per hunc quivis qui credat, abſolvitur.* Teſtis eſt iterum & ſæpiſſimè idem Apoſtolus Paulus, Rom. 3, 24, 25. *Ut qui juſtificentur gratis, ejus gratiâ per redemptionem factam in Jeſu Chriſto: Quem propoſuit Deus placamentum per fidem in ſanguinem ipſius.* Et v. 26. *Juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu.* Et v. 30. *Deus juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Rom. 4, 3. *Credidit Abrahamus Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam.* & v. 5. *Credenti in eum, qui juſtificat impium, imputatur fides ſua ad juſtitiam.* Et v. 9, 22. 23, 24. Rom. 5, 1. *Juſtificati fide.* Rom. 9, 30. *Juſtitiam, quæ eſt*

Act. 10, 43.
Act. 13, 39.
Rom. 3, 24 25.
Rom. 4, 3.
Rom. 5, 1.
Rom. 9, 30.

ex fide. v. 32. *Quia non ex fide.* v. 33. *Quisquis credit in eum, non pudefiet.* Rom. 10. 10, 11. *Corde creditur ad justitiam. Dicit enim Scriptura: Quisquis credit in eum, non pudefiet.* Galat. 2, 16. *Nos in Jesum Christum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi.* Galat. 3, 6. *Abrahamus credidit Deo, & imputatum est ei ad justitiam,* v. 8. *Prævidit Scriptura Deum ex fide justificaturum Gentes.* v. 11. *Justus ex fide vivet.* v. 24. *Lex pædagogus noster fuit in Christum respiciens, ut ex fide justificaremur.* Est igitur plusquam verisimile, immò verum & certum, solius fidei partes esse, justitiam Christi meritò partam accipere ad justificationem; quum ejus tàm sæpè in illâ explicandâ meminerint Apostoli, nullâ vel levissimâ significatione factâ alicujus rei ex hominis parte requisitæ, præter unam fidem.

CAPUT XIX.

De Justificationis Materià & fine.

1. DIxi de causis efficientibus justificationis: Reliquæ sunt Materialis & Finalis. Ac de illâ quidem nihil ferè habeo dicere, quod in Reconciliatione non fuerit explicatum. Materia enim sive subjectum justificationis, circa quod justificatio versatur, & cui adjuncta esse intelligitur, est Homo: sic enim sentit Apostolus Rom. 3, 28. *Colligimus fide justificari hominem.* Hominem scilicet peccatorem, Rom. 4. 5. *Credenti in eum, qui justificat impium.* Cujusmodi sunt omnes mortales. *Omnes enim peccaverunt, & deficiuntur gloriâ Dei, ut qui justificentur gratis.* Rom. 3. 23, 24. Ita nostri Theologi. Perkinsus ad Gal. 2, 16. pag. 236. D. *secunda res expendenda est subjectum justificationis, vel persona justificanda, nempe Homo.* Et Trelcatius Instit. de justif. κατασκ.

Perkinsus,

Trelcatius.

Materia justificationis; *Materia justificationis passivè conside-ti sunt homines electi.*

2\. Ut materia, sic etiam fines justificationis iisdem ferè nt, quos reconciliationis esse diximus; primarius est Dei oria. Secundarius Domini nostri ac Servatoris Jesu Christi loria, & Hominum salus. Dei verò gloria in justificatione arissimè elucet, quoniam in eà quædam ipsius Attributa aximè perspicua sunt; nimirum Sapientia, Potentia, Justi-ia & Misericordia. De duobus prioribus, ita disertis verbis postolus Paulus 1. Cor. 1. 22, 23. *Nos prædicamus Christum cru-fixum Dei potentiam, ac sapientiam.* De misericordiâ loquitur em Apostolus Rom. 5. 8. *Commendat suam erga nos charita-m Deus, eo quod, quum adhuc essemus peccatores, Christus pro no-s omnibus mortuus sit.* Et cap. 8. v. 32. *Qui proprio filio non peper-t, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Hinc est illa ejusdem A-ostoli hortatio, Rom. 12. 1. *Adhortor igitur vos fratres per mi-rationes Dei.* Justitia autem Dei in justificatione peccatoris uobus modis cernitur; Altero, quod quæ pollicitus fuerat, præstitisse perspicuum sit; Altero, quòd peccatum ipsi o-o esse demonstraverit. Atque hæc quidem duo in justifica-one nostrâ manifesta sunt, & ab Apostolo conjunctim signi-cata, Rom. 3, 25. 26. *Quem proposuit Deus placamentum per fi-m in sanguinem ipsius, ad demonstrandam justitiam suam, pro-er peccatorum remissionem, Deo illa tolerante. Ad demonstran-m* (inquam) *justitiam suam præsenti tempore, ut sit ipse justus & stificator ejus, qui est ex fide Jesu.* Deum justum non esse, aut iis quæ promiserat, præstandis, aut in peccatis hominum ndicandis multa secula (annos plus minus quater mille) deri poterat. Verùm *postquam venit plenum tempus* (ut ait postolus Gal. 4. 3.) *Deus misso filio suo, eoq;* (ut loquitur Esai. 53.) *iniquitatibus nostris attrito, castigationeq; pacis nostræ illi impo-a,* & veritatem & justitiam suam egregiè demonstravit, ut ullus querelæ aut dubitationi relictus sit locus.

3. At verò quo tandem modo Christi gloriam in justificatione nostrâ dicemus elucere? Primum quidem in obedientiâ Deo patri præstita. *Tunc dixi, Ecce adsum, ad faciendam Deus voluntatem tuam.* Hebr. 10, 17. *Esca mea est exequi voluntatem ejus, qui misit me, & perficere ipsius opus.* Joan. 4, 34. Deinde in ipsius erga nos flagitiis plurimis coopertos amore planè singulari. Galat. 2. v. 20. *Qui dilexit me, & dedit semetipsum pro me.* Eph. 5, 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro eâ.* Et cap. eod. vers. 2. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.* Postremò quanta est, & quàm insignis illa Christi gloria, quam à patre ob illud Redemptionis opus præstitum est consequutus? *Quapropter Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen, quod est supra omne nomen: Ut ad nomen Jesu omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium, & subterraneorum, Omnisq; lingua profiteatur Jesum Christum esse Dominum.* Philip. 2, 9. 10. 11. *Purgatione peccatorum nostrorum per seipsum factâ, sedit ad dextram Majestatis illius in locis excelsissimis,* Hebr. 1, 3.

Heb. 10, 7. Ioan. 4, 34. Galat. 2, 20. Ephes. 5, 25. & ver. 2. Philip. 2, 9, 10, 11. Hebr. 1, 3.

4. De hominis verò salute quid dicam? Quis enim ignorat eam ex ipsius justificatione pendere? Quorsum pro nobis mortuus est Christus, nisi ut nos in Dei gratiam restitueret, in quâ tota nostra felicitas sita est? *Justificati ex fide pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum,* Roman. 5, 1. & v. 8, 9. *Quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Justificati igitur nunc ejus sanguine, servabimur multò magis per illum ab irâ illâ.* Et v. 10. *Si quùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij ejus, multò magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.*

Rom. 5, 1, & v. 8, 9. & v. 10.

5. Cæterum hanc quam dicimus vitam, ita per justificationem adipiscimur, ut Adoptionis beneficio illam consequamur. Nam ea quidem est, quâ (ut antea significavi) idonei reddimur qui regni cælestis hæreditatem adire possimus.

am verò hæc hæreditas vel spe vel re acquiritur. Spe quidem, ut Tit. 3, 7. *Ut justificati illius gratiâ hæredes efficeremur secundum spem vitæ æternæ.* Et Rom. 8, 24. *Spe servati sumus.* Re autem eandem hæreditatem consecuturos dicit Apostolus Rom. 5, 17. *Qui redundantiam illius gratiæ, & doni justitiæ recipiunt, in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum.* De quo est illud Domini ac Servatoris nostri Matth. 25. 34. *Adeste benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento.* Rectè itaque Calvinus Instit. l. 3. cap. 18. n. 3. *Quum homo in gratiam à Deo recipitur, ut communicatione ejus fruatur, transfertur à morte ad vitam, id quod fit solius Adoptionis beneficio.*

Tit. 3,7.
Rom. 8,24.
Rom. 5,17.
Matt. 25,34
Calvinus.

PARTIS II.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

In quo nonnullorum Theologorum nostrorum sententia de justificatione proponitur.

1. FECI HACTENUS, UT JUSTIFICAtionis naturam, ex Ecclesiæ Anglicanæ aliarumque Reformatarum judicio, & Calvini sententiâ proponerem & explicarem: nempe ut ostenderem, quæ sit illa justitia, quâ ex injustis justificemur, vel justi reddamur apud Deum. Eam verò unâ peccatorum veniâ docuimus comprehendi.

2. Reperiuntur autem nonnulli, qui propter unam & fortasse alteram Calvini sententiam perperam intellectam, (de quibus ad cap. 3. lib. 1. disserui) remissione peccatorum non contenti, aliam sibi justitiam confinxerunt, quâ nobis ad justificationem opus esse contendant. Eam ego mihi, hoc libro disceptandam proposui; de Pontificiorum erroribus libro sequenti disputaturo. Primum autem, ut facilius quæ dicturus sum percipiantur, & de veritate illorum certius dijudicetur, quid Theologi illi senserint, diligenter inquiram, & bonâ fide exponam: tum breviter, & quam possum, perspicuè, rem ipsam disceptabo.

Quum hanc de justificatione controversiam inter nostros Theologos & Pontificios agitatam, Calvinus, pro eâ, quâ fuit, eruditione, & judicio planè singulari, prudenter & veritè posuisset, ita ut justificationis formam solâ peccatorum remissione diceret contineri. Matthias Flacius Illyricus vir sanè doctus & diligens, in eâ explicandâ, primus ab illo, quantum colligere possum, vel descivit, vel potius aberravit. Est autem hæc Illyrici, eorumque, qui illum sequuti sunt, opinio:

Calvinus.

Illyricus.

> Justificationem (quod ejus formalem causam attinet) non solùm peccatorum veniâ contineri; verùm donatione etiam & quasi collatione alterius cujusdam justitiæ ad eam opus esse, nempe justitiæ sive obedientiæ Christi imputatæ.

Jam hæc opinio has duas Enunciationes comprehendit: alteram, 1. Aliam justitiam præter remissionem peccatorum requiri, ut formale in justificatione impij, alteram, 2. Eam justitiam esse Christi obedientiam. De quibus sigillatim disserendum est.

CAPUT II.

In quo prior Enunciatio de aliâ justitiâ, præter remissionem peccatorum, examinatur.

ALiam justiam præter remissionem peccatorum requiri, ut formale in justificatione, hoc argumento probatur.

> Justitia de quâ Apostolus, Rom. 3. 25, 26. & 4. 6. & 5. 17, 21. & 9. 30, 31. & 10. 4, 6, 10. requiritur ut formale in justificatione peccatoris.
>
> Iustitia, de quâ in illis locis Apostolus est alia justitia præter remissionem peccatorum.

Ergo

Ergo alia justitia præter remissionem peccatorum requiritur ut formale in justificatione peccatoris.

2. Ut quæ ad hoc argumentum responsurus sum, ea dilucidiora sint, videtur faciendum, ut de singulis locis singillatim agam. De primo igitur respondeo Apostolum Rom. 3, 25. 26. non disputare de illâ justitiâ, quæ requiritur, ut formale in justificatione; ideoque propositionem dico esse falsam. Non agere Apostolum de illâ justitiâ sic ostendo:

Rom. 3, 25, 26,

Justitia, quæ requiritur ut formale in justificatione, non est justitia à quâ demonstratâ Deus pater justus dicitur.

Justitia, de quâ Apostolus Rom. 3, 25. 26. est justitia, à quâ demonstratâ Deus pater justus dicitur. Sic enim

3. Apostolus: *Quem Deus proposuit placamentum ad demonstrandam justitiam suam, ut sit ipse justus.* Hæc autem justitia duo significat, *Fidem sive fidelitatem Dei in præstando, quod promisit,* ut autor Commentariorum apud Ambrosium; vel eam justitiæ rationem, quam Deo in nobis redimendis sequi visum est; vel fortasse, quod verbis ipsis satis commodè videtur contineri, utramque. Sed harum posteriorem ab Apostolo ipso confirmari existimo. Nam ista justitiæ demonstratio, tanquam effectum propitiationis à Christo factæ infertur. *Quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguinem ipsius, ad demonstrandam justitiam suam.* Atque in hac quidem justitiâ illa prior continetur, aut saltem illi præcessisse intelligitur. Deus enim ex peccatis nostris per oblationem filij sui sublatis, & fidem suam, de Messiâ mittendo liberavit, eaque ratione justitiam, quæ fidei voce significari solet, demonstravit, & illam justitiam, quâ peccatum quis odisse dicitur, declaravit, quum illam supplicio filij sui voluerit expiari. Quare quod filio suo non pepercit, ut nobis parceret, in eo & veritatem suam, & justitiæ quam vocant vindicativæ, quâ uti voluit, rationem perspicuam fecit.

Ad hanc justitiæ, quam attuli, interpretationem confirmandam accedit, quod vox πάρεσις, quâ hoc loco utitur Apostolus, nusquam apud Scriptores Ethnicos, Bibliorum Hebræorum Interpretes septuaginta, aut Spiritus sancti in Novo Testamento amanuenses remissionem peccatorum, quâ Rom. 4, 7, 8. Tegi, & Non imputari dicuntur, significet, ut nihil hîc de remissione peccatorum ab Apostolo differatur, sed de supplicij dilatione; quæ profectò veniam non significat, unde in proverbij consuetudinem venit, *quòd differtur non aufertur.*

4. Rom. 4, 7, 8.

Quod secundum locum Rom. 4, 6. attinet, propositionem veram esse concedo: Assumptionem nego; quoniam nihil aliud est *Imputare justitiam sine operibus*, quàm *Non imputare peccata.*

5. Rom. 4, 6.

De tertio loco Rom. 5, 17. respondeo, nihil ex ipso loco elici posse, aut ex ullâ illius capitis parte, cur justitiam, de quâ illic Apostolus, formale esse in justificatione peccatoris existimemus; ut de propositione dubitandum esse videatur. Si quicquam ibi reperiatur, quo id confirmari posse judicetur, & ad hunc modum oportet disputare:

6. Rom. 5. 17.

Justitia *quam accipimus, & per quam in vitâ regnaturi sumus,* est formale in justificatione.

Justitia, de quâ Rom. 5, 17. est justitia *quam accipimus, & per quam regnatur sumus in vitâ.*

Ergo justitia, de quâ Rom. 5, 17. est formale in justificatione.

Hujus Syllogismi propositionem negaverim. Meritum obedientiæ Christi, quod nobiscum communicatur, non est formale in justificatione; & tamen est justitia, quam accipimus. Ergo non omnis justitia, quam accipimus, est formale in justificatione. Deinde ne illud quidem verum est; Omne id, per quod regnaturi sumus in vitâ, esse formale in justifi-

catione. Etenim meritum obedientiæ Christi non est formale in justificatione, etsi per illud in vitâ regnaturi sumus.

Postremò dico ex ipsius Apostoli verbis probari posse, justitiam, de quâ loquitur, non esse formale in justificatione; quod sic ostendo.

Justitia quæ est formale in justificatione, non magis valet ad vitam, quam Adami lapsus ad mortem. Nam formalis justitia nostra in justificatione, qualis qualis sit, hac solâ ratione ad vitam valet, quod nos disponat, & quantum est, de se per eam dispositionem nos ad vitam ducat; solùm autem ex Dei ordinatione jus nobis ad eam acquirendam tribuat; & actu ejus participes faciat. Eodem planè modo, & æqualiter Adami lapsus cum nos disponit, & quantum est de se per eam dispositionem ad mortem ducit; tum ex solâ Dei constitutione, & nos ad pœnas persolvendas obligat, & nos actu supplicio afficit.

Justitia, de quâ Apostolus multò magis ad vitam valet, quàm lapsus Adami ad mortem; ut disertis verbis affirmat Apostolus.

Ergò justitia, de quâ Apostolus, non est formale in justificatione.

7. Rom. 5, 21.

Idem est judicium de Rom. 5, 21. Apostolum non agere de formali in justificatione, sed de efficiente per modum meriti, ut ex iis quæ ad v. 17. respondi liquet. Nec quicquam certè adferri potest ex Apostoli verbis aut disputatione, cur hoc versu alia justitia, aut aliud causæ genus tradi videatur, quam illo tradidit, & de quibus â vers. 12. ad hunc locum disseruit. Jam verò totâ hac disputatione id egit, ut Christum ejusque obedientiam nos justos efficere ostendat, non minus quàm Adami peccatum nos injustos constituerit.

8. Roman 9, 30. 31.

Pergo ad quintum locum, Rom. 9, 30. 31. Atque hîc propositionis veritatem agnosco; agi scil. eo in loco ab Aposto-

o de formali in justificatione. Assumptionem verò nego. Quod ex Apostolo ad eam confirmandam peti posse videtur, hujusmodi est:

Justitia ex fide, ad quam Judæi non pervenerunt, gentes autem pervenerunt, est alia justitia præter remissionem peccatorum.

Justitia, de quâ Apostolus, est justitia ex fide, ad quam Judæi non pervenerunt, Gentes autem pervenerunt. Rom. 9. 30, 31.

Ergo justitia, de quâ Apostolus Rom. 9. 30, 31. est alia quædam justitia, præter remissionem peccatorum.

Nego propositionem. Nam ipsa remissio peccatorum est justitia ex fide, ad quam Gentes pervenerunt, Judæi autem non pervenerunt, nec pervenire potuerunt, quoniam non est justitia per opera legis adipiscenda, cum quibus nihil omninò habet commercij. Ea verò, quam Judæi sectabantur, justitia, solummodò ex operibus legis consequenda est.

9. Rom. 10, 4, 6, 10.

Quæ proponuntur è Rom. 10. 4. 6. 10. ea de formali in justificatione fateor disputari, itaque propositionem veram esse concedo. Assumptionem falsam esse contendo. Quæ planè nihil habet firmamenti ex iis quæ ab Apostolo differuntur. Etsi enim v. 4. *Justitiam* esse dicat, *quam per Christum consequimur.* v. 6. esse *Justitiam ex fide,* ver. 10. esse *Justitiam ex actu credendi comparatam:* tamen nihil dicit, cur Remissionem peccatorum non esse suspicemur. Nam hæc quidem omnia Remissioni peccatorum convenire nemo nescit.

Quæ de mutatione & vi vitæ æternæ conferendæ in hanc sententiam solent disputari, in responsione ad Bellarmini argumentum diluentur.

CAP. III.

In quo posterior illius de justificatione opinionis pars proponitur & explicatur.

1. Aliam esse justitiam, prçter remissionem peccatorum, quç ad justificationem impij flagitetur, tanquam formale in illâ justificatione, iis quas expendimus rationibus, probari posse existimatur. Sequitur, ut quæ sit illa justitia, intelligamus. Est autem Christi obedientia peccatori imputata. Justitiam Christi quam dicunt, non ejus Meritum, Fructum aut beneficium ab eâ ad nos profectum significant; sed ipsa opera, ipsas Christi actiones, in quibus illa ipsius obedientia sita est.

2. Ac istam quidem ejusdem Illyrici, aliorumq; quorundam Theologorum esse sententiam ex ipsorum Scriptis certò & dilucidè ostendam. Ita igitur Illyricus:

Illyricus,

1. *Passio aut obedientia Domini nobis per fidem imputata, est nostra justitia, ad Rom. 5, 9.*
2. *Nostra justitia est propriè formaliterq́; Obedientia Christi pro nobis patri satisfaciendo ac patiendo depensa.* ibid. ad v. 19.
3. *Justitia, quam Deus impio imputat, est totum opus, quod Christus Homo & Deus in unâ personâ, Mediator noster pro toto genere humano præstitit.* Centur. 1. lib. 2. cap. 4. col. 238.

3. Hemming, Hanc de justificatione nostrâ sententiam plenius & clarius tradidit atque explicavit Nicolaus Hemmingius gravis autor & cumprimis eruditus.

1. *Justificatio hominis coram Deo* (inquit Hemmingius de justif. artic. 2. ¶ justificatio hominis) *est Credentis in Christum*

absolutio à peccatis propter mortem Christi, & imputatio justitiæ Christi, &c.

2. *Justificamur* (inquit Paulus Rom. 3. 28.) *fide absq; operibus, i. e.* (ait Hemmingius art. eod. ¶ Quomodo) *Credentes justificati sumus, non operibus nostris, sed operibus Christi.*

Rom, 3, 28.

3. *Justificamur, seu justi reputamur, quùm Christi justitia nobis credentibus imputatur.* ¶ eod.

4. *Justificamur perfectione legis nobis credentibus, ut membris Christi donatâ & imputatâ.* ¶ eod.

5. *Christus suam obedientiam erga legem Dei. omni credenti imputat, ut eadem impletione, quâ ipse legem implevit, omnis qui credit, justus sit & censeatur.* ¶ eod.

6. *Justitia, de quâ agitur Rom. 2. 17, Galat. 3. 11, est obedientia Christi, quâ cum credentibus imputatur, justificantur.* ¶ eod.

Rom. 2. 17. Galat, 3, 12,

Jam verò hanc de justificatione impij opinionem, tribus propositionibus, quæ suo ordine proponentur, explicant; Quarum prima sic habet;

4.

I. *Justificatio peccatoris consistit in ipsius formali justitiâ, sive impletione Legis.*

Hæc propositio ex Hemmingio sumitur, ad hunc modum loquente:

Hemming.

1: *Justitia* (per quam scilicet justificatur homo) *est Conformitas hominis cum Deo, seu, quod idem est, Perfecta & absoluta hominis erga Deum obedientia, juxta ipsius legem.* de justif. art. 1. ¶ Justitia.

2. *Eâdem obedientiâ dicit nos conformes esse Deo in omni justitiâ & sanctitate.* art. 2. Hactenus.

3. *Eadem obedientia* eod. ¶ *dicitur esse justitia, quam lex requirit.*

4. *Lex & Evangelium eandem justitiam exigit,* ¶ Sciendum est. Nimirum (ut in extremo ¶ præcedenti dicitur) *Obedientiam erga Deum juxta ipsius legem.*

5. Quicunque justificatur ad vitam æternam, perfectione seu impletione Legis justificatur.

S. Justitia Legis (cujus perfectione justificamur) *est via vitæ æternæ, ut sola injustitia seu peccatum est via mortis æternæ.* art.1 ¶ Justitia.

5. Illam autem propositionem ex illis Hemmingij verbis rectè deduci, his rationibus ostendo.

1. Cujus justificatio in eâ justitiâ consistit, per quam conformis fit Deo in omni justitiâ & sanctitate, ejus justificatio in ipsius formali justitiâ, sive legis impletione posita est. Sola enim ipsius formalis justitia seu impletio legis, hominem Deo conformem efficere potest. *Sicut is, qui vos vocavit, sanctus est, ipsi quoque Sancti in omni conversatione reddamini.* 1. Pet. 1, 15. *Estote vos perfecti, ut pater vester, qui est in cælis, perfectus est.* Matth. 5, 48.

1 Pet. 1, 15. Matth. 5, 48

At hominis justificatio in eâ justitiâ consistit, per quam conformis fit Deo in omni justitiâ & sanctitate, per 1. Enunciatum ex Hemmingio.

Ergo hominis justificatio in ipsius formali justitiâ, vel legis impletione posita est.

6. Secundo loco ita disputo ex iisdem Hemm. Enunciatis.

2. Cujus justificatio consistit in eâ justitiâ, quam lex flagitat, ejus in ipsius formali justitia, sive legis impletione posita est.

Certum enim & perspicuum est justitiam, quam lex ab unoquoq; exigit, esse Legis impletionem per ipsum, id est, ut eam ipse præstet. Deut. 27, 28. *Maledictus qui non præstiterit verba legis hujus faciendo ea.* De quo ita Perkinsus ad Gal. 4, 4. pag. 318. B. *Qui maledictionem legis vitare cupit, & ad vitam æternam pervenire, illum oportet per se omnia præstare, quæ in lege continentur.*

Deuter. 27, 28. Perkinsus.

At hominis justificatio consistit in eâ justitiâ quam lex flagitat, per 3. Enunciatum ex Hemmingio.

Ergo justificatio hominis consistit in ipsius formali justitiâ, sive impletione legis.

Tertio ex eodem Hemm. eandem propositionẽ sic probo: 7.

3. Cujus justificatio consistit in eâ justitiâ, quæ est via vitæ æternæ, ut injustitia est via mortis æternæ, ejus justificatio consistit in ipsius formali justitiâ, sive impletione legis. Quis enim ignorat, injustitiam, quæ singulis hominib. via est mortis æternę, esse singulorum peccata habitualia & actualia? *Quo die comederis de eo, moriturus es.* Genes. 2. 17. *Anima, quæ peccat ipsa morietur,* Ezech. 18. 4.

Gen. 2. 17. Ezech. 18, 4

At hominis justificatio consistit in eâ justitiâ, quæ est via vitæ æternæ, ut injustitia est via mortis æternæ. per 4. & 5. enunciatum.

Ergo hominis justificatio consistit in ipsius formali justitiâ, sive legis impletione. Quod etiam ipsius Hemminij verba declarant, quum ita loquitur. Hinc evidenter concluditur, quòd justificatio hominis sit impletio legis divinæ, aque perfecta & partibus & gradibus. art. 1. ¶ Justitia.

Sequitur jam secunda propositio, ad ejus, quâ de agitur, opinionis declarationem.

2. *Obedientia Christi est illa formalis justitia peccatoris.* 8.

Hanc propositionem tradit Illyricus disertis verbis. Illyricus.

1. *Nostra justitia est propriè formaliterq́; Obedientia Christi,* ad Rom. 5, 19.

2. *Passio aut Obedientia Domini nobis per fidem imputata, est nostra justitia: non tanquam causa remota, quâ nobis justitia infusa manatur; sicut si quis dicat, Meo argento vestior & alor, sed tanquam formalis,* ad Rom. 5, 9.

Eam etiam significat Hemmingius, quùm ita loquitur: Hemming.

1. *Quum nobis adscribitur Obedientia Christi, quâ ipse legem Dei implevit, justi reputamur coram Deo. Neq; enim jam lex conqueri potest. Habemus enim quod lex requirit, nempe integram legis impletionem.* de justif. art. 2. ¶ Sciendum est.

Ve-

Venio nunc ad tertiam earum, quas dixi, propositio-uem, quæ hujusmodi est.

9. Illyricus.

3 Obedientia Christi peccatori à Christo imputatur.

Hujus propositionis autor est Illyricus; Sic enim scribit:

1. Justitia quam Deus impio imputat, est totum opus Christi. Centur. 1. lib. 2. cap. 4. col. 238.

2. Passio aut obedientia Domini nobis per fidem imputatur. ad Roman. 5, 9.

Hemming.

Illi suffragatur Hemmingius:

1. Justificatio hominis coram Deo est imputatio justitiæ Christi. de justif. art. 2. ¶. justificatio.

2. Justitia Christi nobis credentibus imputatur, artic. eod. ¶. Quomodo.

3. Deus imputat nobis impletionem legis per Christum. art. eod. ¶ Sciendum est.

10. Sect. 2.

Quam postremo loco posui propositionem de Justitiâ Christi nobis à Deo imputatâ, ejus usus & quasi necessitas tribus aliis Enunciatis explicatur. Ea verò ita habent.

1. *Peccator in Christo & per Christum legem præstitisse reputatur.*
2. *Qui legem implevisse reputatur, per eam impletam formaliter justus esse intelligitur,*
3. *Qui per legis impletionem formaliter justus esse intelligitur, illi debetur vita æterna ex fœdere Hoc fac, & vives.*

Beza.

Jam hæc tria Enunciata hac unâ Theodori Bezæ sententiâ perspicuè continentur; *Justi* (inquit Beza ad Rom. 5, 16.) *pronunciamur, & digni vitâ æternâ, ex impletâ in Christo à nobis omni justitiâ.* In quâ sententiâ Primum, *Omnem justitiam in Christo à nobis impletam esse dicit:* Deinde, *Nos ex eâdem impletâ dignos esse vitâ:* quod ex solo fœdere *Hoc fac & vives,* pendere potest. Neque id obscurè significat ad idem cap. ipse Beza, quum ita scribit: *Obedientiâ Christi imputatâ etiam justi declaramur, ut ex ipsâ quoque legis formulâ vitam æternam petere possimus.* ad Rom. 5. 19.

11.

Atque hactenus de tribus illis Enunciatis conjunctim; deinceps de unoquoque illorum singillatim.

De quorum primo ita vir quidam doctus & pius: *Quemadmodum omnes originaliter in Adamo existentes propter suam cum illo unionem, peccaverunt; ita fideles in Christo tanquam capiti suo & radice existentes, justificantur per ejus obedientiam ipsis imputatam. Quoniam in illo, & per illum, propter nostram cum illo unionem, legem implevimus, & in illo, & per illum justitiæ Dei satisfecimus.*

Gibbinsus.

Eum sequutus est Gibbinsus. *Persona* (inquit) *verè dicitur justa, quoniam membrum Jesu Christi justi facta est: Atq; æquè verè spiritualiter in illo fuit in totâ ejus obedientiâ & passionibus, ac fuit in carne in Adamo, quando Adamus peccavit:* ad Gen. cap. 6. v. 9. q. 4. Et ad cap. 3. v. 16. q. 11. *Christus* (inquit) *implevit legem justitiæ, quam qui facit, in illâ vivet, ut genus humanum eam illo implens, in illo viveret, qui est vita ipsa.*

12. Scharpius. 3.

De secundo Enunciato ita Scharpius de justif. cont. 8. arg. 2. *Per imputationem justitiæ Christi formaliter justi constituimur.* Et contr. 9. art. 5. *Per obedientiam Christi formaliter justi facti sumus.* Et paulò pòst: *Formaliter per imputatam Christi obedientiam justi constituimur.*

VVilletus.

In eandem sententiam Willetus nostras Synops. de justif. qu. 1. de justif. inhær. contr. 3. ad 2. respons. Bellarm. ad arg. 3. *Christus & Ecclesia ipsius per eandem justitiam, nempe per justitiam Christi formaliter justi sunt.*

Col. Antid.

Quæ Pontificiorum etiam quorundam sententia fuit. *Justificamur à Deo* (ajunt Colonienses in Antididagmate cap. de justif.) *justitiâ duplici, tanquam per causas formales & essentiales. Quarum una prior est consummata Christi justitia, non quidem quomodo extra nos in ipso Christo est, sed sicut & quando eadem nobis, dum tamen fide apprehenditur, ad justitiam imputatur. Hæc tamen ipsa ita nobis imputata justitia Christi, præcipua est & summa justificationis nostræ causa, cui principaliter inniti & fidere debemus.*

And. Vega.

In hanc ſententiam (ut ait Vega de juſtif. lib. 7, cap. 21.) inclinaſſe videntur autores libelli oblati à Cæſare Collocutoribus in Comitiis Ratisbonenſibus. *Licet enim* (ut obſervat Vega) *non utantur verbo formaliter, neq; dicant juſtitiam Chriſti cauſam eſſe formalem noſtræ juſtificationis; tamen eandem cum Colonienſibus videntur ſequuti ſententiam, quia præter juſtitiam inhærentem, alteram juſtitiam, nempe Chriſti, communicari nobis aſſeruerunt, quâ præcipuè fiamus juſti, cuiq; ſoli debeamus inniti. Hæc autem habentur ejus libri cap. 5. Ubi dicunt fidelem animam non inniti juſtitiæ ſibi inhærenti, ſed ſoli juſtitiæ Chriſti nobis donatæ; ſine quâ nulla eſt omninò, neq; eſſe poteſt juſtitia.*

13. Scharpius,

Tertium Enunciatum confirmat ille, quem modò nominavi, Scharpius contr. 10. in reſponſ. ad object. 8. *In Chriſto juſti accenſemur, ejusq; juſtitia coram Deo noſtra eſt: ideoq; tales habemur, ac ſi legem perfectè præſtitiſſemus: ac proinde juxta fœdus Dei, Hoc fac & vives, vita ad nos pertinet.*

Bucanus,

Idem affirmat Bucanus Inſtit. loc. 31. q. 14. arg. 2. *Quia non ſolùm expiatione peccati nobis opus fuit ad tollendam mortem, ſed juſtitiæ dono ad vitam æternam, juxta legis præceptum & poſtulatum, Hoc fac & vives, ideò Chriſtus finis & perfectio legis dicitur ad ſalutem omni credenti.*

PerKinſus

Perkinſus etiam propter Chriſti obedientiam vitam æternam nobis etiam ex legis formulà deberi ſignificat his verbis: *Per ſecundam obedientiam in lege præſtandâ filius Dei pro nobis præſtitit omnia, quæ in lege continentur, ut jus haberemus ad vitam æternam, juxta legis tenorem, Lev. 18, 5. Hoc fac & vive.*

CAP. IV.

Quomodo tres illæ propositiones, de quibus disseruimus, ad justificationem impij accommodentur.

1. HActenus quæ fuerit Theologorum quorundam de justificatione sententia quam potui perspicuè & breviter ostendi; reliquum est, ut cui tandem usui tres illæ propositiones inserviant, ad justificationem nostram consummandam exquiram & explicem. Eum verò horum Enunciatorum usum ex Hemmingio discernus, à quo proponuntur, ut nobis opus esse Christi justitiâ, quâ formaliter justificemur, vel justi fiamus, ostendat. Ac primum quidem, illud sumit pro concesso, *Justitiam, quæ est* (ut loquitur) *regula vitæ æternæ, esse Conformitatem hominis cum Deo, vel absolutam hominis erga Deum obedientiam, juxta ipsius legem, Verissimum* (inquit) *est, & extra omnem controversiam apud omnes rectè sentientes positum, quod sola perfecta obedientia erga Legem Dei, sit justitia illa, quæ est via vitæ æternæ,* de justif. artic. 2. ¶ Hactenus. Quod etiam ait se clarissimè probâsse è Deuter. 27, 26. Matth. 19. 17. Hanc autem in lege servandâ obedientiam, quum præstare nullo modo possemus ipsi, alienâ justitiâ succurrendum nobis esse, aut pereundum, manifestò liquet. *Aut hanc perfectam obedientiam* (inquit Hemmingius ¶ Hactenus) *ad tribunal Dei adferre oportet, aut omninò pereundum erit, idq; justissimo Dei judicio. Quum videret Deus nostram miseriam* (ait idem Hemm. ¶ Sciendum.) *& cerneret nostram infirmitatem ad præstandam legem, ei succurrere decrevit, ita tamẽ, ne discederet à normâ suæ justitiæ, quam semel sanxerat, nunquam abolendam. Misit igitur filium suum in mundum, ut homo fieret, impleret legem, eamq; impletionem nobis imputaret, ut eâ donati*

Deut. 27, 26
Matt. 19, 17.

justi appareamus in conspectu Dei, non secus atq; si nos ipsi nostrâ obedientiâ legem implevissemus. Ex quo fit, ut jam in viâ insistamus, quæ rectâ in possessionem vitæ æternæ nos adducit. Neq; enim jam lex conqueri potest; Habemus enim quod lex requirit, nempe integram legis impletionem, hoc est, justitiam, quæ est via vitæ æternæ.

2. Jam, ut quid sit in hac Hemmingij disputatione veri dilucidius perspici queat, ad Syllogismi tribunal accedendum est, & ita disputandum:

Si justitia, quâ justificandus est homo, sit perfecta & absoluta hominis erga Deum obedientia juxta ipsius legem, nec quisquam mortalis juxta legem ita Deo obedire potest, ut per eam obedientiam justificari possit, tum Christi obedientia juxta legem, est justitia, quâ justificandus est.

Ut hujus connexi Axiomatis vera sit consequentia; veras esse oportet posteriores duas propositiones; sc. Christi obedientiam juxta legem homini justificando imputari; & eam obedientiam sic imputatam, esse ipsius impletionem legis, sive formalem justitiam. Si enim aut non imputetur nobis hæc obedientia, aut imputata non sit nostra legis impletio, quo modo per eam justificari intelligemur, quum nullo modo justificari possimus, nisi per legem à nobis impletam, *quæ est nostra cum Deo conformitas in omni justitiâ & sanctitate*; ut ait Hemmingius art. 1. ¶ Justitiæ.

At justitia, quâ justificandus est homo, est ipsius legis impletio, nec quisquam mortalis juxta legem ita Deo obedire potest, ut per eam obedientiam justificari possit.

Hujus Assumptionis pars prior, eadem planè est cum primâ illarum propositionum; nempe Justificationem hominis in formali ipsius justitiâ, sive legis impletione esse positam. Neque enim satis ad justificationem hominis valet, ut lex ab alio quopiam præstetur, sed qui per legem præstitam justificari cupit, eam ipse præstet necesse est. Etenim sua cu-

jui

jusque legis impletio, non alterius est ipsius conformitas cum Deo in justitiâ & sanctitate. Pars autem posterior, quæ legem ab homine præstari posse negat clarissimo scripturæ testimonio affirmatur, Rom. 3, 19. *Ex operibus legis nulla caro justificabitur.*

Rom. 3, 19.

Ergo Christi obedientia juxta legem imputata est justitia, per quam homo justificatur.

3.

Videmus quæ sit illa justitia, quæ ad hominis justificationem ab illis flagitetur, qui præter remissionem peccatorum; quâ justificationem contineri Ecclesia Anglicana & Calvinus, aliique Theologi existimant, aliâ justitiâ (ut loquuntur) positivâ, quâ justificetur, sive justus fiat, opus esse contendunt.

Eccl. Angl

Calvinus.

Posteriora duo axiomata, nimirum *Obedientia Christi est formalis justitia peccatoris:* & *Obedientia Christi imputatur à Deo ad justificationem peccatoris*, adferuntur ab Hemmingio art. 2. Hactenus. &c. Sciendum est, ut ostendat quo modo eam quâ de loquuti sumus, justitiam adipisci valeamus, nempe *absolutam & perfectam obedientiam erga Deum juxta ipsius legem, quâ fiat, ut conformes illi simus in omni justitiâ & sanctitate*, Quare si ulla harum trium propositionum è Scripturis probari nequeat, certum est, verum non esse, Christi obedientiam esse illam justitiam, quâ peccatorem justificari, vel ex injusto justum fieri oporteat. Faciamus igitur, ut quid in harum unaquaque sit veri, investigemus.

CAPUT V.

In quo ad argumenta Hemmingij respondetur, quibus primam propositionem confirmat.

1.

ETsi nihil causæ videam, cur non liceat mihi Illyrici, Hemmingij eorumque qui illos sequuti sunt, opinioni, Eccle-

ſiarum reformatarum Anglicanæ, Gallicæ, Belgicæ, Calvini, aliorumque Theologorum quamplurimorum autoritatem & judicium opponere, præſertim argumentis nonnullis confirmatam: tamen, ut res tota facilius & certius dijudicari poſſit, rationes, quas Hemmingius propoſuit, quàm poſſum diligentiſſimè ponderabo.

2. Prima itaque propoſitio ſic habet,

I. Juſtificatio peccatoris in ipſius formali juſtitiâ, ſive legis impletione conſiſtit.

Hemming. Hanc propoſitionem ita probat Hemmingius:

Si lex Dei in Decalogo ſit juſtitiæ norma, quæ eſt via vitæ æternæ, tum juſtificatio hominis eſt ipſius impletio legis.

At lex Dei in Decalogo eſt juſtitiæ norma, quæ eſt via vitæ æternæ. De juſtif. art. 1.

Ergo juſtificatio hominis eſt ipſius impletio legis. artic. eod.

Quanquam hujus Syllogiſmi concluſio ab eâ, quæ probanda erat, propoſitione, nonnihil diſcrepare videatur; tamen reapſe unam & eandem utraque ſententiam comprehendit. Subjectum enim propoſitionis de juſtificatione peccatoris loquitur: Antecedens complexionis pars paulò generaliu[s] de hominis juſtificatione. Eadem tamen eſt juſtificatio hominis & peccatoris; illa ſc. *de quâ* (ut ait Hemmingius art. 2 ¶ Juſtificatio hominis.) *concionatur Evangelium*; *Juſtificati[o] credentis in Chriſtum*; *propter mortem Chriſti*. Quæ omnia ad juſtificationem peccatoris pertinere quis ignorat? Peccatori enim eſt juſtificatio, de quâ Evangelium, *Omnes peccaverunt juſtificati gratis,* Rom. 3, 24. *Credenti in eum, qui juſtificat impium* Rom. 4. 5. Peccatori credendum eſt in Chriſtum ad juſtificationem. *Crede in Dominum Jeſum Chriſtum, & ſervaberis.* Act. 1[6,] 21 *Quem propoſuit Deus placamentum per ſanguinem ipſius,* Rom 3. 25. Placamento autem peccatori opus eſt, qui reconciliandus eſt Deo. Rom. 5, 10. 11.

Hemming.

Quo

Quod verò dicit Hemmingius *Esse impletionem legis*; id conclusio ita tradit, *Consistere in impletione Legis*, *Esse* nimirum & *Consistere* formaliter & essentialiter, non per accidens & quasi obiter. Quam quidem esse Hemmingij sententiam res ipsa apertè loquitur, quum illud ab eò quæratur, de justif. artic. 1. Quid sit, quo homo justificatur. Postremò obedientiâ sive impletione legis, Hominis ipsius obedientiâ vel impletio, quæ formalis sit ejus justitia, significatur, nempe ut loquitur Hemmingius art. 1. in init. *Conformitas hominis cum Deo, vel quod idem est*, ut ipse ait, *perfecta & absoluta hominis erga Deum obedientia juxta ipsius legem.*

Hemming.

Istis ad hunc modum expositis, quod Syllogismum hunc attinet, dico sumi in eo pro concesso, Eandem justitiam esse viam ad vitam æternam, cum in lege, tum Evangelio. Etenim nisi illud concedatur, infirma est propositionis consequentia. Quid enim si lex Dei in Decalogo sit norma illius justitiæ, quæ est via vitæ æternæ? Si præter hanc in lege præscriptam sit alia via in Evangelio constituta, quid impediet, quo minus justificetur quispiam sine legis impletione? Quod quum Hemmingius animadverteret, id quasi fundamenti loco ponendum esse rectè judicavit, *Eandem justitiam in lege & in Evangelio ad justificationem postulari.* Art. 1. in princ. & artic. 2. ¶ sciendum est. Hoc autem falsum est. Quare propositionis illius connexio non est necessariæ veritatis, ac proinde tota ratio vacillat & claudicat. Falsum esse his rationibus ostendo.

3.

4.

1. Ubi justitia, quæ est via vitæ æternæ eadem est, etiam fœdus Dei de vitâ æternâ consequendâ idem est. Fœdus namque aliud est atque aliud pro ratione justitiæ, quæ illius conditio esse intelligitur, quum fœdus ex conditione pendere, & ab eâ quasi naturam suam mutuari perspicuum sit.

At in lege & Evangelio non est idem Dei fœdus de vitâ æternâ consequendâ. Assumptionem hanc probat Apostolus ad Galatas 3. capite his verbis: *Hoc autem dico, Pactionem*

priorem ratam factam à Deo respicientem in Christum, lex, quæ post annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritam, ut vanam reddat promissionem. Quibus verbis pactionem quæ est ex lege, opponit Apostolus ei pactioni, quæ est secundùm promissionem vel Evangelium. Quæ est etiam ejusdem Apostoli sententia, Rom. 4,13.14. *Non enim per legem promissio cessit Abrahamo, aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei. Etenim, si qui ex lege sunt, hæredes sint, inanis facta est fides, & vana reddita est illa promissio.*

5. Neque solùm autoritate suâ frangit eos, qui aliter sentiunt, Apostolus, sed etiam ratione pugnat. Ita enim disputat:

1. Fœdus quadringentos & triginta annos post pactionem in Evangelio, factum non est idem fœdus cum fœdere in Evangelio sancito.
Fœdus legale quadringentos & triginta annos post pactionem in Evangelio factum est.
Ergo fœdus legale non est idem fœdus cum fœdere in Evangelio sancito.

Major ex ipsis Apostoli verbis elicitur; Quorsum enim legem tam sero latam esse dicit, nisi ut eâ ratione ostendat, aliud in eâ fœdus contineri, quam quod in Evangelio multò ante ictum fuerat? Assumptionem disertis verbis ponit Apostolus, quum legem tot annos post pactionem in Evangelio datam esse contendat. Legem nimirum Mosis ministerio datam esse significat, quâ fœdus illud inter Deum & populum Israëliticum percussum est. Exod. 20,1. *Lex per Mosen data est,* Joan. 1,17. *Promissio* autem, quâ Evangelium nititur, *Abrahamo facta est,* Gen. 12,3. De quâ ad hunc modum Apostolus Galat. 3,8. *Quum providisset Scriptura Deum ex fide justificaturum Gentes, id ante evangelizavit Abrahamo: Benedicentur (inquiens) in te omnes Gentes.*

Calvinus, Ad hujus Assumptionis explicationem ita Calvinus Instit. l. 3. c. 11. n. 20. *Riderent hujusmodi argumentum imperiti, quod*

ante

ante promulgationem Legis potuerint esse justa opera: sed quia operibus non nisi ex Dei testimonio ac dignatione tantum inesse momenti noverat, pro concesso assumpsit, ante legem vim justificandi non habuisse. Nam (ut eodem loco Calvinus) *Quis operum justitiam Deo venditare audeat, nisi quam ipse approbârit? Quis tanquam illis debitam reposcere mercedem, nisi quam ille promiserit? Habent ergo id ex Dei beneficentiâ, quod & justitiæ titulo & mercede digna habentur.* Jam verò nusquam in Scripturis ante legem Mosi datam, de fœdere ex operibus, quibus vita æterna debeatur, ulla mentio facta est, aut significatio. Igitur toties negat Apostolus *justificari homines ex operibus legis, vel ex lege.* Roman. 3. v. 20. *Ex operibus legis nulla caro justificabitur.* Et vers. 28. *Colligimus fide justificari hominem absq; operibus legis.* Galat. 2, 16. *Scientes non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi, etiam nos in Christum credimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis; propterea quod non justificabitur ex operibus legis ulla caro. Enochus* certè *cum Deo ambulavit, & assumpsit eum Deus.* Gen. 5, 24. Verum hoc ex fœdere legis aut operum non esse factum, literæ sacræ loquuntur. Hebr. 11, 5. *Per fidem Enochus fuit translatus, ne videret mortem.* Quod etiam eod. cap. de reliquis Patribus & Patriarchis tàm ante, quàm post diluvium disertis verbis pronunciatur.

Rom. 3, 20. v. 28. Galat. 2, 16. Gen. 5, 24. Heb. 11, 5.

Alterum Apostoli argumentum sic habet:

6.

2. Quod fœdus pactionem priorem ratam factam à Deo irritam facit, ut vanam reddat promissionem, non est idem cum fœdere in Evangelio sancito. Neque enim fieri ullo modo potest, ut fœdus à Deo sancitum, seipsum inane reddat; pactio autem illa Dei fœdus erat in Evangelio, ut paulò ante ostendi, cui alterum illud fœdus post 430 annos factum repugnare non potest, si idem cum illo priori esse intelligatur.

At fœdus illud alterum in lege pactionem priorem ratam factam à Deo irritam facit, nimirum, quia justificari ho-

minem ex operibus postulat, qui justificandus erat ex fide in Messiam, non autem ex operibus legis. Gal. 2. 16.

Gal. 2, 16.

Ergo fœdus illud alterum in lege non est idem cum fœdere in Evangelio sancito.

Quomodo igitur eadem in Evangelio & lege justitia flagitari intelligetur, cum diversa esse fœdera, vel potius opposita liquidò constet?

7. Cæterùm urgent nos nonnulli hoc argumento:

Si lex per Evangelium ad justificationem stabilitur, tum eadem justitia in lege & Evangelio postulatur.

At lex per Evangelium ad justificationem stabilitur, Rom. 3, 31.

Rom. 3, 21.

Ergo eadem justitia in lege & in Evangelio postulatur.

Primum, hæc Assumptio Apostoli esse non videtur. Etenim nec quicquam in ipsis Apostoli verbis continetur, è quo ad justificationem pertinere ista intelligantur; & (quemadmodum eruditis quibusdam Theologis videtur) agit hîc Apostolus de lege stabilienda, quatenus lex justitiæ norma est: qui revera est proprius legis finis, ad quem suâ naturâ & per se collineat, sine ullâ legislatoris externâ impositione. Augustinus quidem apud Melanchthonem ad Roman. 3, 31. ita locum exponit, ut dicat *fide nos accipere Spiritum sanctum, & fide orantes impetrare auxilium Dei, ad legem faciendam.* Eadem est Anselmi Cantuariensis expositio: *Per hoc* (inquit ad Rom. 3, 31.) *Lex non destruitur; sed stabilitur per fidem: quia fides impetrat gratiam, quâ lex impleatur; gratia sanat voluntatem, ut justitia liberè diligatur.* Primasius etiam idem sensit ad hunc locum. *Si fides non sit, jubet tantum lex, & non implentes reos tenet. Lex non impletur, nisi per charitatem, quam Spiritus sanctus infundit per gratiam suam.*

Augustinus. Anselmus. Rom. 3, 31. Primasius.

8. Sin autem de justificatione loqui Apostolum sentiamus, respondeo Legem stabiliri, quum ad eos fines accommodatur, ad quos à Deo fuit constituta. Jam ad justificationem

con-

onstituta fuit à Deo; vel directè & immediatè secundum am, quam ex suâ naturâ, & ex se habet aptitudinem, vel inlirectè & mediatè solum per externam quandam impositionem ex Dei voluntate pendentem.

9. Si de priori agatur, concedo propositionem, Assumptionem nego. Nam illa hominis justificatio, ad quam ex se pta nata est lex, per opera nostra ex judicio intellectus notri, & imperio voluntatis nostræ proficiscitur. Quæ quidem ustificatio non stabilitur per Evangelium. Colligit enim postolus Roman. 3, 28. *Justificari hominem absq; operibus legis,* ltem ejusmodi operibus. Rom, 3, 28.

10. Si de posteriori differatur, dico Assumptionem esse veam. Etenim Christum nobis proponit Evangelium, ad quem x pædagogus est: Hoc autem sensu consequentia propositionis infirma est. Lex enim solùm ex Dei ordinatione ad juificationem tendit; nec id quidem per modum alicujus juitiæ, sed quatenus est pædagogus noster ad Christum, ut juificemur fide, Gal. 3, 24. Pædagogus verò noster est ad Christum, non per quamcunque justitiam, sed ut eodem loco postolus ver. 22, 23. Quod *omnia sub peccatum concludat, & sub æsidio suo teneat.* Sed de his plura cap. 18. Gal. 3, 24. v. 22, 23.

11. Fundamento argumenti labefactato, ad Syllogismum sum, quem proposui, tanquam ad ædificium deturbandum cedo. Verum priusquam ad eum machinam apponam, istinctiones unam & alteram, quasi instrumenta operis, mparabo. Dico itaque Justitiam, quæ via vitæ æternæ ab emmingio vocatur, viam esse ejusmodi vel de jure, vel de cto. Dicam planius. Justitia illa ejusmodi via est, ut vel de re tantùm suâ naturâ, & (ut loquuntur Scholastici) quanm est de se, idoneos reddat homines, qui vitæ æternæ rticipes fiant: vel etiam per quam de facto Deus homines l cœlestis regni possessionem rectâ ducat. Priori quidem odo justitia legis via est, quâ si quis incedat, quod ipsam

viam attinet, ad cœlum de jure possit accedere. *Sic enim Moses* Rom. 10, 5. *describit justitiam, quæ est lege, Quòd qui præstiterit ea, vivet per illa.* Et Paulus Rom. 2, 13. Qui legem præstant, eos justificatum iri pronunciat. Quare si in Minori is sensus illis verbis subjectus sit, Legem Dei in Decalogo esse justitiæ normam, quæ naturâ suâ & de jure est via vitæ æternæ, concedo veram esse Assumptionem. At illo sensu consequentiam propositionis infirmam esse contendo. Etsi enim illa justitia naturâ suâ ejusmodi sit, ut qui eam præstet, illum idoneum efficere possit, qui cœlesti regno fruatur; tamen ex eo non consequitur, Deum constituisse homines per eam justitiam de facto regni illius participes facere.

Rom. 10, 5. Rom. 2, 13.

12.

Sin autem (quod profecto fieri debet) de illâ viâ, quâ Deus homines de facto rectâ ad cœlum ducat, verba illa intelligantur, dico Assumptionem esse falsam. Etenim lex Dei in Decalogo non est illius justitiæ regula, quâ Deus per modum justificationis & Adoptionis, hominibus ad cœlum aditum patere voluit. *Absq; lege justitia Dei manifesta facta est,* Roman. 3, 21. *Colligimus fide justificari hominem absq; operibus legis.* Rom. 3, 28. *Non per legem promissio cessit Abrahamo & semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei.* Rom. 4, 13. *Si ex lege est hæreditas, non jam est ex promissione: Abrahamo verò per promissionem gratificatus est Deus hæreditatem.* Quamobrem rectè Calvinus Instit. l. 3. c. 17. n. 7. *Fatemur libenter absolutam legis obedientiam esse justitiam. Sed extare usquam talem justitiæ formam negamus.* In quam sententiam Ecclesia Anglicana serm. de salvat. part. 1. & omnes à justitiâ & obedientiâ alienos esse confitetur, & quomodo ipsorum imbecillitati subveniri queat, ostendit. *Quoniam omnes deliquerunt, & in Deum peccaverunt* (ait nostra ecclesia) *legem ipsius violando; nemo prorsus suis factis & operibus, etsi egregia esse videantur, justificari potest apud Deum, seu justus fieri.* Quibus verbis & justitiam legis homines de jure justificare posse significatur; & per eam nemi-

Rom. 3, 21. Rom. 3, 28. Rom. 4, 13. Calvinus. Eccl. Angl.

nem

nem de facto justum fieri, quoniam eam præstare non possumus, affirmatur. Quo modo autem nobis succurri possit, quæ sequuntur, explicant. *Aliam igitur justitiam sive justificationem à Deo consequendam à singulis comparari necesse est; nimirum eorum, in quibus deliquerunt, remissionem & veniam.* Sed de priori distinctione satis multa. Ad alteram pergo.

13. Ea verò sic habet: Via vitæ æternæ, vel totam viam significat, ejusque omnes partes, vel ejus aliquam partem. Si illud ageretur, ut lex norma esse illius justitiæ, quæ est pars quædam ejus viæ, quâ ad vitam æternam pervenire possimus, existimaretur, de veritate propositionis dubitandum esse responderem. Etenim ubi plures sunt viæ partes, lex justitiæ illius, quæ ad unam viæ partem pertinet, norma esse potest, ut ejus justitiæ, quæ ad alteram partem spectat, pars nulla esse intelligatur. Verbi gratiâ: Fieri potest, ut immortalitas, animæ quæ est altera hominis pars, conveniat, nec tamen corpori, quæ est altera hominis pars, convenire sentiatur. Quare ut concedamus, legem esse normam illius justitiæ, quæ est pars quædam ejus viæ, quæ ad vitam æternam ducit; ex eo non sequetur, esse etiam illius partis normam, quæ justificatio peccatoris dicitur.

14. Verùm si illis verbis significetur, legem esse illius justitiæ normam, quæ est tota via, quæ nos ad vitam perducat æternam, propositionis consequentiam veram esse fateor; sed minorem falsam esse contendo. Nam justificatio peccatoris est viæ illius pars, quâ adeunda est vita æterna. Illius autem justitiæ, quæ est via vitæ, singulis qui justificantur, lex norma non est. Quod ita ostendo:

15. Rom. 3. 21.

I. Justitia, quâ peccatores justificantur quicunque justificantur, est justitia Dei, Rom. 3, 21. *Ex operibus Legis nulla caro justificabitur in conspectu Dei; Nunc verò absque lege justitia Dei manifesta facta est.*

Lex norma non est justitiæ Dei, Rom. 3. 21. *Absque lege enim*

manifesta facta est, Roman. 3. 21. *& legi opposita est*, Roman. 4, 5.

Ergo lex norma non est justitiæ, quâ peccatores justificantur, quicunque justificantur.

16. II. Justitia quâ peccatores justificantur, quicunque justificantur, est justitia illorum, qui in legem deliquerunt.

1. Joan. 3, 4. *Peccatum enim est legis transgressio*. 1. Joan. 3, 4. Peccator igitur in legem deliquit; ac proinde peccatoris justitia est illius justitia, qui in legem peccavit; ejusmodi sc. justitia, ut illi, qui legem transgressus est, possit convenire.

Justitia cujus lex norma est, non est illius justitia, qui legem transgressus est. *Quisquis totam legem servaverit, impegerit autem in uno, omnibus tenetur*, Jac. 2, 10. *Execrabilis est, Quisquis non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*. Gal. 30, 10. Deut. 27, 26.

Iacob 2, 10 Galat. 3, 10 Deu, 27, 26

Ergò justitia cujus lex est norma, non est justitia, quâ peccatores justificantur, quicunque justificantur.

17. III. Justitia quâ peccatores justificantur, quicunque justificantur, est justitia quæ justificatum ex impio & injusto pium ac justum faciat per modum mutationis physicę vel moralis, ut ostendi lib. 2. c. 2. n. 7.

Justitia cujus lex norma est, non est justitia, quæ justificatum ex impio & injusto pium ac justum facit per modum mutationis physicæ vel moralis. Lex enim justum esse hominem, qualis initio creatus est, pro concesso sumit, & ab illo tanquam justo obedientiam flagitat. *Hoc fac*, Levit. 18, 5.

Lev. 18, 5.

18. Ergo justitia, cujus lex est norma, non est justitia, quâ justificantur quicunque justificantur.

IV. Justitia quâ peccatores justificantur, quicunque justificantur, est via perveniendi ad cœlum sine merito, Rom. 4. 4, 5. *Ei qui operatur, merces non imputatur ex gratiâ, sed ex debito. Ei verò qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam*.

Rom. 4, 4, 5

Justitia cujus lex norma est, non est via perveniendi ad cœlum sine merito. Rom. 4. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ex gratiâ, sed ex debito.*

Rom. 4. 4.

Ergo justitia, cujus lex norma est, non est justitia, quâ peccatores justificantur, quicunque justificantur.

Sine quâ justificantur omnes & singuli, qui justificantur, ea non est justitia, quâ peccatores justificantur, quicunq; justificantur. Pro concesso sumitur, justificationem hanc non fieri sine justitiâ.

. Sine justitiâ, cujus lex est norma, omnes & singuli justificantur, qui justificantur. *Colligimus justificari hominem sine operibus legis.* Rom. 3, 28. Gal. 2, 16. Justitia autem legis, quid est aliud quam opera legis? Rom. 10.

19.

Ergo justitia, cujus lex est norma, non est justitia, quâ justificantur, quicunque justificantur.

Assumptionem negant quidam, & ad ejus probationem respondent, Apostolum loqui de lege à nobis in nostrâ personâ præstitâ, non in personâ Christi. Concedo omnia. Loquitur certè Apostolus de lege in nostrâ personâ præstitâ. Neque enim à nobis præstari potest lex, ut in nostrâ personâ præstita esse non intelligatur. Persona cujusque is est quisque. Immo verò (inquiunt) præstari potest lex à nobis etiam in Christi personâ. Sic igitur distinguere videtur.

20.

Lex præstatur à nobis, vel in personâ nostrâ, vel in personâ Christi.

Solent Theologi nostri, nec id quidem injuriâ, multas à Pontificiis confictas distinctiones rejicere, quoniam nihil habent in sacris literis firmamenti. Ista verò, quam commenti sunt quidam, distinctio, quâ tandem scripturæ autoritate confirmatur? Omninò inanem esse & falsam non dubito affirmare, quoniam Paulus, qui tàm multa de justificatione disputavit, eam nunquam adhibuit. Quid enim? Ignorasse illum hanc distinctionem, an oblitum esse dicemus?

Etenim

Etenim noluisse illam proponere, quum ea ratione Judæis magnâ ex parte satisfacere potuisset, nec verum est, nec verisimile. Quorum salutem tanto studio expetiit, ut se Anathema esse pro ipsis à CHRISTO separatum optare potuisset, eos potius ab Evangelio abalienare voluit, qnam tam luculentâ distinctione Christo reconciliare? Nam illud quidem erat, quod Judæos Evangelio præcipuè infensos reddebat, quòd legem à Mose promulgatam abrogare, & ab hominis justificatione ablegare deprehenderetnr. Act. 21. 20.27. 28. Gal. 3. 23. Quamobrem si Apostolus Judæorum errori & furori mederi voluit (ut certè omni honestâ ratione voluit) distinctione illâ placare ipsos, & ad Evangelium amplexandum perducere potuisset. Fingamus enim ipsum ita loqui: *Ego certè justificationem per legis opera consequendam esse concedo: sed ea nego à vobis in vestris personis posse præstari. Deus igitur, ut vestræ infirmitati consuleret, aliam rationem inire dignatus est, ut in Christi personâ legem servaretis, & per illam à vobis in illo servatam, justitiam & vitam æternam consequeremini.* Quæ si dixisset Apostolus, confecta res fuisset, legi sua dignitas conservata, Judæorum animi reconciliati, Evangelium omni studio & benevolentiâ exceptum.

21. Jam verò nihil est usquam apud Apostolum, quod in hanc sententiam, multa sunt passim, quæ in huic contrariam interpretere. *Ex operibus legis nulla caro justificabitur in conspectu Dei.* Rom. 3,20. *Absq; lege justitia Dei patefacta est*, v. 21. *Colligimus fide justificari hominem absq; operibus legis*, v. 28. *Nos scientes, non justificari hominem ex operibus legis, sed ex fide Christi, in Jesum Christum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus, propterea quod non justificabitur ex operibus legis ulla caro*, Galat. 2. 16. Appone distinctionis medicamentum; & nihil erit ferè quod Judæos offendat, Ex operibus legis in suâ personâ præstitis, nulla caro justificabitur; at ex ejusdem legis operibus in Christi personâ præstitis justificabuntur omnes

qui

qui in ipſum crediderint. Quare quum Apoſtolus hujus diſtinctionis nuſquam meminerit, eam nunquã adhibuerit, magno nobis argumento eſſe debet, ab hominibus confictam eſſe, non ab autoritate Spiritus ſancti profectam.

22. Præterea, nullam eſſe hujus diſtinctionis vim ex eo conſtat, quod lex à nobis in Chriſti perſonâ nullo modo præſtari queat, ad juſtificationem comparandam. Lex enim à ſingulis in ſuâ cujuſque perſonâ obedientiam flagitat, à ſingulis pœnas exigit: ſecus, ita eſſet interpretanda: *Quo die comederis, morieris*; nimirum, ſive in tuâ, aut in alterius cujuſquam perſonâ. *Hoc fac, & vive*; ſcil. Fac aut in tuâ perſonâ, aut in alius. At quis dixerit, hanc eſſe harum legum ſententiam? Quidni etiam dicant, Nos in alterins perſonâ victuros?

CAP. VI.

Reſpondetur ad alias rationes, quibus Aſſumptionem prioris Syllogiſmi probare conatur Hemmingius.

1. MInor propoſitio Syllogiſmi Hemmingiani, nempe Legem Dei in Decalogo eſſe normam illius juſtitiæ, quia eſt via vitæ æternæ, tribus alijs argumentis ab Hemmingio confirmatur. Earum verò prima ſic concluditur:

Hemming.

I. Si ſola injuſtitia ſive peccatum ſit via mortis æternæ, tum ſola juſtitia legis eſt via vitæ æternæ. Art. 1.

At ſola injuſtitia ſive peccatum, eſt via mortis æternæ. Gen. 2, 17. *Quo die comederis de fructu arboris ſcientiæ boni & mali, utiq; moriturus es.* Rom. 6. 23. *Stipendia peccati mors.*

Rom. 6, 32
Gen. 2, 17

Ergo ſola juſtitia legis eſt via vitæ æternæ.

De Assumptionis veritate omninò Hemmingio libenter assentior. *Mors* enim (ut ait Apostolus Rom. 5,12.) *per peccatum in mundum introÿt.* Ad majorem respondeo; Ejus consequentiam nonnulla peccare. Ac primum quidem, quod sumat pro concesso, nullam esse justitiam, vel injustitiam, nisi in lege præstitâ, vel non præstitâ. Nam si alia sit justitia, quæ lege non contineatur, fieri potest, ut alia etiam sit via æternæ vitæ consequendæ. Verum nec peccatum quidem legis in Decalogo cancellis circumscribitur. Utrumque hac ratione ostendo.

Rom 4,12.

2.

Fides in Christum crucifixum non præcipitur in lege. Apostolus namque Rom. 4. 4,5. & 10.5,6,11. fidem legi opponit; & Gal. 3, 12. dicit *Legem non esse ex fide,* quia lex vitam pollicetur iis, qui ea fecerit, quæ in lege continentur. Fides igitur lege non comprehenditur. Neque sanè legi cum Christo mediatore quicquam esse potest commercij. *Exclusi estis à Christo, qui in lege justificamini, & à gratiâ excidistis,* Gal. 5, 4.

Rom.4,4,5 &10,5,6,11. Galat.3,12.

Gal,5,4.

Fides in Christum crucifixum est justitia quædam: Est enim obedientia, & quasi conformitas mandato Dei, 1. Joan.3. 23. *Hoc est ejus mandatum, ut credamus nomini filij ejus.* Joan.3,36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam; qui verò non obtemperat filio, non videbit vitam æternam, sed ira Dei manet super eum.*

1,Ioan.3,23 Ioan 3,36,

Ergo est quædam justitia, quæ non præcipitur in lege; & ex consequenti quædam esse injustitia, sive peccatum intelligitur, quod ex lege in Decalogo non pendeat. Liceret idem dicere de Resipiscentiâ & Sacramentorum Evangelicorum usu & abusu, de quibus in Decalogo nihil mandatum esse perspicuum est.

3.

Secundo loco ejusdem propositionis consequentiam ex hoc pendere affirmo, sc. mortem æternam de facto & quidem necessariò peccatum consequi; & vitam æternam similiter legis observationem; ita planè ut fieri non possit, quin qui peccaverit morte moriatur sempiternâ; qui verò legem

ser-

ervaverit, vitâ æternâ fruatur. Quæ omninò concedenda non sunt. Neque enim id usquam scripturæ tradiderunt, è quibus solis Theologiæ veritas petenda est. Deinde ne Dei quidem ipsius naturæ convenit. Sic enim fieret, ut ipsius voluntas ab objecto aliquo extra ipsum in creaturâ determinaretur. Verbi gratiâ: Si quicunque peccat, eum necesse sit condemnari; quicunque verò legem præstet, eum servari necesse sit, non est merâ Dei gratiâ & benevolentiâ, quòd hic servetur, ille autem condemnetur: sed voluntas Dei de singulorum hominum salute vel damnatione, ab ipsorum actionibus proficiscitur, & ex iis pendet, quæ illum ita determinent, ut aliter velle non possit. Hæc autem à veritate prorsus aliena sunt; ipso teste Apostolo, qui Ephes. 1, 11. *Deum* dicit *omnia efficere ex consilio voluntatis suæ.* Deinde, *quùm ex productione rerum nihil damni aut emolumenti Deo provenire possit, nulla ipsum urget necessitas, ut hoc potius quàm illud producat, sive melius sit, sive minus bonum.* Vasques in 3. tom. 1. disp. 1. cap. 3. n. 18. Eademque est de iis rebus, quas tractamus, Theologorum sententia. Sic enim Thomas p. 3. q. 46. art. 2. ad 3. *Justitia quæ ab humano genere satisfactionem exigit pro peccato, dependet ex voluntate divinâ. Nam si voluisset absq; omni satisfactione hominem à peccato liberare, contra justitiam non fecisset. Deus enim non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum & commune bonum totius universi; & ideo, si dimittat peccatum, quod habet rationem culpæ, ex eo quod contra ipsum committitur, nulli facit injuriam; sicut quicunq; homo remittit offensam in se commissam absq; satisfactione, misericorditer & non injustè agit.* Quem sequutus Suarez in 3. tom. 1. disp. 4. sect. 2. *Sicut non fuit Deo simpliciter necessarium hominem redimere, ita neq; punire, aut ullam satisfactionem offensæ ab illo repetere. Potuit enim imprimis omnia condonare*; id est, ut idem Suarez paulò pôst, *Salvâ justitiâ & veritate potuisset Deus tam pœnam, quàm culpam gratis remittere. Quum enim sit supremus Dominus, nulli faceret injuriam; quumq; ipse potissimum fuerit*

4. Ephes. 1, 11.

Vasques.

Thomas.

Suarez.

per peccatum offensus, poterat juri suo cedere, & culpam condonare. Et de prædestinatione lib. 2. cap. 22. n. 3. *Demerita hominis determinant objectivè voluntatem Dei, ut velit illa punire, determinant autem non inferendo necessitatem, sed quantum est ex se movendo & inclinando.* Unde Thomas optimè 1. 2. q. 87. art. 1. ad 2. *pœnam peccati effectum esse* dicit, *non directè, sed solùm dispositivè, licet reatus pœnæ* (ut ibi sequitur) *directè ponatur effectus peccati.* In eandem sententiam Occhamus noſtras: *Pœna debetur* (sc. de facto) *quia Deus sic ordinavit. Quia sicut Deus creat creaturam quamlibet ex merâ voluntate suâ, ita ex merâ voluntate suâ, potest facere de creaturâ quicquid sibi placet. Sicut enim, si aliquis diligeret Deum, & faceret omnia opera Deo accepta, potest eum Deus annihilare sine aliquâ injuriâ: ita sibi, post talia opera, potest non dare vitam æternam, sed pœnam æternam, sine injuriâ. Et ratio est, quia Deus nulli est debitor, & ideo quicquid facit nobis, ex merâ gratiâ facit.* In 4. q. 3. ad dub. 2. Et Occham. sequutus Holkot, *Sicut Deus justè potest infligere pœnam, sine merito pœnæ, si vellet: ita potest punire peccatum majori pœnâ, quam sibi condignâ.* de imputabilit. peccati ad 12. ad 2. princ. art. 1. Huc illa pertinent Deum posse omnem culpam remittere, sine ullâ satisfactione quantulacunque. Durand. in 3. diſt. 20. qu. 2. n. 9. *Potuit Deus delicta universa merè omninò gratis nobis condonare, absq; ratione ullâ vel redemptionis, vel satisfactionis,* Domin. Sotus ad Rom. 3. 25. pag. 112. a. *Secundum scripturam, Etiamsi Deus aliquam creaturam æternaliter puniret, sine ejus peccato; vel purè annihilaret, nullam injustitiam vel crudelitatem illi faceret. Unde signum est magnæ ruditatis & ineruditionis in scripturis, facere magnam difficultatem in hoc, sicut communiter faciunt rudes Juristæ, qui imaginantur, Deum esse obligatum legibus creatis, quasi aliquid per prius sit justum, quam Deus velit illud; quum tamen sit è converso. Ideo tales errant.* Petrus de Aliaco in 1. diſt. 40. q. 12. art. 2. ad 3. De beatitudine ita Bellarminus de juſtif. lib. 2. cap. 16. ¶ Quartus effectus. *Posset fortasse Deus ordinare ad gloriam homi-*

Thomas

Occhanus,

HolKotus,

Durandus,

Sotus,

Pet. Aliaco

Bellarmin.

minem carentem habitu charitatis, & contra non ordinare ad gloriam hominem isto habitu praeditum. Non enim videtur tanta esse vis hujus habitus absolutè considerati, ut ex necessitate petat tanquam sibi debitam beatitudinem, Occhamus autem apertè: *Non video* (inquit) *quin Deus charitatem alicui possit infundere, & tamen ordinare eum ad pœnam aeternam; & etiam quod aliquis actualiter in charitate possit esse in inferno de potentiâ Dei absolutâ: Et etiam potest unum alium non habentem charitatem acceptare ad vitam aeternam.* in 3. q. 5. concl. 4. Nec de pœnâ minus perspicuè Vasques. *Obligationem ad pœnam* (ait Vasques in 1. 2. disp. 132. q. 83. c. 3. n. 14.) *non esse peccatum patet; quia pendet ex voluntate Dei, qui etiam posset non obligare aut destinare ad pœnam, manente peccato & injustitiâ.* Et de beatitudine ita loquitur: *Posset Deus si vellet, habenti justitiam & sanctitatem, absq; ullâ injustitiâ & ingratitudine aeternam gloriam denegare.* disp. 204. q. 113 cap. 2. n. 21. Et paulò pòst: *Quum Deus sit autor omnium, posset liberè ei nunquam conferre beatitudinem*, & in 1. 2. disp. 206. cap. 2. n. 14. Idem multò ante tradiderat Gregorius Ariminensis in 1. distinct. 17. q. 1. art. 2. concl. 2. arg. 4. *Tam caritatis habitus, quàm beatitudo sunt producibiles immediatè à Deo, & neutra essentialiter intrinsecè dependet ab alterâ; & per consequens potest alteram producere, nunquam alteram producturus.* Ille verò, de quo paulò antè, Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis & Gregorio assentitur in 1. q. 9. vrt. 2. concl. 3. & *tàm mortem, quàm vitam aeternam ex Dei voluntate pendere affirmat.* dist. q. 9. art. 2. proposit. 4. responsi. ad 1. ration. contra 2. *Nec odium Dei, nec alius quicunq; actus culpabilis, est Deo odibilis ex naturâ rei, sive ex suâ naturâ. Patet. Nullus talis actus acceptatur ad vitam aeternam, vel imputatur ad pœnam aeternam, nisi ex merâ voluntate divinâ.* Et ibi ad 4. rationem: *Nullum est bonum vel malum, quod Deus de necessitate, sive ex naturâ rei diligat, vel odiat loquendo de dilectione & odio spirituali.* Neque ab hac sententia abhorrent Theologi nostri; sic enim Calvinus; *ut tanti aestimentur opera, pretium*

Occhanus,

Vasques.

Gregorius Arimin:

5. Calvinus.

à Dei approbatione magis, quàm à propriâ dignitate illud habent. Instit. l. 3. c. 11. n. 20. Et pòst: *Habent ergò id ex Dei beneficentiâ, quod & justitiæ titulo, & mercede digna habentur.* De re totâ ita Musculus loc. comm. de grat. *Sic cogitamus Deum esse justum, ut remuneret justos, & aversetur ac puniat injustos, nequeatq́; facere aliter, nisi velit facere contra justitiam. Hoc sensu derogamus Deo voluntatis libertatem, quam habet in omnia quæ condidit, cujus respectu injustus esse non potest dum favet, parcit & benefacit quibus voluerit, sive benè sive malè meritis, & punit peccatores quos vult, & quomodo ipsi placuerit.* Quod quidem ita perspicuum est, ut ne Lutherani quidem, ut vocantur, illud negent. *Deus* (inquit Succanus de Essent. Dei propr. cap. 4. pag. 488. ¶ Cæterum.) *uti jus habuit ferendi legem; sic etiam habet potestatem & autoritatem decernendi & ordinandi transgressionis pœnam, & damnationis causas.* Quare quum Theologi nostri interdum dicunt, Deum non potuisse per justitiam peccata nobis sine satisfactione præstitâ condonare, non absolutè, sed ex hypothesi; nempe ipsius constitutione, loqui snnt existimandi. Quo sensu dixit Suarez, *Comminationem constituere Deum debitorem, secundum quandam rationem justitiæ legalis, vel saltem secundum rationem fidelitatis.* Opusc. relect. ad Ephes. 1. disp. 2. Sect. 2. n. 36. pag. 218.

Musculus. Sneccanus, Suarez.

6. His ita disputatis, consequentiam propositionis infirmam esse dico; quum ex rerum ipsarum naturâ non consequatur; Ideò justitiam legis esse viam vitæ æternæ, quia injustitia sive peccatum est via mortis æternæ. Deo enim liberum fuit constituere, ut injustitia via mortis esset; neq; tamen necesse habuit velle, ut justitia legis via esset perveniendi ad vitam æternam. Ac prius quidem Deum constituisse, sacræ literæ loquuntur; de posteriori autem apud illas, altum est silentium. Nusquam enim dicitur, Deum statuisse, ut qui vitæ æternæ participes futuri sunt, de facto eam per justitiam legis consequantur in justificatione.

CAP.

CAPUT VII.

De alterâ Hemmingij ratione, quâ Assumptionem probare conatur.

ALtera Hemmingij ratio, quæ justitiam in Decalogo viam esse vitæ æternæ probet, hujusmodi est:

1. Hemming.

Ea justitia, ad quam creatus est homo, est via vitæ æternæ.

Conformitas hominis cum Deo, vel obedientia ejus erga legem Dei est ea justitia, ad quam creatus est homo. Art. 1.

Ergo conformitas hominis cum Deo, vel obedientia ejus erga legem Dei, est ea justitia, quæ est via vitæ æternæ. Art. 1. in initio.

Nego propositionem; quia nullo scripturæ testimonio, ullo argumento probari potest, fuisse pactionē inter Deum : Adamum de vitâ æternâ consequendâ per conformitatem ›sius cum Deo; vel in habituali justitiâ, quâ in creatione or-atus fuit, vel in actuali obedientiâ erga legem in Decaloge ·aditam. Extat certè Gen. 2. 17. gravissima Dei comminatio e morte, eaq; æternâ: *Quo die comederis de fructu, utiq; moritu-us es*; cæterùm ex ea comminatione non rectè concluseris, ım, si non comedisset, in cœlum fuisse transferendum, ut ımmâ illic beatitudine frueretur. Hoc tantum ex ea re con-quitur, Adamum, si non peccasset, immortalitate perpe-ıâ potiturum fuisse, Deoque amico & benevolo cum sum-ıâ voluptate in paradiso usurum.

Genes. 2. 17

Deinde ne illius quidem, quàm commemorant, justitiæ ıt obedientiæ ea natura fuit, ut propter eam deberi Adamo ta æterna intelligi possit. Habent n. opera, habet justitia &

ob-

obedientia (ut ante Calvinus Instit. l. 3. c. 11. n. 20.) id *ex Dei beneficentiâ, quod & justitiæ titulo, & mercede digna habentur.* Quamobrem *posset Deus* (ut modò Vasques 1. 2. disp. 204. q. 113. cap. 2. n. 21. *si vellet, habenti justitiam & sanctitatem, absq; ullâ injustitiâ & ingratitudine æternam gloriam denegare, & ei nunquam conferre beatitudinem.* Atque hanc fuisse Bellarmini & Occhami sententiam paulò ante ostendi; cap. 4. n. 4.

Calvinus. Vasques. Bellarmin. Occhanus.

3\. Postremò res ipsa loquitur, Deum neminem vitæ æternæ de facto participem facere, propter eas actiones, quæ ab illâ justitiâ, quâ in creatione imbutus erat Adamus, proficiscantur. Etenim quicunque regni cœlestis hæreditatem adeunt, eum propter Christi meritum, non propter legem à seipsis quoquo modo præstitam consequuntur. Unde *princeps salutis nostræ* dicitur, Hebr. 2. 10. *Ita Deus dilexit mundum; ut filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Joan. 3. 16. Accedat etiam oportet, ut idonei simus, quibus aditus ad cœlum pateat, habitualis justitia sive sanctitas, de qua Dominus ac Servator noster Matth. 5. 8. *Beati qui sunt mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Denique vitæ etiam sanctimoniâ, sive bonis operibus opus est, ut regnum cœleste comparemus. *Sine sanctimoniâ nemo videbit Dominum.* Hebr. 12. 14. *Adeste benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento; Esurivi enim, & dedistis mihi quo vescerer; sitivi, & dedistis, &c.* Matth. 25. 34, 35.

Heb. 2, 10. Ioan. 3, 16. Matth. 5, 8. Heb. 12, 14. Mat. 25, 34.

( )

CAPUT IIX.

De tertiâ Hemmingij ratione, quâ Assumptionem probare conatur.

TErtiò ad hunc modum disputari potest ex Hemmingio:

Quam legem Deus dedit, ut esset sola & perpetua norma illius justitiæ, quæ est via ad vitam æternam, ea lex est illius justitiæ norma, quæ est via vitæ æternæ. Artic. 1.

At DEUS legem Decalogi dedit, ut esset sola & perpetua norma illius justitiæ, quæ est via vitæ æternæ. *Execratus enim est quisquis non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Deut. 27. 26. Galat. 3. 10. Quare Dominus noster, quum quidam ex eo peteret, *Quid boni facere ipsum oporteret, ut haberet vitam æternam?* ita respondet: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Deu. 27. 28
Galat. 3. 10.
Matt. 19. 17.

Ergo lex Decalogi est norma illius justitiæ, quæ est via vitæ æternæ.

Majorem libenter concedo. Hæc enim omnia ex Dei voluntate pendent. Quare quam ille legem ejus justitiæ, per quam ad vitam æternam perducamur, normam esse voluit, eam illius esse normam, necesse est. Quod autem in Minori affirmatur, Eam fuisse Dei voluntatem, ut legem dederit in Decalogo, quæ perpetua esset illius justitiæ norma, illud, quum nusquam in scripturis reperiatur, vereor ut possim concedere. ea enim (ut egregiè Thomas p. 3. q. 1. art. 8.) quæ ex totâ Dei voluntate perveniant, supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacrâ scripturâ traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Quid quod illud falsum esse ostenderim, c. 5. n. 16, 17, 18.

Thomas

& cap. 6. per tot. quum de illâ viâ disseratur, quâ de facto ad vitam æternam perveniant, quicunque servantur.

2. Deu. 27, 22

Ad probationes respondeo, ac primùm ad illam è Deuter. 27, 26. Quemadmodum peccatores ob peccatum maledicti sunt, ita justos propter legem ab ipsis præstitam justificandos esse, si eam præstare possent. Nemo autẽ reperitur, qui de lege à se præstitâ gloriari potest. *Omnes enim peccaverunt*, Rom. 3. 23. Quamobrem, etsi verissimum sit, Deum illis vitam æternã impertiturum, qui legem servaverint: tamen inde non consequitur, Eũ lege constituisse quasi viam, quâ de facto homines in vitæ æternæ possessionem perveniant. Deinde illud etiam cogitandũ est, Christum nos redemisse ab execratione legis. Itaque licet omnes, quum sint peccatores execrabilès esse de jure certum & perspicuum sit: tamen de facto non est execrabilis quisquis in Christum credit. Id autem quomodo fiat, ostendit Apostolus: Non quod nos legem quoquo modo præstiterimus, sed quod *Christus pro nobis factus sit execratio; scriptum est enim, Execrabilis est quisquis pendet in ligno.* Deut. 21, 23.

Rom. 3, 23

Deu. 21, 23.

3. Matt. 19, 17

Alterum sc. Matthæi locum 19. 17. urgebant olim Sorbonistæ, ut justificari hominem ex operibus eruditi Theologi probarent. Respondit illis Calvinus Inst. l. 3. c. 18. n. 9. copiosè & appositè, in hanc sententiam: Christum responsa sua iis attemperâsse, quibuscum negotium esse sibi videbat. *Hic* (inquit Calvinus) *à Legis Doctore interrogatur de ratione obtinendæ beatitudinis: neq; id simpliciter, sed quod faciendo ad ipsum perveniant homines. Et loquentis persona, & ipsa interrogatio Dominum inducebat, ut sic responderet. Ille persuasione legalis justitiæ imbutus, in operum fiduciâ cæcutiebat. Deinde non aliud quærebat, nisi quæ essent opera justitiæ, quibus salus comparetur. Ergo meritò remittitur ad legem, in quâ est absolutum justitiæ speculum.* Quod ego quidem libentissimè agnosco; perfectam scil. ex operibus justitiam unâ legis observatione comprehendi. Cæterum illud nego, eâ re sequi, justitiam legis esse viam, quâ homines ad vitæ æternæ participationem de facto adducat Deus. Ha-

Calvinus.

4. Hactenus de illâ Enunciatione disputavi, in quâ, quæ sit illa justitia, per quam justificari nos oporteat, quærebatur. Ea verò (ut Hemmingio videtur) est *Conformitas hominis cum Deo, vel absoluta hominis erga Deum obedientia, juxta ipsius legem.* Sequitur, ut quomodo illam justitiam consequamur, investigemus. Sic enim Hemmingius: *Hactenus quid sit quo justificamur, quidq; sit justificatio, dictum est; nunc quomodo id consequamur, hoc est, quomodo perfectam & absolutam obedientiam erga Deum, juxta ipsius legem obtineamus; ut Deo conformes simus in omni justitiâ & sanctitate, quæritur.* Ad eam pertinent, quæ supersunt, Enunciationes duæ: De quibus cap. sequenti disseremus.

Hemming.

CAP. IX.

De secundi Enunciati confirmatione.

1\. SEcundum Enunciatum hujusmodi est. Justitia sive obedientia Christi est formalis impij justitia. Ad id confirmandum ita disputare videtur Hemmingius de justif. art. 2. ¶ Quomodo.

Hemming.

1\. Quâ justitiâ donatus impius, justificatur, justus constituitur & consistit coram Deo, ea est formalis impij justitia.

Justitia Christi donatus impius justificatur, justus constituitur, & consistit coram Deo.

Ergo justitia Christi est formalis impij justitia.

Justitiâ donari potest impius, ut causâ justificationis, vel meritoriâ, vel formali. De hac dubitari non potest. Meritoriam autem causam donatione, communicatione, imputatione justitiæ Christi satis rectè significari, luculenter ostendi, libro 2. capite 9; idque & nostrorum & Pontificiorum

Theologorum teſtimoniis. Si de meritoriâ causâ diſſeratur, concedo minorem, majorem nego. Impius enim Chriſti juſtitiâ donatus, ut causâ juſtificationis meritoriâ, formaliter remiſſione peccatorum juſtus evadit, quam propter Chriſti obedientiam illi concedit Deus. Sin autem (quod oportet) de formali causâ diſputetur, dico minorem à veritate aberrare. Nam Chriſti juſtitia non communicatur nobiſcum, ut cauſa juſtificationis noſtræ formalis; quoniam nos eam formaliter præſtitiſſe non poſſumus exiſtimari; ut ſequenti capite perſpicuum fiet.

2. Verum, Aſſumptionem probat Hemmingius hoc argnmento:

Quâ juſtitiâ donatus juſtus conſtituitur, ſicut inobedientiâ Adami peccator conſtitutus eſt, eâ juſtitiâ donatur, ut causâ formali.

Rom. 5, 19. Chriſti juſtitia donatus juſtus conſtituitur, ut inobedientia Adami peccator conſtitutus eſt, Rom. 5, 19.

Ergo juſtitiâ Chriſti donatur ut causâ formali.

Primum propoſitionem nego; quia ſumit pro conceſſo Apoſtolum dicere nos Adami inobedientiâ formaliter factos eſſe peccatores. Quod parùm liquet. Certè alia fuit antiquorum Theologorum ſententia. Sic enim Chryſoſtomus:

Chryſoſt. *Quid hoc loco verbum hoc Peccatores ſignificat? Mihi videtur tantundem ſignificare, quantum illud ſupplicio obnoxij, ac mortis rei. Nam* (ut ibidem ait) *ex Adami inobedientiâ alterum peccatorem extitiſſe, quam obſecro congruentiam, conſequentiamq́; habeat?* ad Rom. 5. 19. homil. 10.

Theophyl. Cum Chryſoſtomo ſentit Theophylactus ad Rom. 5.19. *Per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, hoc eſt, Obnoxij ſupplicio, reiq́; mortis.*

Pacianus. In eadem eſt ſententiâ Pacianus: *Peccatum Adæ in genus omne tranſierat. Ergo & juſtitia Chriſti neceſſe eſt, ut in genus omne tranſeat. Ac ſicut ille per peccatum ſtirpem ſuam perdidit; ita Chri-*

ſtus

stus per justitiam suam genus omne suum vivificat. In serm. de Baptismo, Bibl. tom. 3.

Anselmus. Suffragatur his Anselmus ad Rom. 5, 19. *Determinat Apostolus delictum unius, & justitiam unius: ut sicut ille merito peccati multos perdidit; sic & iste merito justitiæ inde liberasse videatur.*

Haymo. In eandem sententiam scribit Haymo: *Sicut per unius hominis delictum in omnes homines generaliter in condemnationem venit mors & peccatum; sic & per unius hominis justitiam, id est, Christi, in omnes homines electos & prædestinatos ad vitam æternam venit gratia in justificationem vitæ,* ad Rom. 5, 19.

Hugo Eterianus. Hugo Eterianus in libro de animarum regressu cap. 4. Chrysostomi sententiam sequutus est: *Uno peccante atq; in mortem præcipitato, qui ex ipso sunt tales fieri nihil inconveniens. Sed ex illius inobedientiâ alterum constitui peccatorem, quam habet consequentiam? Si de voluntate peccator factus non est, quomodo pœnâ dignus? Peccatores ergò dicit pœnarum reos & morte condemnatos.* De Animarum regressu cap. 4. Biblioth. tom. 9.

Oecumen. Oecumenius eadem è Chrysostomo ad Rom. 5, 14. descripsit & probavit.

Calvinus. Eadem est Calvini sententia, *sicut judicio Dei factum est, ut peccatum unius condemnationem manaret: ita gratia in multorum justificationem erit efficax.* ad Rom. 5, 18.

3. Quod Assumptionem attinet; sumit illa pro concesso, Apostolum Adami inobedientiam, tanquam ejusdem generis causas comparare; quæ eodem planè modo effecta sua producant. At verò id potius agere videtur Apostolus, ut Christi obedientiam non minus ad justificationem valere ostendat, quam Adami inobedientiam ad condemnationem: immò Christi justitiam majorem habere vim ad justificandos homines, quam Adami peccatum ad eos condemnandos. Ac non disputare quidem ipsum de obedientiâ illâ, quâ Christus legem implevit, sed de toto mediationis opere ex eo liquet, quod uni Adami lapsui παράπτώ-

μάλι unum Christi δικαίωμα opponat vers. 18. nimirum (ut recte ad eum locum Paræus) *singularem obedientiam Mediatoris propriam*; quâ formaliter justi esse non possumus existimari, ut non etiam mundi Redemptores esse sentiamur. Nam illâ certè obedientiâ mundum Christus redemit. Quare ut faciam breve, similium comparatio institui videtur ab Apostolo non parium; quasi diceret, Quemadmodum verum est illum sua inobedientiâ nos perdidisse; ita hunc suâ obedientiâ nos servasse.

Paræus.

4\. Deinde ita disputat Hemmingius art. 2. ¶ Quomodo.

Justitia imputata Rom. 4, 3. 5. Galat. 3, 6. est justitia, quâ impius justificatur; vel est formalis impij justitia.

Rom, 4, 3, 5. Gal. 3, 6.

Obedientia Christi imputata est justitia imputata. Roman. 4, 3. 5. Gal. 3, 6.

Ergo obedientia Christi imputata est justitia, quâ impius justificatur, vel est formalis impij justitia.

Totum hujus Syllogismi antecedens sumit pro concesso, in illis, qui recensentur scripturæ locis, agi de justitiâ quadam imputatâ. Id secus est. Nam id solùm dicit Apostolus, aliquid justitiæ loco imputari, non imputari justitiam. Jam illud loquendi modum τὸ λογίζεσθαι εἰς ita esse explicandum ostenderunt Illyricus ad Rom. 4. n. 3. & in Clavi verbo Imputare, & Bucerus in prolegom. ad Rom. Quod probari videtur ex iis in quibus idem loquendi modus usurpatur, Rom. 2, 26. *Nonne præputium illius pro circumcisione reputabitur?* Et 9. 8. *Filij promissionis pro semine reputantur.* Quid enim ista sibi volunt, nisi præputium loco circumcisionis; Filios promissionis loco naturalis seminis reputari? Nam quòd quidam Dativum in istis locis desiderari contendant, nullius est momenti; quum, si eum adjunxeris, idem planè sensus futurus est; ut in priori loco luculenter apparet. *Nonne præputium illius ipsi pro circumcisione reputabitur?* scilicet *Nonne perinde illi fiet, ac si esset circumcisus?*

Illyricus, Bucerus, Rom 2, 26, Rom, 9, 8,

Præ-

5.

Præterea, dico majorem propositionem esse falsam. Quod enim ad justitiam imputari affirmat Apostolus, id non est impii justitia formalis; sed conditio tantum, quæ ex pactione præstanda est, ut remissionem peccatorum consequatur, adeoque integram reconciliationem cum Deo. *Credenti in eum, qui justificat impium, fides ipsius reputatur ad justitiam*; ut nihil ab eo amplius ad justificationem acquirendam postuletur. Etenim obedientia Christi non est id, quod loco justitiæ impio dicitur imputari, sed fides ipsa; de qua cap. sequenti. Ad ea, quæ ex aliorum scriptis peti possunt argumenta, suo loco respondebo; ad tertiam propositionem pergo.

CAPUT X.

De tertio Enunciato. Christi obedientia impio imputatur.

1. Hemming.

HAnc tertiam Enunciationem hoc argumento confirmavit Hemmingius de justificat. art. 2. ¶ Quomodo.

Qui Christum possidet, ut Christus ipsius sit, ei Christi obedientia imputatur.

Impius Christum possidet (scil. fide) ut Christus ipsius sit.

Ergo Christi obedientia impio imputatur.

2.

Si illis verbis Christi obedientia imputatur, id solùm significetur, nos obedientiæ Christi fructum percipere, actuali ejus merito nobiscum communicato, ita ut propter illud justificari intelligamur, facilè concedo, verum esse totum Syllogismum; quoniam (ut rectè Calvinus Inst. l. 4. c. 17. n. 11.) *sanè non video, quomodo in cruce Christi redemptionẽ ac justitiã, in ejus morte habere se quis confidat, nisi verâ ipsius Chr. communione fretus.*

Calvinus.

Non

Non enim ad nos bona illa pervenirent, nisi se prius nostrum Christus faceret. Cæterum si is sit sensus illis verbis subjectus, nihil est conclusioni cum quæstione commercij; in quâ de formali justitia per imputationem disputatur.

3\. Verùm si id significent illa verba, Ipsam Christi obedientiam ita nobis imputari, ut per eam imputatam legis observatores fiamus, formaliter justi simus, & jus ad vitam æternam consequendam acquiramus ex fœdere Hoc fac & vives; nego propositionem. Fieri enim potest, ut Christum possideamus, ita ut planè noster sit arctissimâ, quæ inter nos & illum verè intelligi potest, conjunctione, neque tamen ejus obedientia illo modo nobis imputetur; ut deinceps manifestum fiet.

CAPUT XI.

De tribus aliis Enunciatis, quibus quis sit illius imputationis usus explicatur; de primo.

1\. Ut quis sit illius obedientiæ Christi imputationis usus omnibus liquidò constare possit, dixi cap. 3. n. 4. tres alias Enunciationes proponi ab iis, qui illa nobis opus esse contendunt. Eas ego suo quamque ordine recensebo & ponderabo.

1. Peccator in Christo & per Christum legem præstitisse reputatur.
2. Qui legem præstitisse reputatur, per eam præstitam formaliter justus esse intelligitur.
3. Qui per legem præstitam, formaliter justus esse intelligitur, illi debetur vita æterna ex fœdere Hoc fac & vives.

2.

Primum horum Enunciatorum ita probari videtur:

Qui unus est cum Christo, & verè fuit cum illo in totâ ipsius obedientiâ, omnibusque perpessionibus, is legem in Christo, & per Christum præstitit.

Peccator (nempe in Christum credens) unus est cum Christo, & verè fuit cum illo in totâ ipsius obedientiâ, omnibusque perpessionibus. Sic enim vir doctus & pius. *In illo & per illum propter nostram cum illo unionem, legem implevimus, in illo & per illum justitiæ Dei satisfecimus. Æquè verè* (ait Gibbinsus ad Genes. cap. 6. 9. q. 4. Et cap. 3. 10. q. 11.) *spiritualiter in Christo fuimus in totâ ejus obedientiâ & passionibus, ac fuimus in carne in Adamo, quando Adamus peccavit* Eadem est Pontificij cujusdam sententia. *Sicut in Adam omnes peccavimus: sic in Christo omnes justificati sumus; id est, justè pro peccatis satisfecimus, & meriti sumus justitiam.* Cornelius Cornelij à Lapide ad Rom. 5, 19. ¶ Nota secundo.

Gibbinsus,

Cornelius à Lapide.

Ergo peccator (nempe in Christum credens) legem in Christo & per Christum præstitit.

3.

Ut ea, quæ ad hunc Syllogismum responsurus sum facilius percipi possint & dijudicari, priusquam ad ipsam responsionem accedo, necesse habeo, quid illa verba significent, unum esse cum Christo, & in illo fuisse in totâ ipsius obedientiâ omnibusque perpessionibus, explicare. Ea verò hanc habent sententiam; illum, qui ita unus esse cum & in Christo intelligitur, idem fuisse intrinsecum, formale & immediatum principium, causam atque autorem, omnium earum actionum, quibus Dominus ac Servator noster obedivit & passus est; omnesque illas actiones, & singulas à Christo & peccatore conjunctim profectas esse, & emanâsse. Principium autem illud vocant Philosophi, ex quo, tanquam ex primo radice & fonte, personæ vel suppositi actiones oriri intelliguntur. Hujusmodi principiũ in humanis actionibus (quales illæ sunt, de quibus agitur. Obedientia & perpessio) sunt intellectus ho-

minis & voluntas. Harum actionum causa efficiens est ipsa persona, sive ipse homo singularis, animo constans & corpore; à quibus duobus omnes externæ actiones conjunctim & formaliter proficiscuntur. Tales sunt loquendi, edendi, ambulandi, denique quibus quidvis faciamus, actiones. Jam si id dicat propositio, Eum, qui ad hunc modum unus est cum Christo, ut idem esse intrinsecum formale, & immediatum principium, denique eadem cum Christo persona esse intelligatur, legem in Christo & per Christum præstitisse, de illius veritate omnia sic disputanti assentior.

4. Ea verò concessa, minorem nego. Neque enim eo modo unum fuisse cum Christo peccatorem in omnibus ipsius tàm obedientię quàm perpessionum actionibus credibile est, quũ ista non magis de Christo & peccatore vera esse possint, quam de quibusvis hominibus singularibus. Eadem namque est ratio utriusque: Ista scilicet, quòd fieri non possit, ut duo quilibet homines; sive duæ personæ vel eundem habeant intellectum singularem, eandem voluntatem (ut loquuntur) individualem, quibus planè opus est, ad eam actionem præstandam, quam ab eodem principio proficisci intelligere possimus; vel idem sint suppositum aut individuum ex eodem constans animo & corpore, quam personam vulgò nuncupamus. Jam verò non facilè crediderim, quenquam in eâ esse opinione, ut Christum & peccatorem in ipsum credentem, unam ac eandem personam constituere arbitretur; id est, eundem habere intellectum, eandem voluntatem, deniq; ex eodem consistere animo, & eodem etiam corpore existimet.

5. Ad hoc respondent nonnulli, unum esse cum Christo, non significare unam esse personam, sed unum esse corpus. Sed hoc responsum videtur nullius esse momenti: Primum enim corpus ejusmodi non aliud esse intelligitur quàm persona, quum solis animantibus ratione præditis, i. e. hominibus, tri-

bui solent. Nam armentum, aut gregem nemo unquam corpus esse dixit: sed eam appellationem hominum multitudini aliquo societatis vinculo conjunctæ propriam esse, omnes confitentur. Ejusmodi verò multitudinem personæ vice fungi, ajunt Jurisperiti. *Hæreditas personæ vice fungitur, sicuti municipium, & decurio, & societas.* l. 22. *ff.* de fidejussoribus & mandatoribus. Ad quam l. Gothofredus: *Municipium, decurio, societas, licet pluribus personis constent; unius tamen personæ vicem sustinent.* Et Nicolaus Losæus de jure universitatum part. 1. c. 1. n. 5. dicit *universitatem repræsentare unam personam.* Et n. 6. *universitatem esse personam repræsentantem.* Num. autem 9. magis perspicuè: *Universitas non est persona vera, sed ficta, repræsentans aliam personam diversam à particularibus & singularibus; & hoc impropriè, & secundum fictionem juris.* Joan. etiam Althusius de hominibus nat. conjunctis, ita loquitur dicæolog. lib. 1. c. 7. n. 7. *Propter hanc unionem fit, ut non singuli homines per se & in se, sed totum ex personarum plurium cōprehensione, corpus constans consideretur, tanquam una persona.* Et cap. 29. n. 9. *Uterque conjunx unum corpus & una caro est, & pro unâ personâ reputatur.* Christus igitur & Ecclesia, quum ille mariti, hæc uxoris locum obtinere dicatur, una esse persona existimantur.

l. 22. ff. de fidejuss. Gothofredus, Losæus, Althusius. Ephes. 5, 23.

Deinde nisi eadem cum Christo persona esse intelligamur, iræ divinæ in illo, & cum illo satisfecisse existimari non possumus. *Actiones* enim (ut tritum est in Scholis) *sunt suppositorum.* Suppositum autem in naturâ intellectu prædita est persona. Persona igitur legem implet, persona iræ divinæ satisfacit. Et eâ quidem causâ dicunt Jurisperiti *Omnem universitatem sive corpus personæ vicem sustinere.* Atque hoc quidem scriptura ipsa significat. *Qui fecerit ea homo, vivet per illa.* Roman. 10. 5. Levit. 18. 5. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Galat. 3, 10. Deut. 27. 26.

Rom. 10. 5. Leu. 18. 5. Galat. 3, 11. Deu. 27, 26.

Dubitari enim non poteſt, quin Homo & Omnis ſingulos homines ſive perſonas denotent. Claudicare igitur aſſumptionem neceſſe eſt; & eò quidem magis, Nos non propriè corpus eſſe Chriſti dicamur: quemadmodum ille metaphoricè noſtrum caput eſſe intelligitur: ut oſtendam capite ſequenti.

6. Quod quidem ut magis perſpicuum fiat, ad hunc modum diſſeram.

1. Qui verè erant in Chriſto in totâ ipſius obedientiâ, omnibuſque perpeſſionibus, illis omnes & ſingulæ ejuſdem obedientiæ, earundemque perpeſſionum partes, cum omnibus & ſingulis eorum effectis & beneficiis verè attribui poſſunt. Hæc enim omnia ipſi cum Chriſto perfecerunt; vel (ut dicam quod res eſt, his poſitis) Chriſtus atque illi, ejuſdem animi & corporis operationibus, eadem effecta, unum nempe ſuppoſitum, produxerunt.

At omnes & ſingulæ totius Chriſti obedientiæ omniumq; perpeſſionum partes cum omnibus & ſingulis eorum effectis & beneficiis nulli peccatori in Chriſtum credenti attribui poſſunt. De quo enim, cum ullâ veritatis ſpecie, aut ſine ſummo ſcelere dici poteſt, Illum *tradidiſſe ſemetipſum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ?* Epheſ. 5. 2. Quid illa? *Seſe ipſe dedit redemptionis pretium pro quibuſvis.* 1. Timoth. 2. 6. *Per ſpiritum æternum ſeipſum obtulit inculpatum Deo.* Heb. 9. 14. *Caſtigatio pacis noſtræ imponitur ei, & tumice ejus fit curatio nobis.* Eſai. 53. 5. Illud autem cui tandem mortali convenire poteſt; quod de Chriſto antiqui patres interpretantur? Hieron. ad Eſaiam lib. 17. cap. 63. 3. Tertullian. contra Marcion. lib. 4. cap. 40. Cyprian. epiſt. 63. n. 5. & alij. *Torcular calcavi ſolus. Nam ex populis nullus vir mecum.* Nam ſi omnes, quicunque in ipſum aliquando credant, verè in illo erant toto obedientiæ, & perpeſſionum ejus curriculo, certè non cal-

Epheſ. 5, 2. 1, Tim 2, 6. Heb. 9, 14. Eſai. 53, 5. Hieronym. Tertullian. Cyprianus.

cavit solus, sed universus Dei populus torcular, non minus quam ille calcavit.

Ergo nullus peccator verè fuit in Christo, in totâ ipsius obedientiâ, omnibusque perpessionibus.

Deinde sic etiam disputo.

2. Qui verè erant in Christo, in totâ ipsius obedientiâ, omnibusque perpessionibus, non sunt illi, pro quibus Christus passus est. Qui enim Christi pro ipsis passi beneficio & fructu opus habent, ij revera ab illo, qui passus est, alij esse, non iidem cum illo, non eadem persona intelliguntur. Quemadmodum Chimchamus Barzillæ filius, cui bonũ facturus erat David, propter Barzillæ patris benevolentiam, alia esse à patre suo persona cognoscitur, 2. Sam. 19. 39.

7.

2. Sam. 19, 39.

At peccatores in Christum credentes sunt illi, pro quibus Christus passus est. Etenim *in mundum venit* Christus, *ut peccatores servaret*. 1. Timoth. 1. 15. *Eum, qui non noverat peccatum, propter nos peccatum fecit*, 2. Corinth. 5. 21. *Quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est*. Rom. 5. 8.

1. Tim. 1. 15. 2. Cor. 5. 21 Rom. 5. 8.

Ergo peccatores in Christum credentes non erant verè in Christo in totâ ipsius obedientiâ omnibusque perpessionibus.

Qui verè erant in Christo in omnibus perpessionibus, iis Deus in justificatione non ignoscit. Neque enim intelligi potest ullum veniæ relictum esse locum, quam in justificatione consequatur, qui pœnas in Christo persolvendo, iræ divinæ satisfecisse, & supplicium peccatis debitum pertulisse existimatur. Nam pœna & venia adversa sunt; ita planè ut qui pœnas dederit, non sit absolutus, qui absolutus est, supplicio affectus non fuerit; Unde Polanus ad Danielem cap. 9, 24. ad 8. *Quomodo hoc consentient, Deum nobis remisisse peccata, & tamen punivisse nos propter eadem? Neutiquam* (dixerat idem Polanus paulò ante) *propriè loquendo sumus puniti in Christo*. At Polanus, dicet fortasse aliquis, non negat absolutè, sed propriè

8.

loquendo. Nec ego quidem. Nam *si doctrina illa* (ut Polani etiam verbis utar) *Nos esse punitos in Christo, intelligatur de imputatione & communicatione* (nimirum, ut Deus ex intuitu meritorum passionis Christi, peccata nobis condonet) *ac si nos illam exsolvissemus, libentissimè à nobis conceditur.*

Act, 13,38, Rom:4, 6,

At peccatoribus in Christum credentibus Deus in justificatione ignoscit, Act. 13,38.39, Rom. 4,6.7.8.

Ergo peccatores in Christum credentes, non erant verè in Ghristo in omnibus ipsius perpessionibus.

9.

Qui verè erant in Christo in totâ ipsius obedientiâ, omnibusque perpessionibus, iis illa obedientia & perpessiones imputatione non communicantur. Quid enim opus est imputatione, aut quis illi locus esse potest, quum ij, quibus imputari illa volumus, propter suam cum Christo unionem, ea revera ipsi præstiterunt? Quare aut nulla est unio ejusmodi; aut, quam dicunt, imputatio sublata est.

At peccatoribus in Christum credentibus, tota ejus obedientia, omnesque perpessiones imputatione communicantur. Sic enim affirmant, qui ista defendunt. *Justitia quam Deus impio imputat, est totum opus Christi.* Cent. 1. l. 2. c. 4. coll. 238. *Passio aut obedientia Domini nobis per fidem imputatur*, ad Romanos 5. 9. *Justitia Christi nobis credentibus imputatur.* Hemming. de justif. art. 2. ¶ Quomodo. *Deus imputat nobis impletionem legis per Christum.* art. 2. ¶ Sciendum est. Omninoque quid est justitiam Christi credentibus imputari, nisi ejus actiones & perpessiones nobis imputatione communicari?

Centur. Magdeb.

Ergo peccatores in Christum credentes non erant verè in Christo in totâ ipsius obedientiâ omnibusque perpessionibus.

( )

CAPUT XII.

Secundi Enunciati veritas examinatur.

1. PRimâ Enunciatione illud agebatur, ut peccator legem in Christo & per Christum præstitisse judicaretur. Quorsum ista? dicet fortasse aliquis; Nimirum ut eâ ratione conformis fiat Deo in omni justitiâ & sanctitate. Hoc autem ex primo efficitur. Nam qui legem præstitisse reputatur, per eam præstitam formaliter justus esse intelligitur. Formaliter justum quum dicimus non de habituali justitiâ, quæ propriè formalis est, sed de illâ justitiæ (ut ita dicam) formalitate loquimur, quæ in justis actionibus posita est, quamque lex Decalogi, de quâ disputatur, flagitat. Hoc igitur Enunciatum ita confirmatur.

2. Qui cum Christo unum corpus efficiunt formaliter per Christi justitiam, & ex consequenti per legis impletionem justi sunt. Nam unum & idem corpus unam & eandem formam habet, vel per unam & eandem justitiam formaliter justum est.

At credentes in Christum unum cum ipso corpus efficiunt. Christus namq; caput est: credentes membra. *Eum constituit caput super omnia Ecclesiæ.* Eph. 1.22. & 5.23. *Christus est caput Ecclesiæ, vos estis corpus Christi & membra particulatim.* 1. Cor. 12.27. *Membra sumus corporis ejus, ex carne ejus, & ex ossibus ejus.* Ephes. 5,30.

Ephes. 1, 22 & 5, 23. 1. Cor. 12, 27 Ephes. 5, 30

Ergo credentes in Christum per ipsius justitiam formaliter justi sunt.

3. Si credentes in CHRISTUM, unum cum ipso corpus

effi-

efficere dicantur eo sensu, ut misceri nostra cum illius essentiâ & substantiâ (quod Osiander sensisse fertur) intelligatur minorem cum Calvino nego. *Negamus* (inquit Calvinus Instit. lib. 3. c. 11. n. 5.) *misceri Christi essentiam cum nostrâ,* Quod si fieret, aut utramque, tàm illius quam nostram essentiam perire necesse esset, tertiâ quâdam ex iis naturâ constitutâ, ut aquæ & tritici naturam sublatam videmus, quum ex ijs panis efficitur; & in medicinâ, eorum qui eam ingrediuntur, naturam cernimus aboleri; aut alterâ manente alteram in ipsam verti; & ei assimilari oportet; sicut fit, quum alimentum in corporis, quod nutrire debet, substantiam transit.

Calvinus.

4. Verum si id solum significetur, nos ita unum cum Christo fieri, ut vi quâdam Spiritus sancti ille caput nostrum existat, nos illius membra cum illo coalescamus; ut eodem, quē citavi loco, Calvinus loquitur; concedo Assumptionem esse veram, quoniam teneo cum Calvino, *nos cum Christo uniri arcana Spiritus ejus virtute.*

Calvinus:

Cæterùm si eo sensu verba illa: Nos unum cum Christo corpus efficere interpretemur, dico propositionem à veritate alienam esse. Neque enim ex hac unione nostrâ cum Christo nos formaliter illius justitiâ justos esse consequetur: Quoniam non revera & propriè, sed impropriè & per similitudinem quandam unum cum illo corpus efficimus. Quod quidem Theologi agnoscunt; & nostri & pontificij; etiam patres antiquissimi.

5. Incipiam à Scholasticis Theologis, quorum Coryphæus Thomas in hunc modum scribit part. 3. q. 8. artic. 1. c. *Sicut tota Ecclesia dicitur unum corpus mysticum per similitudinem ad corpus hominis, quod secundùm diversa membra habet diversos actus, Rom. 12, 1. Corinth. 12. ita Christus dicitur caput ecclesiæ, secundum similitudinem humani capitis. In quo tria possumus considerare, scil. ordinem, perfectionem, & virtutem. Ordinem quidem, quia caput est prima pars hominis, incipiendo à superiori. Perfectionem autem,*

Thomas.

Rom. 12.
1. Cor. 12.

quia

quia in capite vigent omnes sensus & interiores & exteriores, quum in cæteris membris sit solus tactus. Virtutem verò, quia virtus & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in suis actibus est à capite; propter vim sensitivam & motivam ibi dominantem. Hæc autem tria competunt Christo spiritualiter. Primò enim secundum propinquitatem ad Deum gratia ejus altior est & prior, etsi non tempore; quia omnes alij receperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius: secundum illud Rom. 8. Quos prædestinavit conformes fieri imagini filij sui. Secundò verò perfectionem habet, quantum ad plenitudinem omnium gratiarum; ut Joan. 1. Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. Tertiò virtutem habet, influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ; secundum Joan. 1. De plenitudine ejus nos omnes accepimus. Eodem etiam modo scribit in 3. dist. 13. q. 2. art, 1. c. & de veritate q, 29. art. 4.

Rom. 8.

Ioan. 1,

Eum sequitur Durandus, iisdem penè verbis; ut eorum recitatione non sit opus, in 3. dist. 13. q. 2. n. 5. 6. Durando & Thomæ suffragatur Corduba in part. 3. qu. 8. art. 1. n. 4. *Christus vocatur caput corporis per Metaphoram à similitudine capitis corporei sumptam.* Quibus verbis, & tropicè dici caput, & tropum assignari, nempe Metaphoram, animadvertimus.

Durandus.

Corduba,

In eandem sententiam Suarez in commentariis suis ad eundem Thomæ locum, de quo prius: *Quoniam hæc capitis appellatio Metaphorica est, non potest propriè de eâ disputari, nisi prius constet, quid illâ Metaphorâ significetur.* Tum ea breviter recenset, quæ sunt à Thomâ proposita; nempe ut sit *Primum in ordine, & Excedat perfectione; & In alia membra influat.* ad 3. p. q 8. art. 1. disp. 22.

Suarez.

Idem affirmat Vasques in 3. disp. 48. cap. 1. n. 1. 2. Christum scil. Metaphoricè appellari caput. Deinde in iis dicit naturam capitis consistere, quæ à Thomâ & Suare sunt explicata, multosque eo loco Scholasticorum nominat, quos omnes in eâdem fuisse sententiâ certum est.

Vasques.

Hæc Scholastici à patribus mutuati sunt, qui de Christo

6.

capite Ecclesiæ, illa quæ Thomas proposuit, tradiderunt. *Ne auditâ capitis dictione, solum principatum intelligas, sed & confirmationem & stabilitatem; non tanquam principantem solùm, sed ut corporis caput.* Chrysost. ad Ephes. 1. hom. 3. Et ad cap. 4. homil. 11. *Quemadmodum spiritus ille sensibilis, qui ex cerebro per nervos in corpus descendit, non simpliciter omnibus omnia tradit, sed juxta cujusq; membri analogiam, plus ei quod plus, & minus ei quod minus capere potest. Ita & Christus Ecclesiam vocat cœtum fidelium, Eam appellavit quidem corpus Christi; patris autem plenitudinem. Eam enim implevit donis omnis generis, & in eâ habitat & obambulat; ut est vox Prophetica.* Theodoret. ad Ephes. 1. 22. Et ad 4. 15. dilucidius: *Quemadmodum caput omnibus membris suppeditat operationem sensus (sentiendi enim facultatis fons est cerebrum) ita etiam Christus Dominus obtinens locum capitis, dispertit dona spiritus, in unam juncturam & compagem, conjungens membra corporis.*

Chrysost.

Theodor.

Sic autor commentariorum inter Ambrosij opera ad Ephes. 1, 22. *Subjiciuntur fideles Christo, quasi capiti membra, ex quo trahunt originem, ut omnia in omnibus adimpleat.* Et ad cap. 4, 15. quum *caput* dixisset, addidit, h. e. *Autorem vitæ,* Et paulò pòst: *Omnia subjiciamus ei, scientes quia omnium autor est vitæ, ut quasi capiti membra subdantur.* Et ad Ephes. 5, 28. magis perspicuè & copiosè, ad illa verba: *Membra sumus corporis ejus; Hoc spiritualiter intelligendum est. In eo enim dixit, nos esse membra ejus, quia caput est ipse totius Ecclesiæ, ut quia per ipsum esse cæpimus, caput nostrum dicatur; quasi ex quo omne corpus subsistat: Ut membrum ejus omnis spiritualis creatura sit.* Illud autem palmare ad v. 23. *Sicut caput Ecclesiæ Christus est, ita & vir mulieris. A Christo enim Ecclesia sumpsit initium, unde subjecta est illi. Ita & à viro mulier, ut sit subdita. In eo tamen distat, quia mulier consubstantia viro est; Ecclesia autem in nomine potest, non in naturâ participare Christo.*

apud Amb.

Augustinus

Christus homo propter nos factus est, ut totius Ecclesiæ tanquam

totius corporis caput esset. Augustin. de Catech. rudibus cap. 19. sed quæ fuerit Augustini hac de re sententia, magis liquet è libris de Civitate Dei lib. 22. cap. 16. & ex eo quod scribit de verbis Domini secundum Joan. Serm. 61. *Quemadmodum nobiscum* (ait Augustin. in serm. illo 61.) *id est, cum corpore suo unus est Christus; sic cum omnibus impiis, quibus caput est, cum quodam corpore suo unus est Diabolus.*

Sicut omnia membra humani corporis reguntur à capite: i. e. visus, auditus, gustus, odoratus & tactus: ita omnes spirituales sensus Ecclesiæ sunt in Christo; ut in eo videat Deum, & audiat verbum ejus, & gustet quam suavis est Dominus, & odorem notitiæ ejus attrahat, & spiritualiter eum tangat. Anselmus ad Ephes. cap. 1. vers. 22.

Anselmus.

7.

Harum se adscribunt sententiæ Theologi nostri, quum Christum Ecclesiæ suæ caput esse scribunt. *Ipsum posuit caput, ait Apostolus* Ephes. 1. 22. *Hoc est, eâ conditione illum Ecclesiæ caput præfecit, ut omnium dispensationem habeat. Significat autem, non esse nudum honorem, quod caput Ecclesiæ constitutus est: quia simul plena rerum omnium potestas & administratio illi sit commissa. Metaphora capitis hic ad eminentiam refertur.* Calvin. ad Ephes. 1, 22.

Calvinus.

Hemmingius multò copiosius & clarius ad Ephes. 4, 11. *Christus caput Ecclesiæ dicitur efficaciâ, perfectione, merito & ordine. Efficaciâ, quia Ecclesiam suo spiritu vivificat, sustentat & servat. Perfectione, quia antecellit omnibus Angelis & hominibus sapientiâ & justitiâ. Merito, quia obedientia crucis expiavit peccata, & obedientiâ legis satisfecit justitiæ Dei, ut quotquot in ipsum crediderint, Christi justitiâ habeantur justi. Ordine, quia est Ecclesiæ Monarcha.*

Hemming.

Brevius quidem, sed non minus apposite Beza ad Eph. 4. 15. *In Christum, qui est caput. A quo nimirum* (ait Beza) *omnis sensus & motus, ipsaq; adeò vita spiritualis promanat in subjecta ipsi membra.*

Beza.

Quod autem quidam è nostris Theologis Christum caput verum esse contendant, id non ita intelligendum est, quasi propriè caput esse dicerent, nō tropicè, sed ut significet, vel loquitur Anselmus ad Ephes. 1. 22. *longè aliter esse caput Ecclesiæ, quam princeps aliquis caput est exercitus*: nimirum (ut antea è Chrysostomo audivimus) quod ab eo Ecclesia confirmationem & stabilitatem accipiat, ad Ephes. 1. homil. 3. Atq; hæc quidem Zanchius, qui Christum verum esse caput affirmat, singillatim persequitur & exponit. *Primum* (inquit ad Ephes. 1. 22. ¶ Primum. pag. 98. a) *Cur dico caput verum? Ut intelligamus, non esse caput, sicut Rex caput est sui populi; sed sicut est caput humani corporis, per juncturas & ligamenta connexum, & unâ eâdemq; animâ illi copulatum*. Ista verò metaphoricè dici apertè loquitur ¶ Metaphorica. pag. 96. b. *Metaphorica* (inquit) *est locutio, quâ significare voluit, debere nos considerare; Primùm quanta est unio corporis cum capite, eam etiam esse, & multò arctiorem Christi cum Ecclesiâ: quia Christus ab Ecclesiâ separari non potest. Secundò, quæ beneficia præstat caput corpori, eadem & præstantiora Christum præstare Ecclesiæ, & singulis membris. Tertiò, quod officium est membrorum erga caput; illud esse debere nostrum erga Christum caput nostrum*. Multa sunt apud Zanchium in hanc sententiam; Illud autem præcipuè observandum, quod *Deum* dicat *velle Ecclesiam Christo esse subjectam, ut corpus capiti; Christum verò illi dominari, ut caput corpori; nempe Ad salutem amando, compatiendo, fovendo, vitam, motum, sensum, subministrando, arctissimo vinculo eam sibi alligatam servando tuendoq;*. ¶ Nunc de Ecclesiâ pag. 97. a.

Anselmus. Chrysost. Zanchius.

CAP. XIII.

De tertio Enunciato.

TErtium Enunciatum sic habet: Qui per legem præstitam formaliter justus esse intelligitur, illi debetur vita æterna, ex fœdere Hoc fac & vives.

1.

2. Ad hanc Enunciationem confirmandam ni- mi à quoquam adfertur quod sciam: Et tamen probatione il- am indigere satis constat. Etenim quanquam verum sit, De- eri illi vitam ex legis fœdere, qui ea præstiterit, quæ lege im- erantur: tamen non consequetur inde illum ad vitam æter- am jus acquisivisse, qui legem in Christo, & per Christum ervaverit; ut concedamus (quod omnino fieri non potest) gem eo modo posse præstari. Lex enim nullam de vitâ æter- â comparandâ pactionem cum homine fecit, nisi eâ condi one, ut illam ipse præstet. *Si vis ad vitam ingredi, serva man- ata*, Matth. 19, 17. Eadem est singulorum mandatorum ra- o; quæ à singulis hominibus legem servari flagitant, ut vitæ ternæ participes ex pactione legali esse possint. Si quis eâ sit opinione, ut Evangelium existimet ejusmodi no- iscum fœdus icisse, eum tabulas proferre oportet, quibus ec, quam dicit, pactio continetur. Quæ profectò in Evan- elistarum & Apostolorum Archivis nullæ sunt. Fateor certè os propter merita Domini nostri Jesu Christi in lege præ- ndâ, & morte oppetendâ justificari & adoptari. Ne illud uidem negaverim, imputari nobis illius justitiam & obe- entiam, ut ad nostrum fructum redundet. Id unum non ncedo, Legem nos in Christo & per Christum servâsse, ut opter eam à nobis præstitam vita æterna ex fœdere, *Hoc fac vives*, debeatur.

Matt. 19, 17

CAPUT XIV.

De aliis Argumentis, quibus tertium è primis Enunciatis confirmatur.

1\. QVÆ sunt ab Hemmingio de illis, quas recensui, Enunciationibus disputata, proposui & examinavi. Venio nunc ad alia argumenta, quæ ad tertij è primis Enunciati confirmationem vulgò adferuntur. Enunciatum ipsum hujusmodi est: *Christi obedientia sive justitia imputatur à Deo ad justificationem impij.* Argumenta ad hoc probandum è scripturis sumuntur. Dabo operam ut ea Syllogismis concludam, & ratione perpendam.

2\. Rom: 4, 3, 5 9, 22, 23, 24 Gal. 3, 6, Iac. 2, 23,

I. Fides, de quâ Apostoli, Rom. 4, 3. 5. 9. 22. 23. 24. Gal. 3. 6. Jacob. 2. 23. reputata à Deo ad justitiam, imputatur à Deo ad justificationem impij.

Christi obedientia sive justitia est fides, de quâ Apostolus, Rom. &c.

Ergò Christi obedientia sive justitia imputatur à Deo ad justificationem impij.

3\. Primum respondeo ad propositionem: Si nihil aliud verbis illis *Imputatur à Deo,* significetur, nisi modus, quo Deus ut principalis efficiens, ad justificationem peccatoris operatur, me illius veritatem agnoscere, ut lib. 2. c. 15. pluribus ostendi. At eâ concessâ, minorem à veritate alienam esse contendo. Neque enim Christi obedientia sive justitia, modus, quo Deus pater ad justificationem operetur, censeri potest, sed ejus causa meritoria, ideoque efficiens.

4\. Cæterùm si id velint ea verba, *Fidem imputatam formæ locum in justificatione & naturam obtinere,* dico propositionem esse falsam. Nam fidei quidem in iis locis eædem partes sunt,

quas

quas esse ejus partes Rom. 3. 25. Spiritus sanctus tradidit. At Rom. 3. 25. eæ sunt fidei partes, ut id ipsum sit, quod à nobis præstandum est, ut justificationis per Christum participes esse possimus; quemadmodum rectè affirmat Homil. de salv. part. 1. quæ paulò pòst hæc adjungit, *Apostolum Paulum Rom. 3. 24. ostendere, Nihil ex hominis parte præter veram ac vivam fidem requiri ad justificationem.*

Rom. 3. 25

Serm. de salv. part. 1. Rom. 3, 24.

5.

Deinde nego Assumptionem. Nam fides reputata à Deo ad justitiam, est ipsa fides, sive τὸ πιστεύειν. *Credidit Abrahamus Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* De ipso loquendi modo, sive phrasi, videor mihi satis multa dixisse ad caput septimum in extremo. Quod autem de tropo adfertur à nonnullis, quo Christi justitiam fide apprehensam significari putant, illud vereor, ut possim concedere. Nam illud quidem apud omnes Theologos jampridem est constitutum, Nullum in scripturis tropum esse agnoscendum, ubi nec vocum ipsarum natura (ut propriè sumantur) aut exploratæ veritati, aut Logicæ loci ipsius Analysi repugnet, nec à phrasis ipsius in scripturis usu frequenti diversa sit, nisi fortè in iisdem scripturis, voces illas alio modo esse explicandas significatum sit.

6.

Jam quod locorum ipsorum interpretationem attinet, multis doctissimorum Theologorum, tàm antiquorum, quàm recentiorum testimoniis ostendam, deniq; argumentis etiam probabo, Apostolos, adeoque ipsum Mosen, de fide ipsâ propriè, non tropicè sumptâ verba facere.

Cæterùm priusquam ad singula hominum eruditorum testimonia recitanda accedam, duo sunt quæ præfanda esse arbitror. Quorum alterum est, Neminem post Christum natum annos mille, & 500 (minimum) eam, quâ de agitur, interpretationem tropicam sententiâ suâ unquam approbâsse; Alterum, plerosq; Apostoli verba ita exponere, ut nõ de formali justificationis nostrę causâ, sed de illo, quod ex hominis parte

ad ipsius justificationem postulatur, ab Apostolo putent disputari: nempe fidem à nobis flagitari contendunt non opera. In quam sententiam Augustinus tract. in Joan. 29. ad c. 7. v. 17. de fide, quam Apostolus Rom. 4, 5. à justificando requirit. *Ipsa est ergo fides, quam de nobis exigit Deus; & non invenit, quod exigat, nisi donaverit, quod inveniat.*

Augustinus. Rom. 4, 5.

7. Primo autem loco eos testes sistam, qui Fidem imputari ad justitiam sic exponunt, ut dicant Fidem Abrahamo omnibusq; credentibus sufficere (ut loquuntur) ad justitiam. *Sufficiebat ei* (sc. Abrahamo) *fides ad justitiam.* Chrysostomus ad Galat. 3, 6. Et ad eundem locum autor commentariorum apud Hieronymum; *Vobis ad justitiam sola sufficit fides.* Quos sequuti sunt Strabus Fuldensis in Gloss. interlin. ad Rom. 4, 3. & ibid. Anselmus Londinensis in Gloss. ordin., Itaque Lyramus *Fidem* dicit *facere dignum vitâ æternâ.* ad Rom. 4, 5. Verum de Pontificiorum sententiâ non est fortasse laborandum. Quare Lombardum, Thomam, Gorranum, Hugonem Cardinalem, Dionysium Carthusianum, Sasbontium, omnesque recentiores illorum interpretes, sciens ac volens prætereo.

Chrysost. apud Hier: Glossæ. Lyramus. Lombard9 Thomas Gorranus, HugoCard: Dion: Cart Sasbontius

8. Secundo loco eorum testimonia recensebo, qui fidem ipsam illis locis significari, apertè loquuntur. Eorum primus est Origines ad Rom. lib. 4. ad cap. 4. v. 3. *Videtur ergò etiam in præsenti loco, quum multæ fides Abrahæ præcesserint, in hoc nunc universa fides ejus esse collecta, & ita ei ad justitiam reputata.* Et paulô pôst: *Ob hoc arbitror, quum dicitur eos* (Israëlitas) *credidisse, non additur, Quia reputatum est illis ad justitiam, quod non illis erat, sicut in Abraham docuimus, ex multis partibus fidei in unum coacervata perfectio, quæ mereretur ad justitiam reputari.*

Origines.

Primasius ita: *Tam magna fuit dono Dei fides Abrahæ, ut & pristina ei peccata donarentur, & sola præ omni justitiâ doceretur accepta,* ad Rom. 4, 3. Eadem, non solum sententiam, sed etiam verba reperio, apud illum, de quo paulò ante, Pseud-Hieronymum, qui plurima è Primasio descripsit, & in commenta-

Primasius, apud Hier:

rios

rios suos transtulit; ut penè totus sit ab illo; nisi quod interdum Pelagianismum olere videatur.

Quod ita firmiter credidit (ait Anselmus Cantuariensis ad Roman. 4, 3.) *reputatum est illi divinitùs ad justitiam; id est, per hanc credulitatem, justus est à Deo reputatus.* Anselmus,

Quæ fides (inquit Beda ad Roman. 4, 5.) *nisi quam definit alio loco plenissimè Apostolus, dicens: Neq; circumcisio, &c. Non qualiscunq; fides, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Beda,

Cum illo sentit Haymo ad Rom. 4, 3. *Quia credidit Deo, reputatum est ei ad justitiam; id est, ad Remissionem peccatorum, quia per ipsam fidem, quâ credidit, justus effectus est.* Haymo.

Eadem fuit Justini sententia, multis ante illos natus seculis: *Abraham non propter circumcisionem justitiæ reportavit testimonium, sed propter fidem. Priusquam enim est circumcisus, sic de eo promulgatum est, Credidit Abraham Deo, &c.* Dialog. cum Tryphon. Iust: Mart:

Idem postea sensit Sedulius ad Rom. 10, 4. *Quum nullus justificaretur ex lege, quia nemo implebat legem, nisi qui sperabat in promissionem Christi; fides posita est, quâ crederet pro perfectione legis, ut in omnibus prætermissis fides satisfaceret pro totâ lege.* Sedulius,

Quid nostri Theologi? An parùm dilucidè eam sibi placere sententiam, ut fides propriè sumatur, significant? Lutherum audiamus. *Christiana justitia* (inquit Lutherus ad Galat. 3. 6. ¶ Discant igitur:) *est fiducia in filium Dei. Quæ fiducia imputatur ad justitiam propter Christum.* Et pòst: *Deus reputat istam imperfectam fidem ad justitiam perfectam propter Christum, in quem cœpi credere.* Lutherus,

Eademque est Confessionis Augustanæ sententia: *Homines gratis justificantur propter Christum per fidem, quum credant se per gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum. Hanc fidem imputat Deus pro justitiâ coram ipso.* Rom. 4. in Harmon. Confess. art. de justif. Conf. Aug.

Hanc Confessionis Augustanæ articulum Bucerus (quem

Bucerus. ego hujus de imputatione opinionis autorem fuisse, mihi persuadeo) ad hunc modum explicat. *Quia hac fide apprehendimus justitiam perfectam Christi, ideò Apostolus dixit, Credenti in eum, qui justificat impium, fidem ejus reputari in justitiam: fidem sc. apprehendentem justitiam Christi; id est, ipsam Christi justitiam.* in Colloq. Ratisbon. secundo anno 1546. pag. 71. Quam ego quidem sententiam, si de meritoriâ justificationis causâ illic apud Apostolum ageretur, libenter agnoscerem. Nam illud fidei nullâ ratione concesserim, ut ejus merito justificari putemur, sed unâ Christi obedientiâ, cujus ipse fructus nobis à Deo communicatur sive imputatur, fieri contendo, ut Deus nobis peccata condonet. Verùm illud arbitror ab Apostolo quæri, quidnam sit, quod Deus à justificandis flagitet, Opera an fides. In quam sententiam Bucanus Instit. loc. 31. de justif. q. 40. *Status quæstionis de justificatione tempore Pauli fuit de Efficiente & Meritoriâ causâ justificationis. Utrum ea esset Christi satisfactio fide apprehensa, an opera nostra.* Atque hoc etiam Bucerus ipse videtur agnovisse, quum commentarios suos in epistolam ad Rom. edidit. Sic enim scribit ad Rom. 4. 3. *Abraham fidem habuit Jehovæ, & reputavit id ei justitiam; hoc est, Habuit ei pro justitiâ hanc fidem. Credendo igitur id accepit, ut Deus eum pro justo haberet.*

Bucanus.

Bucerus.

Pet. Martyr. Illum sequutus est Petrus Martyr: *Imputari ad justitiam alio modo significat id, per quod nos ipsi habemur in censu justorum. Atq; id Paulus tantummodo fidei tribuit, ac si diceret, Credidit Abraham se gratum esse Deo, atq; apud eum habitum iri pro justo, & postremo beatum fore. Et sicut credidit, accepit. Factum est illi juxta ejus fidem,* ad Rom. 4. 3.

Sarcerius. In eandem sententiam Sarcerius ad Galat 3. 6. *Fides est, quæ credit Deo per modum reputationis.* Et pòst: *Gratis fuit justificatus, & ne quidem propter fidem ex opere operato.*

Bullinger. Ita Bullingerus ad Rom. 4. 2. *Concredidit sese Abraham Deo, & illud ipsum illi pro justitiâ imputatum est.*

Imputatum est (ait Bullingerus ad Galat. 3, 6.) *hoc est, Illa ipsa Abrahæ fides ipsi ad justitiam imputata est, quum adhuc ageret in præputio.*

Musculus. *Commendata debet esse hæc fides* (inquit Musculus loc. comm. de justif. ¶ 5.) *non propriè qualitatis, sed propositi Dei respectu, quo constituit illam credentibus in Christum, propter ipsum, justitiæ loco imputare.*

Aretius. *Imputavit ei justitiam* (ait Aretius ad Rom. 4. 3.) *quod est, Fidem gratam habuit, adeò ut justum ex eo haberet justitiâ imputativâ.* Et ad v. 22. *Fides tam firma & pia pro justitiâ Abrahamo imputata est.*

Gualterus. *Quâ Fide Abraham justificatus? Quæ semine benedicto nititur. Joan. 8. Observa* (inquit Gualterus ad Gal. 3. 6.) *propter eos, qui unumquemque in suâ fide servari putant.*

Calvinus. De hac ipsâ fide loquitur Calvinus, quum *Abrahamum* dicit *non aliter fuisse justum, nisi quia Dei bonitate confisus omnia ab eo sperare audebat,* ad Rom. 4, 3. Et ad Gal. 3. 6. magis perspicuè. *Deus fidem hominibus fert acceptam pro justitiâ.*

Pellicanus. Sic Pellicanus ad Gen. 15. 6. *Credidit simpliciter verbo Dei Abraham, & non postulavit signum à Domino; & imputabat eam fidem ipsi Abrahæ Deus pro justitiâ* (fidem scil.) *quâ creditur propensus Deus in nostrum bonum.*

Illyricus. Ad eundem modum Illyricus: *Illud Credere ei imputatum est ad justitiam, vel pro verâ justitiâ,* ad Rom. 4. 3. Et pòst, *Mendica illa fides apprehendens Christi justitiam imputata ipsi est loco propriæ justitiæ.*

Hunnius. Ita Hunnius ad Rom. 4. 3. *Fides, quâ promittenti Deo credidit Abraham, ei fuit ad justitiam imputata.*

Tremellius & Iunius. Eadem est Tremellij & Junij sententia ad Genes. 15. 6. *Eum, quamvis justitiâ carentem pro justo habuit; numeravitque in justitiæ loco, quod promissiones firmâ fide amplexus est.*

Pfiacherus. Illis assentitur Pflaccherus in Analysi typicâ ad eundem locum, qui etiam ipsorum verbis utitur.

Beza,

De illis autem Apostoli verbis ad Rom. 4. 3. sic Beza ad eum locum. *Hic agitur de eo, quod ipsi imputatum est; nempe de ipsius fide.* Et pòst: *Apostolus Hebræum affixum vertere potuit τοῦτο, ipsam videlicet fidem Abrahami.* Non sum nescius, nec dissimulandum puto, in postremâ editione Anno 1598 ad marginem Rom. 4, 3. hæc verba esse adscripta: *Fides, id est, Id quod per fidem in Christo apprehendit; ipsius videl. Christi justitia imputata.* Verum hæc ab ipso Bezâ esse adjecta non facilè mihi persuadeo, ne vir doctissimus eâdem paginâ sibi ipse contradicat.

Fayus.

Collega certè ipsius Antonius Fayus de fide Abrahami Apostolum loqui putat. *Paulus (inquit ad Rom. 4, 3.) Abrahami fidem in justitiam illi deputatam esse dicit.* Et mox ad versic. 5. *Fides facit, ut quod non est sit, quia est hypostasis rerum, quæ non videntur.*

Paræus.

Ea quæ sit fides, Paræus ostendit: *Intelligimus fidei nomine acquiescentiam Abrahæ non in se, suisve meritis, sed in Dei promissione & benevolentiâ, quâ statuit tum peccata alia, tum perturbationem illam ex orbitate obortam, sibi gratis à Deo condonari, & promissione ratas fore. Credidit Abraham Deo, hoc est, Firmiter acquievit in gratuitâ Dei promissione ac benevolentiâ.* ad Rom. 4. 3.

Abbotus.

Optimè igitur (ut aliquando concludam) Abbotus noster nuper Sarisburiensis Episcopus: *Imputatur fides ejus ad justitiam. Quibus verbis Apostolum videmus* (inquit Abbotus) *justitiam sine operibus asserere, quam fidei imputationem ad justitiam esse disertis verbis affirmat: quoniam per fidem remissionem & veniam peccatorum obtinemus.* Contra Bischop. part. 1. cap. 9. pag. 261.

20.

Tertia classis illorum est, qui aut fidei hujus dignitatem & præstantiam summis laudibus efferunt; aut nos justificari propter fidem, vel quia credimus, arbitrantur; aut denique fidem illam Abrahami de aliis Dei promissionibus, non solùm de justitiâ interpretantur. Nam hos quidem omnes

ipsam

ipsam fidem hîc significari, non Christi justitiam fide apprehensam existimare, res ipsa loquitur.

In his primus est Tertullianus, quum ita scribit: *Si Abraham Deo credidit, & deputatum est justitiæ, atque exinde Pater multarum nationum meruit nuncupari: nos etiam credendo in Deum magis proinde justificamur, & vitam æternam consequimur, sicut justus ex fide vivet.* Adversus Marcion. lib. 5. cap. 3. Et alibi: *Abraham Deo credidit, & justitiæ deputatus ab illo est, sed fidem ejus patientia probavit.* De pudicitiâ cap. 1. de illâ fide loqui Apostolum ait Tertullianus, quam patientia probavit. Ea verò non erat justitia Christi. *Deputari ad justitiam,* ita interpretatur, ut nihil aliud significet quam *Habitum esse justum.*

Tertullian.

Credidit Abraham Deo (ait Irenæus lib. 4. cap. 12.) *& primum quidem, quoniam ipse est factor cœli & terræ solus Deus: Deinde autem, quoniam faciet semen ejus quasi stellas cœli.*

Irenæus.

Qui ob hoc effertur & sibi placet (inquit Chrysostomus ad Rom. 4. 3.) *quod Deo fidem addixerit suam, multò majorem gloriandi occasionem ostendit, ut qui Deum glorificet ac magnificet.*

Chrysost.

Illum (ut semper) sequutus est Theophylactus ad eundem locum.

Theophyl.

11.

Cæterùm quoniam sentio fuisse me in istis longiorem, digitum ad locos intendam, verba non proferam. Hieron. lib. 1. ad Gal. cap. 3. 6. Augustinus in Joan. tract. 29. & ad Galat. 3. 6. Autor Commentariorum apud Ambrosium ad Roman: 4. 3. Theodor. ad Rom. 4, 3. Oecumenius ad Rom. 4. 6. Sedulius ad Galat. 3. 6. Zvvinglius ad Rom. 4. 22. Lutherus ad Gal. 2. 16. & 23. Hyperius ad Rom. 4. 18. 22. Althamerus in conciliat. loc. Scripturæ, fol. 154. a.

Hieronym.
Augustinus
apud Amb
Theodor.
Oecumen.
Sedulius.
Zvvinglius
Lutherus
Hyperius.
Althmer.

12.

Quum igitur ista tàm perspicua sint, tantoque hominum doctissimorum consensu ab Apostolorum usque temporibus confirmata, quæret fortasse aliquis, quî tandem factum sit, ut hæc Apostoli verba, per se clara & facilia, tropi nescio involucris, quasi nube obscuratâ, delituerint. Equi-

dem si mihi à viris eruditis venia concedatur, ut quod verisimile, videtur proponam, dicam paucis quod sentio. Duplicem hujus interpretationis sive causam sive occasionē videor animadvertisse; Alteram, quod illi qui de illiusmodi justitiæ Christi imputatione opinionē imbiberunt, nullam imputationis mentionem, nisi in hoc capite reperire potuerint. Aut hîc agitur, aut nusquam de illâ disputaturi rectissimè judicârunt. Alterum, quod illud agere Apostolum existimarent, ut quę sit justificationis forma, exponeret. Eam verò, quum fidei tribuere (ita ut erat) absurdum ipsis videretur, Christi justitiam fide apprehensam ab Apostolo significari sibi facile persuadebant. Accessit eodem, quod multa nostri Theologi egregiè de obedientiæ & justitiæ Christi merito, deque ejus dignitate & vi disputaverant, & prudenter vereque conclusérant, non fieri aliquâ fidei præstantiâ, ut Deus nobis peccata remitteret, nosque adoptaret; sed hoc totum (quantum quantum est, & est certè maximum) soli Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi pretioso sanguini, & obedientiæ omnibus numeris absolutæ acceptum esse referendum: Exposui quæ sit mea his de rebus sententia; ad quam non, tanquam ad scopulum, adhærescam, sed quæ mihi saltem probabilis esse videatur.

CAP. XV.

Quid Apostolus Fidei voce Rom. 4, 3. significaverit.

1. SUperest, ut quis sensus illis Apostoli verbis subjectus sit, diligenter exquiram, nullumque in illis latere tropum, quàm possum, perspicuè ostendam. Ac primum quidem de illo inter nos convenit,

Reputare sive *Imputare ad justitiam*, idem esse, quod *in justitiæ loco numerare*, ut Tremellius & Junius ad Genes. 15. 6. apertè loquuntur. Itaque quod ait Apostolus, *Credenti fides sua reputatur ad justitiam*, id nos ita interpretamur, *Illi qui credit, fides ipsius in justitiæ loco numeratur*. Fidem autem quum dicimus, ipsum *Credere*, τὸ πιςεύειν, significamus. *Credidit se Abraham Deo* (ut rectè Bullingerus ad Rom. 4, 3.) *& illud ipsum illi pro justitiâ imputatum est.* Nimirum lex ab homine ad ipsius justificationem perfectam ex obedientiâ omnibus numeris absolutâ, justitiam postulavit. Deus autem in Evangelio illud unum flagitat, ut in Christum credat, id est, ut per fidem Christo nitatur, vel ut Christo confidat, ad justificationem suam.

Tremellius & Iunius.

Bullinger.

2. Hanc interpretationem verbis ipsis optimè convenire, negari non potest. Nec quicquam in illâ potest deprehendi, quod Apostoli sententiæ adversetur; quum illud quæratur *Quid Deus ab homine ad ipsius justificationem postulet.* Quicquid namque ad Deo reconciliandos desiderabatur, id omne Christus præstitit; cujus ut beneficij participes esse possumus, fide nobis opus est, quæ credentibus reputatur ad justitiam.

3. Reperiuntur tamen nonnulli, qui tropum nescio quem in illis verbis latere contendant. Cæterum quid opus est tropo, quum, ut verba propriè sumantur, nihil quod ab Evangelicâ veritate, aut Apostoli sensu alienum sit, comprehendant: nec Apostolus usquam in sacris literis propriam vocis significationem repudiandam esse significet. Omninò si tropos, quum non necesse, liceat comminisci, nihil in religione certi, nihil explorati habebimus.

At fides (inquiunt) justitia nostra formalis esse non potest. Concedo: At potest (inquam) à Deo justitiæ loco haberi, ut præter ipsam nihil amplius à nobis flagitet, ad justificationem consequendam. Si causam justificationis

me-

meritoriam quærant, Christi obedientiam esse dico. Si formam, peccatorum veniâ cum Calvino & quamplurimis aliis Theologis, ut Ecclesias taceam, eam affirmo contineri; ut ad troporum latebras confugere non sit necesse. Verùm etsi nihil à quopiam adferatur, cur non propriè sumendam esse vocem debeamus existimare: tamen ut (si fieri potest) de verâ Apostoli sententiâ deinceps ne dubitetur, dabo operam, ut Fidem pro justitiâ Christi non esse accipiendam breviter ostendam. Quod quidem his rationibus effici posse confido.

Calvinus.

4.

1. Quum hoc uno loco (ut paulò ante significavi) de hac Imputatione agatur (nam ad Gal. 3. 6. Jac. 2. 23. eam tangunt Apostoli, non tractant) nec quæ hîc traduntur, usquam ab Apostolo explicentur, profectò non modò equum, sed omninò necesse fuit, ut de illâ perspicuè disputaretur. At verò si fidei nomine justitia Christi significetur, ita obscurè loquutus est Apostolus, ut divinare potius quàm interpretari dicendus sit, qui illam esse ipsius sententiam affirmaverit. *Credidit Abraham Deo, & imputatum est.* Quid est imputatum? Τοῦτο, respondet Beza, & quod dicit, exponit, *Ipsa videl. fides Abrahami.* At quam occultè in voce fidei latet Christi justitia? Quis inde illam eruet? Illud autem, quàm perspicuum est? Imputatum est. Quid tandem? Ipsum Credere, τὸ πιστεύειν, ver. 3. Fides sua, v. 5. Si omnes Grammaticos, omnes Rhetoras consulamus, eam esse Apostoli sententiam omnes & singuli pronunciabunt.

Galat. 3. 6. Iacob 2. 23

5.

Verum fac si placet; id quod credidit imputari. Quid illud est quod credidit? *Credidit Abrahamus Deo.* Nimirum Credendo, non Christi justitiam, sed Dei promissionem apprehendit Abrahamus de salute per Christum comparandâ. Quamobrem, si quod credidit Abrahamus, id illi imputandum est, imputanda est promissio Dei, non justitia Christi.

2. Fides credenti imputata ad justitiam, est credentis priusquam imputetur. Dicitur enim fides sua, id est, ipsius credentis.

Christi justitia non est credentis priusquam imputetur. Quid enim opus esset imputatione? An ut sit ipsius justitia? Quasi justitia Christi credentis esse intelligi possit, ut tamen nō sit ipsius justitia. Quid igitur est ipsius? An tanquam peculium aliquod esse somniabimus, quo nesciat, aut non debeat uti, ut justitiâ suâ, antequam ipsi à Deo imputetur? Tanquam mancipio & nexu, non usu & fructu credentis esse intelligetur. Præterea Imputare, idem est quod Donare ex illorum, qui hæc tuentur, sententiâ, ut suo loco indicavi. Donari verò quomodo potest id, quod jam possidetur ab eo, cui donandum esse fingitur? Nisi forte aut justum titulum non habere dixeris, aut saltem bonæ fidei possessorem esse non concesseris. Quorum utrumque falsum esse perspicuum est.

5.

Ergo Christi justitia non est fides credenti imputata ad justitiam. Sed ne abeam longius, etiam locus ipse argumenta quædam suppeditat, quibus justitiam Christi fidei voce non significari dilucidò constet.

3. Fides credenti imputata ad justitiam, est ea fides, quam Spiritus sanctus ab homine justificando flagitat ad ipsius justificationem. Marc. 16. 16. *Qui crediderit, salvus erit.* Act. 16. *Crede in Dominum Jesum, & servaberis.* Rom. 3, 25. *Quem Deus proposuit placamentum per fidem in sanguinem ipsius.* Rom. 4, *Credidit Abraham Deo.*

6.

Mar, 16, 16, Act, 16, 32, Rom. 3, 25 Rom, 4, 3,

Justitia Christi fide apprehensa, non est ea fides, quam Spiritus sanctus ab homine justificando flagitat ad ipsius justificationem. Nam Credere in Christum non significat Christi obedientiam fide apprehendere, sed Christo confidere ad reconciliationem cum Deo. Nec ulla est usquam in Scripturis mentio, Credendi in obedientiam vel justitiam Christi: Ne illud quidem ab eo, qui justificandus est, flagita-

tur, ut obedientiam vel justitiam Christi fide suâ apprehendat, quam Deo sistat, ut ea ipsi imputetur ad justitiam, sed ut *Dei promissione nitatur, & se Christo penitus credat*, ad vitam æternam per ejus merita consequendam.

Ergo Christi justitia non est fides credenti imputata ad justitiam.

7. 4. Fides Abrahamo ad justitiam imputata est fides, quâ credidit Deo vivificanti mortuos, & vocanti quæ non sunt, tanquam sint. vers. 17. Nam toto penè capite Apostolus eam Abrahami fidem celebrat ac illustrat, de quâ versu tertio loquutus fuerat.

Christi justitia non est fides, quâ credidit Deo vivificanti mortuos, & vocanti quæ non sunt, tanquam sint.

Ergo Christi justitia non est fides credenti imputata ad justitiam.

8. 5. Fides Abrahamo ad justitiam imputata est fides, quâ credidit contra spem sub spe fore, ut ipse fieret pater multarum gentium. Eadem est hujus propositionis ratio, quæ superioris fuit, Apostolum sc. de eâdem fide loqui.

Christi justitia non est fides, quâ credidit contra spem, sub spe fore, ut ipse fieret pater multarum gentium.

Ergo Christi justitia non est fides credenti imputata ad justitiam.

9. 6. Fides Abrahamo ad justitiam imputata est fides, de quâ dicitur *Eum non fuisse infirmum fide.* vers. 19. *sed corroboratum fide.* vers. 20. Probatur ut prius.

Christi justitia non est fides, de quâ dicitur, *Eum non fuisse infirmum fide*, v. 19. *sed corroboratum fide*, v. 20.

Ergo Christi justitia non est fides Abrahamo credenti ad justitiam imputata.

10. 7. Fides credenti ad justitiam imputata vers. 5. est id, quod Abrahamo imputatum esse dicitur vers. 22. *Quapropter etiam*

hoc ei imputatum est ad justitiam. Nempe ver. 21. quod *Plenè persuasum haberet, Deum quod promiserat, posse etiam facere.*

At Christi justitia non est id, quod Abrahamo imputatum esse dicitur v. 22. scil. quod *plenè persuasum haberet,* &c.

Ergo Christi justitia non est fides credenti imputata ad justitiam.

CAPUT XVI.

Argumentum secundum pro tertio Enunciato proponitur & refellitur.

1. SEcundum argumentum sic instituitur.

Si ad justificationem impij justitia imputanda sit, nec ulla sit, quæ ad eam imputari possit, nisi Christi justitia, tum justitia Christi imputatur ad justificationem impij. Est enim aliqua impij justificatio, Roman. 4. 5. *Credenti in eum, qui justificat impium.* (Rom: 4, 5.)

Atqui ad justificationem impij justitia imputanda est, nec ulla est, quæ ad eum imputari possit, nisi Christi justitia.

Ergo justitia Christi imputatur ad justificationem impij.

2. Ad ejusdem generis argumenta necesse habeo idem responsum sæpius quàm vellem, accommodare. In iis tamen, quæ deinceps sequentur, id significabo potius, quam explicabo. Nunc id dico; Si de Christi justitiâ imputandâ disputaretur, ut justificationis causa esse meritoria intelligeretur, equidem omnia libentissimè concederem. Agnosco enim justitiam Christi, ut causam ejus meritoriam ad justificationem impij imputari.

Cæterûm, quum de formali causâ differatur, quâ fiat, ut per eam imputatam legem præstitisse, & jus vitæ æternæ adipiscendæ, ex fœdere *Hoc fac & vives* acquisivisse judicemur, Assumptionem nego. Neque enim peccatori ad justificationem ejusmodi justitiæ imputatione opus est, ut ante ostendi.

3. Rom. 4. 6.

Sin autem ex sensu justitia imputata sumatur, quo illam Apostolus Rom. 4. 6. usurpat, eandem Assumptionem nego, quoniam posterior ejus pars falsa est. Nam justitia imputata, de quâ ibi Apostolus, nihil aliud est quam remissio peccatorum, ut ad eum locum Calvinus. Remissio autem peccatorum, non est ipsa Christi justitia, sed ejus effectum.

Calvinus.

4.

Deinde falsa etiam est eadem minor propositio, quia sumit pro concesso, Peccatorem posse formaliter esse justum per imputationem. At hoc à ratione alienum est, quamvis secundum Enunciatum, nempe, *Christi obedientiam peccatori imputatam esse ipsius formalem justitiam* eo nitatur. Nam formalis quidem justitia (si verè loqui volumus) vel in animi quas vocant qualitatibus, vel saltem in justis & sanctis actionibus ab illis proficiscentibus posita est; ut Imputatione constare non possit. Quâ profectò non magis formaliter justi, quàm sapientes, divites, vivi esse possumus, sapientiæ, divitiarum, vitæ imputatione.

5.

Denique postrema ejusdem minoris pars, ipsam Christi justitiam ad justificationem peccatoris imputari posse significat. At illud falsum esse liquidò constat, quoniam nulla actio ita nobis imputari potest, ut nostra esse intelligatur, nisi quæ à voluntatis nostræ electione, per judicium intellectus nostri practicum proficiscitur.

CAP.

CAPUT XVII.

Argumentum tertium pro tertio Enunciato proponitur & refutatur.

TErtium argumentum ita proponitur:

Justitia quam dono accipimus, Rom. 5. 17. imputatur nobis ad justificationem.

Christi obedientia est justitia, quam dono accipimus, Rom. 5. 17.

Ergo Christi obedientia imputatur nobis ad justificationem.

1. Rom. 5, 17.

Si obedientiâ Christi non ipsa obedientia, sed ejus meritum significaretur, de conclusione non omninò litigarem. Verùm qui hoc argumento in hac quæstione utuntur, ipsam obedientiam significari volunt. Illis igitur ita respondeo. Primum quod in propositione continetur, justitiam illam nobis à Deo dono dari, illud me largiri facillimè, quoniam Apostolus *donum justitiæ* appellat.

2.

Deinde etiam illud concedo, quod in ejusdem propositionis prædicato affirmatur: *Eam justitiam nobis imputari*; quum non sit justitia infusa, ut suo loco in responsione ad Bellarmini argumenta perspicuum fiet.

3.

Assumptionem falsam esse contendo. Non Christi obedientia, sed illius obedientiæ meritum, est illa justitia, quam dono accipimus. Rom. 5. 17. Justitia namque, de quâ ibi Apostolus, est justitia per quam in vitâ regnaturi sumus. Per meritum autem justitiæ Christi in vitâ regnabimus, non per ipsam justitiam. Nostram enim esse oportet formalem justitiam, per quam fieri possit, ut in vitâ regnaturi simus. Sic

Hemming, Hemmingius: *Justitia quam Deus ut viam vitæ æternæ requirit & approbat, est conformitas hominis cum Deo; Seu, quod idem est, perfecta & absoluta hominis erga Deum obedientia, juxta ipsius legem.* de justificatione art. 1. § Justitia. Ipsa autem Christi obedientia nostra esse formalis justitia non potest. Sed de loco ipso plura disserui cap. 2. Ac vitam quidem æternam eo loco ab Apostolo significari multi Theologi tradiderunt.

4. Augustinus. *Quid est* (inquit Augustinus de peccat. merit. & remissione lib. 1. c. 13.) *Multò magis in vitâ regnabunt, quum mortis regnum multò plures in æternam pœnam trahat, nisi intelligamus eos ipsos in utroque dici, qui transeunt ab Adam in Christum, i. e. à morte ad vitam, quia in vitâ æternâ sine fine regnabunt, magis quam in eis mors temporaliter & sine fine regnavit.*

Primasius, *Quia & ut justè vivamus, & ut cum Christo regnemus muneris ipsius largitate donatum est.* Primas. ad Rom. 5. 17.

Theodor. *Erunt morte potentiores, & cum Christo regni ab omni exitio ac interitu alieni, & vitæ æternæ erunt participes.* Theodoretus ad Rom. 5. 17.

Oecumen, *Si unius Adæ delicto propter ipsum unum mors regnavit, multò magis nos gratiâ & dono percepto non succumbemus morti, immò vivemus.* ad Rom. 5. 17.

Haymo. *Si pro delicto unius hominis Adæ, quod per unum hominem Adam venit, mors corporis & animæ regnavit temporaliter, & ad tempus in electis; multò magis regnabunt illi in vitâ æternâ, accipientes per Jesum Christum abundantiam, i. e. plenitudinem gratiæ, quâ dimittentur peccata, &c.* ad Rom. 5. 17.

Anselmus, *Regnabunt multò magis, quàm in eis mors regnavit, quia ipsi regnabunt æternaliter, mors autem regnavit temporaliter.* Anselm. ad Rom. 5. 17.

Hemming. *Si tanta fuit delicti aut reatus Adami vis, ut in totam ejus posteritatem dimanaverit in condemnationem: multò profectò major erit vis gratiæ & justitiæ Christi, ut qui ejus reddantur participes per fidem, vitam vivant æternam.* Hemm. ad Rom. 5. 17.

Regnabunt in vitâ, id est, veræ & perennis vitæ participes facti. Beza ad Rom. 5. 17. Beza.

Quam quidem virorum eruditissimorum interpretationem ipsa nostri Apostoli verba confirmant. Quis enim dubitat vitam de quâ hîc Paulus, opponi morti, in alterâ versus parte? Mors autem hoc in capite, non peccatum, sed ejus effectum, significat; mortem sc. temporalem atq; æternam, ut res ipsa loquitur. *Peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors.* ver. 12. *Regnavit mors ab Adamo usq; ad Mosen.* ver. 14. *Illius unius lapsu multi mortui sunt.* v. 15. 5. Rom 5, 12, v. 14, 5,

Quid quod vita eo sensu de vitâ nimirum æternâ accipienda sit, ver. 18. *In omnes homines ad justificationem vitæ,* i. e. ad justificationem, quæ vitam æternam adducit. Et ver. 21. magis perspicuè; *Gratia regnaret per justitiam ad vitam æternam.* 6. Rom. 5, 21,

CAP. XIIX.

De Argumento quarto.

QUarto argumento ita ferè disputatur: 1.

Si peccata nostra imputata sunt Christo, ut maledictioni illis debitæ subjiceretur, tum justitia Christi imputatur nobis, ut benedictionem illi debitam consequamur.

At peccata nostra imputata sunt Christo, ut maledictioni illis debitæ subjiceretur.

Ergo justitia Christi imputatur nobis, ut benedictionem illi debitam consequamur.

Si de meritoriâ justificationis causâ in hac disputatione ageretur, ut priorum Syllogismorum, sic etiam istius conclusionem facilè concederem. Cæterum de causâ formali disputatur. De quâ sic respondeo: Peccati voce in Antecedente propositionis parte, vel actiones ipsæ à lege Dei aberrantes, vel pœna illis debita intelligi potest: id est peccatum vel formaliter sumitur, vel effectivè. 2.

Si

3. Si de Effecto, nempe de pœnâ disseratur, dico propositionis consequentiam, quod rerum ipsarum naturam attinet, parum esse firmam. Neque enim sequitur quia illud est, ideo hoc esse: sed merè ex Dei voluntate & ordinatione pendet, quod ejusmodi esse debeat in utraque imputatio. Quod si cuiquam videatur fieri non posse, ut maledictioni subjectus sit quispiam, nisi peccator esse aliquo saltem modo intelligatur: tamen nihil impedit, quo minus Deo liceat illos vitæ æternæ participes facere, qui legis justitiam non præstiterunt. Quidni enim *liceat illi facere quid velit in rebus suis?* Matth. 20. 15 Omninoque id fecit, quum Angelis vitam æternam concesserit, quum legem tamen non præstiterint.

Esa, 53, 5. Rom, 5, 17 Matt, 20, 15

4. Eadem est Assumptionis ratio. Nam si peccatum formaliter sumatur, nego peccata nostra Christo esse imputata. Quid est enim Imputata esse Christo peccata nostra, nisi Inconformitatem (ut ita loquar) nostram cum Deo ac legi ipsius illi communicatam esse, & communem illi nobiscum factam; ita ut ille ex eâ communicatâ injustus & impius esse intelligatur, cum interius, quod habitum ipsum attinet, tum exterius, quod ipsas actiones. At hoc de Domino & Servatore nostro Jesu Christo, nec affirmari debet nec cogitari. Cui namque peccatum hoc modo communicatur, ille ex hac communicatione in Dei legem peccâsse, formaliter injustus esse atque impius, denique mortem æternam promeruisse censendus est, secundum illam execrationem Deuter. 27. 26. *Maledictus qui non præstiterit verba Legis hujus faciendo ea.*

Deu, 27, 26

5. Atque hæc quidem omnia Imputatione peccatorum nostrorum Christo comprehendi satis liquet ex justitiæ illius imputatione nobis. Nam illa certè ita nobis communicatur (ex eorum sententiâ, qui ista defendunt) ut ex illâ imputatâ 1. conformes reddamur Deo ejusque legi, & habitu & actionibus, interius nimirum sancti ac puri, exterius autem legis observatores. 2. Formaliter justi simus. 3. Vita deniq; æterna

no-

nobis ex fœdere Hoc fac & vives, debeatur; quæ omnia ex ipsorum scriptis, qui hanc opinionem tuentur, liquidò demonstravi part. 2. cap. 1.

6. Quod autem pro concesso sumitur, Dominum ac Servatorem nostrum sacrificium sive oblationem pro peccatis nostris fieri non potuisse, nisi peccata nostra illo, quem diximus, modo fuissent illi imputata, id nec ullo scripturæ testimonio confirmatur, & rem aliter se habere perspicuum est. Nam illud quidem factum esse quis ignorat? quum apertè dicat Apostolus, *Christum tradidisse semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ.* (Ephes. 5. 2.) Quibus verbis Christum oblationem fuisse pro peccatis affirmat Apostolus: Nostrorum autem peccatorum imputatione reum fuisse, quæ tandem scripturæ verba declarant?

7. Immò verò, respondebit fortasse quispiam, num id dicimus, Necesse fuisse ut Christus peccatorum nostrorum reus fieret, sed ut illis ipsi imputatis, à Deo reus esse existimaretur. At hoc nusquam à Spiritu sancto in sacris literis affirmatur. Deinde (ut liberè dicam quod verè sentio) nihil omninò causæ video, cur non perinde valeret ad redemptionem nostram, Deum existimare Christum pœnas scelerum nostrorum dedisse, etsi eas revera non dedisset; ac ad Christum supplicio afficiendum valuit; quod Deus ipsum peccati reum esse judicabat, quum ab omni prorsus peccato immunis esset. Accedit eodem, quòd planè nullo modo fieri potuerit, ut Deus illum peccati reum esse existimaret, qui nec reipsâ per se reus erat, nec illâ Dei existimatione reus fieri potuit.

8. Nam hæc quidem, de quâ loquimur, Existimatio, est actio intellectus, quâ rem quampiam vel secus habere judicamus. Quare si illam aliter habere, ac revera habet, existimemus, perperàm de illâ judicamus, & intellectus noster opinionis errore id sibi confingit, quod planè nusquam & nihil est. Un-

de emergit, Deum, si Christum peccati reum existimaret, eo quem exposui, mòdo, quum revera non sit reus, aliquid de Christo intellectu suo comprehendere, cujus nulla est in ipso Christo ratio objectiva: ac proinde (quod dicere aut cogitare nefas est) falli ipsum ac decipi, quum hujusmodi aliquam propositionem *Christus est reus peccati*, veram esse existimaret, quæ planè falsa est.

9. Neque illud quidem fieri potest, ut hac Dei de Christi reatu existimatione, Christus nostrorum peccatorum reus existat. Nam intellectus Dei ab ipsius voluntate sejunctus, qualis in hac ejus actione fingitur, nullius rei causa esse in creaturâ quavis potest judicari. Est enim ipsius speculativa, quam vocant, cognitio, quam *scientiam visionis* appellant scholastici, quæ perpetuò existentiam præsupponit objecti; ut si hoc nullum sit, nulla esse possit sciẽtia visionis. Nam quod esse cognoscitur, existere illud naturâ, priusquam cognoscatur existere, necesse est. Quamobrem Christum prius, naturâ dico, non tempore, peccati reum esse oportet, quam Deus illum esse reum existimare possit, nisi forte illum secus atque res habet, existimare posse judicemus.

10. Superest ut id respondeant, qui ista defendunt, se, quum Christum haberi à Deo pro peccatore contendãt, nihil aliud dicere, quàm Deum perinde cum illo agere, ac si illum peccati reum esse existimaret. Hoc si dicerent, verum profectò dicerent, sed ad rem ipsam parum accommodatè. Nam quod fundamenti loco jecerunt, Christum oblationem pro peccatis nostris fieri non potuisse, nisi peccata nostra eo, quem diximus, modo illi imputaretur, quum hæc disputant, illud evertunt. Hanc verò Imputationem, quâ fiat, ut Deus ita se gerat erga Christum, quasi illum pro peccatore haberet, nullus credo, est Theologus, qui non agnoscat. Patres certè sunt in

11. Chrysost. eâ opinione, *Illum, qui nihil injustè egit, permisit puniri pro his, qui injustè egerunt.* Chrysost. ad 2. Cor. 5. homil. 11. Et paulò pòst:

Qua-

Quasi peccatorem condemnari permisit, & quasi maledictum mori. Maledictus enim, qui pendet in ligno. Filium suum (inquit ad eundem locum Theophylactus) *pro nobis morti subjecit, moriq; fecit ceu peccatorem ac sceleratum. Maledictus enim, &c.* In quam sententiam Calvinus ad 2. Corinth. 5. 21. *Sicut in victimam rejiciebatur olim maledictio hominis: ita Christi damnatio nostra absolutio fuit, ac livore ejus sanati sumus.*

Theophyl.

Calvinus.

12. Nec alio quidem modo imputata fuisse peccata nostra usquam dicit aut significat Spiritus S. in sacris literis. Nam quod apud Esaiam habetur cap. 53. v. 12. *Cum defectoribus annumeratus est*, illud Marcus Evangelista ad mortem ipsius in cruce docet esse referendum. *Crucifixerunt etiam cum eo duos latrones, unum ad dextram, alterum ad sinistram ejus. Et impleta est Scriptura, quæ dicit: Et cum sceleratis numeratus est.*

Esai. 53, 12
Mar. 15, 27. 28.

13. Ne Patres quidem & Theologi antiqui aliam ullam imputationem, alium reatum Christo tribuerunt, quam quod peccata nostra susceperit sanguine & oblatione corporis expianda, juxta illud Apostoli Petri: *Peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo super lignum illud.* Et illud in epist. ad Hebr. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel factam.* Quibus ita disputatis quidni concludam Dominum ac Servatorem nostrum Jesum Christum victimam pro peccatis nostris fieri, vel mori, ceu peccatorem potuisse, licet peccata nostra non fuerint ita illi à Deo imputata, ut ipsum eorum reum esse existimaverit?

1. Pet. 2, 24
Heb. 10, 10

14. Quod quidem ex eo clarius elucet, quoniam ejusmodi fuit illi Christi pœnarum persolutio, ut nullâ ad eam imputatione opus fuisse videatur. Redemit enim nos Christus precio persoluto, quum *daret animam suam redemptionis pretium pro multis*. Liberatio autem, quæ fit per redemptionem, nihil habet cum imputatione commercij.

Mar. 10, 45

15. Jam si peccatum in hoc argumento sumatur effectivè, concedo Assumptionem esse veram. Peccata enim nostra

Christo fuerunt imputata, ut oblatione corporis sui illa expiaret. Atque hoc est quod dicit Apostolus 2. Cor. 5, 21. ut è Chrysostomo & aliis ostendi. Quam verò nonnulli urgent imputationem de reatu peccatorum, de illâ ne verbum quidem unum Apostolus facit, nedum peccata nostra Christo imputata esse dicit, ut maledictioni illis debitæ subjiceretur. Et de argumento hactenus.

16. 2, Cor. 5, 21. Reliquum est, ut de loco ipso 2. Corinth. 5. 21. pauca dicem, quoniam causam ipsam videtur quibusdam continere. Sic enim disputant: *Quemadmodum peccata nostra imputata sunt Christo, ita justitia Christi nobis imputatur.* At ista (inquam) non est Apostoli disputatio; qui nullam instituit harum rerum collationem, sed illud tantum affirmat; sc. *Christum, qui peccatum non novit, pro nobis factum esse peccatum, ut nos fieremus justitia Dei in ipso.* Quapropter argumentum Apostoli non est ductum à comparatione parium aut similium, sed vel à causâ efficiente ad Effectum, vel à fine ad Destinatum.

17. Calvinus. Calvinus quidem videtur significare argumentum ab efficiente causâ meritoriâ peti. Sic enim loquitur Instit. l. 2. cap. 17. n. 2. *Significat gratuitam justitiam adeptos Christi sacrificio, ut Deo placeamus, qui naturâ sumus filij iræ, & per peccatum alienati.* Et ad ipsum locum: *Docet Paulus nos justitiam Dei esse factos, eò quòd Christus factus sit peccatum.* Cæterum verba ipsa finem potiùs significant, quasi ad hunc modum disputaret Apostolus, Eâ causâ Deus Christum fecit hostiam pro peccato, ut nos efficeremur justi, per ipsum, peccatis nostris illâ ipsius oblatione sublatis & expiatis.

18. Ac patres quidem verba illa sic exponunr, ut nos justitiam effici, nihil aliud esse significent, quàm justos fieri. unum & alterum nominabo.

Theodor. *Quum liber esset à peccato, mortem peccatorum subijt, ut hominum peccatum solveret; & id vocatus quod nos eramus, nos fecit id quod erat.* Theodoretus ad 2. Cor. 5. 21.

Deus

Deus Christum fecit sacrificium pro peccatis (inquit Augustinus Enchir. ad Laurent. cap. 41.) *per quod reconciliari valeremus. Ipse ergo peccatum, ut nos justitia; nec nostra, sed Dei sumus, nec in nobis, sed in ipso; sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis constitutum demonstravit.* Id igitur dicit Aug. Christum fuisse sacrificium pro peccato, non pro suo quidem, quod nullum erat, sed pro nostro, quod abundabat; non pro peccato in ipso hærente, aut ab ipso commisso, sed pro eo, quod in nobis erat infixum, & à nobis perpetratum. Eâdem planè ratione justitia, quam nos per illum consequimur, neque naturâ nostra est, neque acquisitione; sed nobis à Deo donata, non in nobis, sed in Christo posita, cujus nos membra esse gloriamur. De hac justitiâ alibi Augustinus: *Est justitia Dei, quæ & nostra fit, quum donatur nobis. Ideo autem Dei justitia dicitur, ne homo se putet à seipso habere justitiam.* ad Psalm. 30. conc. 1.

Augustinus

Augustinus

Ut efficeremur justi (inquit Haymo ad 2. Corint. 5. 21.) *per misericordiam Dei patris in ipso; id est, per Christum; vel in ipso, id est, in corpore Christi conjuncti.*

Haymo.

Non nostra, non in nobis (ait Sedulius ad 2. Corinth. 5, 21.) *sed in ipso, id est, in Christo, quasi membra in capite.* Nam *Christi satisfactio* (ut rectè Thomas part. 3. quæst. 48. art. 1. ad 1.) *ad omnes fideles pertinet, sicut ad sua membra. Habet enim effectum in nobis* (ut idem Thomas qu. 49 art. 3. ad 3.) *in quantum incorporamur ei, ut membra suo capiti.* Sed de istis satis multa disserui part. 1. lib. 2. cap. 16. numer. 8. 9.

Sedulius.

Thomas.

CAPUT XIX.

In quo alia Argumenta pro secundo Enunciato proponuntur & examinantur.

1. SEcundum Enunciatum sic habet: *Obedientia Christi est nostra formalis justitia*, part. 2. cap. 1. Sect. 1. n. 5. Quod ita probatur:

Per quam obedientiam justitia legis in nobis impletur, ea est nostra formalis justitia.

Per obedientiam Christi justitia legis in nobis impletur. Rom. 8, 4. (Rom: 8, 4)

Ergo obedientia Christi est nostra formalis justitia.

2. Ut hæc Assumptio Apostoli esse intelligatur, duo pro concessis sumenda sunt; alterum, filij nomine vers. 30. obedientiam Christi significari: alterum quod vers. 4. dicitur. *Ut justitia legis in nobis impleretur*, id reverà esse factum; nimirum Justitiam legis in nobis esse impletam. Quæ profectò si rectè intelligantur, nihil habent dubitationis. Ac de primo quidem satis constat: quoniam quæ duo tanquam fines vel effectus ab Apostolo proponuntur, sc. *Condemnatio peccati in carne*, & *Legis in nobis impletio*, nisi à Christi obedientia proficisci nequeunt. Neq; de altero certè dubitari potest, quum Christus omnia præstiterit, quæ ipsum præstiturum constituit Deus.

3. His ad hunc modum explicatis. Assumptionem illam Apostoli esse agnosco. Jam verò ut quæ responsurus sum, ea magis sint perspicua, necesse habeo de vocibus in hoc Syllogismo usurpatis pauca dicere. Ac primum illud monendum sentio, Obedientiæ vocabulo in Antecedenti parte singularum propositionum, ipsam obedientiam, non ejus meritum denotari. Neq; enim fieri potest ut Meritum obedientiæ no-

tram esse formalem justitiam quispiam arbitretur; aut discetandum proponat. Nam illud quidem ex rerum ipsarum naturâ, & per se (ut loquuntur) manifestum est, Nullius obedientiæ meritum cujusquam formalem justitiam esse posse. Secundo loco, *Justitia legis* jus, vel potius justum illud significat, quod ab hominibus lege postulatur, quum ipsis, ut justi sint, imperatur. Postremò Impleri in nobis, ex multorum opinione significat In naturâ nostrâ impleri: Aliorum autem judicio Impleri à nobis, vel per nos, ita planè ut Deus nos legem reverà & perfectè judicet præstitisse.

4. Venio nunc ad ipsum Syllogismum; & primum respondeo ad propositionem; Quam si ita proponatur (quod illorum qui ista defendunt judicio rectè fieri potest) Obedientia legis, per quam justum illud, quod lex flagitat à nobis, in nostrâ naturâ præstatur, est formalis nostra justitia; falsum esse contendo. Etenim fieri non potest, ut alterius cujusquam actiones justæ, nostræ esse formalis justitia intelligantur, quum illa in nostris ipsorum actionibus ab intellectu & voluntate nostris proficiscentibus, & ex habitu, qui rectitudinem illis vel conformitatem legi æternæ tribuat, posita sit. Atque hoc quidem sensu Assumptionem veram esse non negaverim, nimirum, Ipsam obedientiam Christi esse illam obedientiam, per quam justitia sive justum legis impleatur. Sed hanc Assumptionem Apostoli esse, nullà ratione concesserim; quum nullo argumento ex ipsius verbis aut sententià possit confirmari.

5. Quid quod ex Apostoli disputatione, non esse illam ipsius sententiam probari queat. Non enim de ipsâ obedientiâ, sed de illius merito loqui videtur, quod his rationibus ostendo.

1. Illa obedientia, per quam condemnatum est peccatum, est obedientia de quâ Apostolus.
Meritum obedientiæ Christi (non ipsa obedientia) est illa obedientia, per quam condemnatū est peccatum.

Ergo meritum obedientiæ Christi non ipsa obedientia, est illa obedientia, de quâ Apostolus.

Propositio nullam habere potest dubitationem. Assumptionis veritas ex eo elucet, quod peccati condemnatio est Dei patris actio, idque ex intuitu meritorum Christi. Deinde si ipsa Christi obedientia peccatum condemnaret actu (de quo Apostolus) peccatum tanquam forma illi contraria physicè tollere & expellere censeretur: quod ne intelligi quidem potest.

2. Ex illo etiam apparet, illam Assumptionem non esse Apostoli, quoniam verba illa In nobis non possunt apud illum significare in nostrâ naturâ. De quo ita constat.

In nostrâ naturâ significat in humanâ naturâ in communi vel in genere.

In nobis v. 4. non significat in humanâ naturâ in communi vel in genere; de iis enim solis loquitur, qui secundum spiritum incedunt.

Ergo In nobis vers. 4. non significat in nostrâ naturâ.

6. Accedo nunc ad illorum opinionem examinandam, qui Justitiam legis in nobis compleri ita exponunt, ut eam A nobis vel Per nos compleri sentiant: ita planè ut Deus nos legem reverâ præstitisse existimet. E quorum sententiâ talis esse debet propositio.

Per quam obedientiam justitia, vel justum illud Legis ita completur in nobis, ut Deus legem A nobis vel Per nos revera præstitam esse existimet, ea est nostra formalis justitia.

Hanc propositionem veram esse concedo: Quæ verò ex illâ ducitur Assumptio. nempe:

Per ipsam Christi obedientiam justitia sive justum illud legis ita completur in nobis, ut Deus legem A nobis vel Per nos revera præstitam esse existimet;

Ea nec Apostoli nec vera est. Non vera: quoniam Quos Deus

legem

legem reverà præstitisse existimat, ij reverà illum præstiterunt. Quod si non fecerint, id Deus verum esse judicat, quod planè falsum est. Hoc autem fieri non potest, quum judicium ejus sit prorsus secundum veritatem rei: & hæc, de quâ loquimur, Dei existimatio, sit scientia, quam vocant visionis, quæ rei visæ vel cognitæ existentiam supponit. Jam verò neminem per alterius obedientiam legem reverà præstare posse, satis liquet: quoniam hæc est legis pactio, *Hoc fac & vives*; in quâ cuiusque à singulis obedientia flagitatur, & singulis ex eâ solâ obedientiâ vita æterna promittitur.

7. Apostoli verò non esse illam Assumptionem, paulò ante ostendi n. 5. quoniam non de ipsâ obedientiâ loquitur Apostolus, sed de illius merito; nec de illa, quæ ab alio ad nos transfertur, & nobiscum communicatur; nec omninò de ullâ ejus impletione ad justificationem. (Nihil enim apud Apostolum reperitur, quo illâ sententiâ possit aliquâ ex parte confirmari) sed de illâ, quæ à nobis ipsis præstatur per gratiam sanctificationis. Per eam autem præstari posse legem ab iis, qui justificati sunt, & sanctificati, optimè declarat Calvinus Instit. lib. 3. cap. 17. num. 8.) *Præpositâ* (inquit) *peccatorum remissione, quæ jam sequuntur bona opera, aliam, quam à suo merito æstimationem habent: quia quicquid in illis est imperfectum, Christi perfectione contegitur, quicquid nævorum aut sordium, ejus puritate abstergitur, ne in judicij divini quæstionem veniat. Obliteratâ igitur omnium transgressionum culpâ, quibus impediuntur homines, ne quicquam Deo gratum proferant, sepulto etiam imperfectionis vitio, quod bona opera fœdare solet, quæ fiunt à fidelibus bona opera, justa censentur, vel (quod idem est) in justitiam imputantur.* Adjungit Calvinus numero sequenti in extremo, *Nihil absonum esse, sic fide hominem justificari, ut non ipse modo justus sit, sed opera quoque ejus supra dignitatem justa censeantur.*

Calvinus.

8. Jam Patres & antiquos Theologos hunc Apostoli locum de lege per sanctificationem complendâ exposuisse,

Augustinus

ipsorum testimoniis ostendam luculentissimis. Sic igitur Augustinus in Exposit. quarundam propositionum Epistolæ ad Rom. proposit. 48. *Hac prudentiâ in homine Dominico exstinctâ & ablatâ, justitia legis impletur, quum secundum carnem non ambulatur, sed secundum spiritum.*

Hieronym.

In eandem sententiam Autor comment. ad Rom. 8. 4. apud Hieronymum: *Ut quod in illis, repugnante carnali consuetudine impleri non potuit, in nobis saltem impleatur, qui exemplo Christi mortificamus carnem.*

Primasius,

Primasius ad Rom. 8. 4. (è quo, ut antea significavi, illorum commentariorum autor plurima descripsit) eodem modo loquitur, sed paulò clarius. *Ut quoniam in illis vivâ & repugnante carne, justificatio legis impleri non potuit, in nobis impleatur, qui Christi adjutorio carnem mortificamus cum vitiis. Præcepta legis implentur per charitatem, quæ per timorem non poterant impleri.*

Ambrosius

Eadem est sententia apud Ambrosium: *Quomodo impletur in nobis justificatio, nisi quum datur remissio omnium peccatorum, ut sublatis peccatis justificatus appareat mente serviens legi Dei. Hoc est, non secundum carnem ambulare, sed secundùm spiritum, ut devotio animi, qui est spiritus, non consentiat desiderio peccati.*

Haymo.

His assentitur Haymo ad Rom. 8. 4. *Ut per passionem ejus redempti, & per baptismum ab omnibus peccatis liberati, per spiritum quoque sanctum roborati, opera legis spiritualiter implere possimus.*

Anselmus,

Cui suffragatur Anselmus ad Roman. 8. 4. *Ut justificatio quam præcepit sive promisit, impleretur in nobis per spiritum, qui adjuvat, hoc est, Lex literæ impleretur in nobis per spiritum vitæ.* Quibus postremis verbis, ea quæ vers. 2. scripsit Apostolus, significat Anselmus, *Lex spiritus vitæ, qui est in Christo Jesu, liberavit me à lege peccati & mortis:* ut Anselmi judicio hæc legis impletio vers. 4. ab illâ liberatione, vers. 2. oriri intelligatur.

illam verò per gratiam ſanctificationis fieri, per quam legem præſtamus ipſi, omnes Theologi antiquiores exiſtimant; quorum teſtimoniis recenſendis ſuperſedebo. Tertullianus de reſurrectione carnis cap. 4. Et de Pudicitia capit. 17. Chryſoſtomus ad Rom. homil. Theodoretus, Theophylactus, Primaſius, Sedulius, Oecumenius, Haymo, Anſelmus.

Tertullian, Chryſoſt. Theodor. Theophyl, Primaſius, Sedulius. Oecumen, Haymo. Anſelmus,

Atque hanc quidem fuiſſe Apoſtoli ſententiam, hac ratione conficitur.

Quod ab iis fit, qui ſecundum ſpiritum incedunt, quatenus ſecundum ſpiritum incedunt, id fit per gratiam ſanctificationis.

At legis impletio Rom. 8. 4. fit ab iis, qui ſecundum ſpiritum incedunt, quatenus ſecundum ſpiritum incedunt.

Ergo impletio legis Rom. 8. 4. fit per gratiam ſanctificationis.

Propoſitio nihil habet, de quo meritò dubitari poſſit; ne Aſſumptio quidem, quod priorem partem prædicati attinet, quod ipſis Apoſtoli verbis exprimatur; poſterior ejus pars ita confirmatur.

Si impletio legis negetur de iis, qui ſecundùm carnem incedunt, quatenus ſecundùm carnem incedunt, tum affirmetur de iis, qui ſecundum ſpiritum incedunt, quatenus ſecundum ſpiritum incedunt. Nam quo ſenſu de illis negatur, eodem de his affirmatur.

At impletio legis negatur de iis, qui ſecundùm carnem incedunt, quatenus ſecundùm carnem incedunt.

Ergo impletio legis affirmatur de iis, qui ſecundùm ſpiritum incedunt, quatenus ſecundum ſpiritum incedunt.

Secundum argumentum ſumitur è Rom. 10. 4 *Finis legis eſt Chriſtus ad juſtitiam cuivis credenti.* E quib. verbis ita diſputatur:

Rom 10. 4,

Quæ obedientia eſt nobis finis legis ad juſtitiam, ea eſt noſtra formalis juſtitia.

Chriſti obedientia eſt nobis finis legis ad juſtitiam.

Ergo Chriſti obedientia eſt noſtra formalis juſtitia.

In hac diſputatione duo ſumuntur pro conceſſis; quorum alterum eſt, Apoſtolum voce (Chriſtus) obedientiam Chriſti ſignificare. Nihil enim à Deo per Chriſtum conſequimur, niſi per & propter ipſius obedientiam. Alterum eſt Juſtitiam in ſubjecto propoſitionis majoris, & in prædicato minoris eam, quæ ad juſtificationem flagitatur, juſtitiam denotare. Quod quidem perſpicuum eſt: quoniam juſtitia, quam Judæi verſ. 3. conſtituere ſtudebant, ejuſmodi erat, ut per eam juſtificari ſe poſſe confiderant. Hanc autem, de quâ v. 4. agitur, ejuſdem eſſe generis, eodem officio fungi neceſſe eſt: quoniam Apoſtolus eâ Judæorum juſtitiâ repudiatâ, hanc in ejus locum ſufficit, cui illos ſubjici debuiſſe contendit.

10. Jam qui hoc argumentum in hac causâ adhibent, Obedientiâ Chriſti ipſam ejus obedientiam ſignificari volunt, non illius meritum, ut ſæpe monui. His ita poſitis, ut dilucidior fiat reſponſio mea, ſciendum eſt, *Finem alicujus rei* (ut ait Thomas in 2. diſt. 1. qu. 1. art. 3. c.) *dici dupliciter*; *in quem tradit res, vel naturaliter, vel ex ordinatione agentis.* Vide Paræum ad hunc locum. (Paræus.)

Si priori ſignificatione ſumatur finis, propoſitio ita habet.

Quæ obedientia eſt ea res nobis, ad quam lex ſuâ naturâ & ex ſe tendit, ea eſt noſtra formalis juſtitia.

Hanc propoſitionem veram eſſe concedo. E quâ aſſumendum eſt:

Ipſa Chriſti obedientia eſt ea res nobis, ad quam lex ſuâ naturâ & ex ſe tendit.

11. Iſtam Aſſumptionem nec Apoſtoli, nec veram eſſe affirmo. Non eſſe Apoſtoli oſtendo, quoniam nulla eſt apud

ipſum

ipsum in illo capite syllaba aut litera, quæ agi illic de ipsâ Christi obedientiâ aut probet, aut significet.

Finem verò legis non significare illam rem, ad quam lex suâ naturâ, & ex se tendit, hac ratione confirmo.

Finis legis, ad quem lex naturâ suâ tendit, est sua cujusq; justitia.

Apostolus non loquitur de suâ cujusque justitiâ. Eam enim Judæi constituere studebant. vers. 3. Apostolus repudiavit & sustulit.

Ergo Apostolus non loquitur de illo legis fine, ad quem suâ naturâ tendit.

12\. Eandem Assumptionem etiam falsam esse, hoc argumento probatur, quoniam ipsa Christi obedientia non potest esse illa res nobis, ad quam lex suâ naturâ tendit, quùm ea sit sua cujusque obedientia, ab habitu interiori proficiscens, ex intellectus judicio practico, & imperio voluntatis singulorum manans. Christi autem obedientia ex ipsius habitu interiori, intellectu & voluntate oritur.

13\. Sin autem finis voce, ea res, ad quam ex Dei ordinatione tendit, significetur, dico Assumptionem & veram esse & Apostoli: Meritum sc. obedientiæ Christi esse illum finem, ad quem lex ex Dei ordinatione tendit, ut per eam justitiam comparemus. Jam hoc sensu Assumptionem esse veram ita constat; quia justitia, per quam justificamur, est Remissio peccatorum, quam obedientiæ Christi merito adipiscimur, ut suo loco ostendi. Finem autem legis esse Christum, ea ratione, quam significavi, idque ex Dei ordinatione declarat Apostolus Gal. 3, 24. *Lex Pædagogus noster fuit in Christum respiciens, ut fide justificaremur.* Quo verò modo lex ad Christum tendat, versibus duobus præcedentibus explicaverat. *Conclusit illa Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Antequam autem venisset fides, sub legis præsidio tenebamur, conclusi in eam fidem, quæ erat retegenda.* (Gal. 3, 24.)

14. Atque Apostoli esse illam Assumptionem, sic liquet: quia Christum non esse finem illum, ad quem lex suâ naturâ tendit, ex Apostolo jam antea confirmavi. In quam sententiam

Paræus. Paræus: *Christus est finis legis, ut scopus, ad quem ex accidenti. Nam per se quidem lex peccatores non relegat ad Christum, quem nescit, vel certè tacet, sed ad Satanam, & ad maledictionem. Ex accidenti tamen ad Christum nos dirigit, quatenus justificatio, quam promittit, non est neq; habetur, nisi in Christo. Et hoc sensu lex dicitur Pædagogus ad Christum.* ad Rom. 10. 4. part. 2.

Theodor. Accedit eodem quod plurimi ex antiquis & recentioribus Theologis in eadem fuisse sententiâ reperiantur. Sic enim Theodoretus: *Lex nos ad Dominum Christum deduxit. Qui itaq; credit Domino Christo, is scopum Legis adimplet.* ad Roman. 10. 4.

Primasius, Sic Primasius: *Qui in Christum credit, ipse perficit legem, quia ad ipsum tendere & festinare debet omnis nostra intentio.* ad Rom. 10. 4.

Augustinus. Eadem est Augustini sententia tract. in Joan. 51. *Finis legis Christus, ait Apostolus, ad justitiam omni credenti: Finis perficiens, non interficiens: Finis quousq; eamus, non ubi pereamus. Sic omnino intelligendum est Pascha nostrum, Immolatus est Christus.* 2. Cor. 5. *Ipse est finis noster; in illum est transitus noster.* Et

Contra adversarium Legis & Prophetarum lib. 2. cap. 7. *Finis dicitur propter quem fiunt omnia, quocunq; aliquo fiunt officio. Quia itaq; illa omnia propter Christum fiebant, quem filij Israël in eis, quæ faciebant non intelligebant. hoc significabat velamen, quod eos usq; in finem non sinebat intendere, id est, usq; ad faciem Mosis, quæ significabat Christum.*

Anselmus. Eadem Anselmi: *Finis dicitur ipse Christus, quia quicquid agimus, ad illum referimus; & quum ad eum pervenerimus, non habebimus ultra quod quæramus, sed ibi permanebimus. In eum namq; dirigitur nostra intentio.* ad Rom. 10. 4.

Ferus, E recentioribus ita Ferus ad Rom. 10. 4. *Finis legis Christus*

stus; tum quod ad ipsum dirigit, tum quod non impletur, nisi per Christum accepto spiritu.

Sic Illyricus: *Unicum primariumque scopum totius legis ait esse Jesum Christum fide apprehensum, &c. Nam reverà hîc tandem primarius legis moralis usus est, & in hunc finem est illa à Deo potissimum instaurata, ut monstrato ingenti morbo, nos compelleret ad quaerendum medicum*; ut Gal. 3.

Illyricus,

Quicum sentit Musculus, etsi aliam etiam interpretationem proponat. *Finis legis est Christus, quod Lex ad Christum ducit. Dum enim peccatum revelat, arguit, ac damnat, justitiamque exigit, quam non praestat, nihil aliud agit, quam quod ad Christum ducat.*

Musculus,

In eadem sententiâ sunt Scultetus & Bockstadius in Idaeâ conc. ad Rom. 10. *Lex deducit ad Christum, 1. Requirendo perfectam obedientiam, id est, monstrando ἀδυναμίαν. 2. Comminatione poenarum. 3. Ceremoniis & figuris. 4. Vaticiniis, & quae his adjecta erant exhortationibus ad credendum Christo.*

Scultetus, Bochstadius,

Quibus assentitur Fayus ad Rom. 10. 4. *Christus est scopus Legis. Nam Lex est data, ut esset paedagogus ad Christum, quem demonstrabat, ut medicum morbis omnibus medentem.*

Fayus.

15. 1. Cor. 1. 30

Tertium argumentum sic instituitur è 1. Corinth. 1. 30.

Cujus obedientia fit nobis à Deo justitia, ejus obedientia est nostra formalis justitia.

Christi obedientia fit nobis à Deo justitia.

Ergo Christi obedientia est nostra formalis justitia.

Quae in alio argumento monui, ea necesse habeo repetere. 1. voce (Christus) obedientiam ab Apostolo significari. Quod si rectè intelligatur, hujus Syllogismi Assumptio Apostoli esse concedo. 2. Obedientiae vocabulo ipsam Christi obedientiam, non ejus meritum denotari ab iis, qui ista disputant. 3. Verbo (Fieri) communicationem justitiae intelligi.

16.

Istis ad hunc modum explicatis, concedo propositionem, nimirum eam obedientiã, quae nobis à Deo communicatur,

esse

esse nostram formalem justitiam. Quum per se, & naturâ suâ sit formalis justitia, nihil est in ejus communicandæ actu, quod ipsius naturam tollat aut immutet.

17. Cæterum si illa sit obedientia, nego Assumptionem: quoniam nihil adferri potest ex Apostolo, quo eam significari ab illo probetur. At id probandum est iis, qui hoc argumento nituntur. Quid quod illam obedientiam non significari ab Apostolo, sed meritum obedientiæ, possit ex ipsius disputatione confirmari, hoc modo?

Quo sensu obedientia Christi sumitur ab Apostolo, quum dicit eam factam esse nobis à Deo sapientiam, sanctificationem, redemptionem, eo sensu ab illo sumitur, quum dicit factam esse nobis à Deo justitiam.

At obedientia Christi, quum Apostolus dicit eam factam esse nobis à Deo sapientiam, sanctificationem, redemptionem, sumitur ab illo pro merito ejus obedientiæ, non pro ipsâ obedientiâ.

Ergo obedientia Christi; quum Apostolus dicit eam factam esse nobis à Deo justitiam, sumitur ab illo pro merito ejus obedientiæ, non pro ipsâ obedientiâ.

De Propositionis veritate nihil est cur dubitemus: quum Apostolus eodem planè modo de omnibus & singulis loquatur; nempe, Omnia & singula sine ullâ discrepantiâ Christi obedientiæ tribuat. Christus, inquit, factus est nobis à Deo sapientia; factus est justitia; factus est sanctificatio; factus est redemptio.

18. Assumptionem hac ratione confirmo. Nam sapientia, sanctificatio, redemptio nostra ubique in scripturis, Christo, ut causæ ipsorum efficienti tribuuntur; vel per modum meriti solummodo, ut Redemptio; vel etiam per modum efficientiæ physicæ, ut sanctificatio nostra. *Actiones Christi* (ait Thomas part. 3. q. 8. art. 1. ad 1.) *ex virtute divinitatis fuerunt nobis salutiferæ, utpote gratiam in nobis causantes, & per meritum,*

Thomas

&

& per efficientiam quandam. Et illum ſequutus Suarez in 3. tomo 1. q, 13. diſp. 32, Sect. 3. ¶ Nihilominus. *Dicendum eſt Chriſtum hominum per actiones ſuæ humanitatis, non ſolum morali modo, ſed etiam reali & phyſico juſtificâſſe animas conferendo gratiam & ſimilia.* De redemptione loquitur Apoſtolus Rom. 3, 24. 25. *Per redemptionem factam in Jeſu Chriſto, quem propoſuit Deus placamentum per fidem in ſanguinem ipſius.* 1. Corinth. 6. 20. *Empti eſtis pretio.* 1. Pet. 1. 19. 20. *Redemptos pretioſo ſanguine, utpote agni inculpati & incontaminati, nempe Chriſti.* De ſanctificatione dicuntur iſta, Joan. 1. 17. *Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum præſtita eſt.* Epheſ. 5. 25. 26. *Chriſtus ſemetipſum expoſuit pro ea, ut eam ſanctificaret, poſtquam eam purgaſſet lavacro aquæ per verbum.* Joan. 1. 16. *Ex plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ.*

Suarez. — Rom: 3, 24, 25. — 1. Cor, 6, 20 — 2. Pet. 1. 19, 20. — Ioan, 1, 17. — Eph. 5, 26, 26, — Ioan, 1, 16,

Deinde illud quoque cogitandum eſt, Ipſam Chriſti obedientiam redemptionem noſtram eſſe non poſſe; quum earum altera natura prorſus diſcrepare ab alterâ deprehendatur. Quid enim eſt redemptio noſtra, niſi liberatio a peccato, & omnibus, quæ illud conſequantur incommodis? Obedientia verò Chriſti eſt ipſius conformitas legi æternæ. Idem eſt de ſapientiâ & ſanctificatione judicium, de quibus eodem modo philoſophari licet.

Accedit eodem Theologorum conſenſus, qui efficientem ſapientiæ, juſtitiæ, ſanctificationis, & redemptionis cauſam hoc loco ſignificari arbitrantur.

19.

Unde Chryſoſtomus ad 1. Cor. 1. 30. homil. 5. *Quamobrem non* (inquit) *ſapientes nos fecit, ſed factus eſt nobis ſapientia? Ut ſcil. muneris libertatem ſignificaret: ac ſi dicat, ſeipſum nobis exhibuit. Et animadverte, quomodo ordine procedit. Primùm enim nos ſapientes fecit, quum ſuſtulit errorem, & tum demum juſtos & ſanctos reddidit, ſpiritum nobis elargitus, & ſic omnibus nos malis liberavit.*

Chryſoſt.

Eum, ut ſemper, ſequutus eſt Theophylactus. *Qui factus*

Theophyl.

ctus est, &c. Hoc est, sapientes nos, & justos, & sanctos, & liberos fecit. Et paulò pôst; *Primùm sapientes fecit, liberans ab errore, deniq; cognitionem docens; deinde justos peccatorum dimissioue datâ, post sanctificavit per spiritum paracletum.* ad 1. Cor. 1. 30.

Theodor. Eodem modo Theodoretus ad 1. Corinth. 1. 30. *Ipse vobis veram dedit sapientiam, ipse vobis dedit remissionem peccatorum & justitiâ dignatus est, & sanctos effecit à Diaboli tyrannide liberatos.*

Hieronym. Et autor commentar. apud Hieronymum ad 1. Corint. 1. 30. *Nobis factus est, sibi semper fuit; ut scil. nos faceret sapientes, & justos, & sanctos.*

Primasius, Quæ postrema verba è Primasio descripta sunt ad 1. Corinth. 1. 30. *Ut nos faceret sapientes & justos & sanctos.*

Oecumen, Oecumenius ad huuc modum, ad 1. Corinth. 1. 30. *Factus est, &c. id est, qui nos sapientes, justos, sanctos ab iis, quæ iisdem ipsis contraria sunt, redemptos fecit.*

Haymo. Haymo magis, si fieri possit, perspicuè ad hunc locum: *Factus est, ut nobis esset sapientia, & nos faceret sapientes. Simili modo factus est nobis & justitia, quia nos justificat, & sanctificatio, quia nos sanctos facit; & redemptio, quoniam sanguine suo nos redemit.*

Bernardus, *Sapientia in prædicatione, justitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conversatione, quam habuit cum peccatoribus.* Bernardus serm. 22. in Cantic.

Sedulius, Sedulius in eandem sententiam: *Qui sibi semper sapientia fuit, nobis factus est sapientia, ut nos faceret sapientes, & justos, & sanctos.* Nimirum Primasium, & commentar. apud Hieronymum sequutus est.

Calvinus. Idem est Calvini judicium, in confess. fidei nomine Eccles. Gall. ¶ Ac primum. opusc. part. 1. quum dicit, *Nostram fidem inniti in solidum peccatorum remissioni, quam ipse nobis non ad momentum aliquod duntaxat, sed perpetuâ vitâ acquisivit, ut eâ ratione appelletur Christus nostra Justitia.* 1. Corinth. 1. 30.

CAP. XX.

In quo Argumentum quoddam præcipuum de justificationis causâ formali per justitiam imputatam expenditur.

VNicum argumentum superest, quo Christi obedientiam esse illam justitiam, quæ ad justificationem peccatoris, tanquam ejus causa formalis, flagitetur, è scripturis demonstrari posse existimatur. Sic autem proponendum est.

Justitia, de quâ Apostolus Rom. 1. 17, & 3. 21. 22. & 9. 30. 31, & 10. 3, 2. Corinth. 5. 21. est formale in justificatione.

Rom. 1. 17, & 3, 21, 22, & 9, 30, 31, & 10, 3. 2, Cor, 5, 21.

Christi obedientia est justitia de quâ Apostolus, Rom. 1. 27. & 3, 21.

Ergo Christi obedientia est formale in justificatione.

2\. Obedientia Christi (dicendum est enim sæpius) ipsam obedientiam significare intelligitur. Quo explicato respondeo ad Syllogismum. Ac de majori quidem, nihil est, quod dubitationem habeat, quoniam quæ ex epistolâ ad Roman. afferuntur, iis singulis formale in justificatione significari perspicuum est; ut ex illis liquet, quæ cap. 17. sect. 2. num. 1. disputavi, in responsione ad argumentum è Roman. 10. 4. Quartus autem locus è 2. ad Corinth. 5. 21. eandem justitiam comprehendit, utpote quam finem sive Effectum oblationis Christi Apostolus esse dicat; *Fecit eum peccatum, ut nos efficeremur justitiâ Dei*; & justitiam, quæ ad justificationem peccatoris postuletur.

3. Assumptionem vero quod attinet, dico illam ab Apostolo nec disertis verbis proponi, nec significari. Si quicquam apud eum reperiri possit, quo illam justitiam esse ipsam Christi obedientiam demõstretur, illud certe est, quod Justitiam Dei vocet. Sic igitur differendum videtur.

Justitia Dei est justitia de quâ Apostolus Rom. 1. 17, &c.
Christi obedientia est justitia Dei.
Ergo Christi obedientia est justitia, de quâ Apostolus Rom. 17, &c.

Justitia Dei in scripturis multa significat: 1. Eam justitiam quâ Deus ipse justus denominatur. Psal. 31. 2. *Justitiâ tuâ libera me.* & 36. 7. *Justitia tua instar montium maximorum.* & v. 11. *Protende justitiam tuam erga rectos animo.* 2. Eam quam Deus præcipit Matth. 6. 23. *Quærite primò regnum Dei & justitiam ejus.* Jacob 1. 20. *Ira viri justitiam non exequitur.* 3. Ipsius Christi justitiam, 2. Pet. 1. 1. *Æquè pretiosam fidem nobiscum sortiti sunt, per justitiam Dei nostri, & Servatoris nostri Jesu Christi.* 4. Eam, quâ homo ex injusto justus fit.

(Psal. 31, 2, & 36, 7. & v. 11. Matth. 6, 33. Iacob. 1, 20. 2. Pet. 1, 1.)

4. Si justitia Dei in subjecto propositionis ea omnia significet, quæ illis vocibus dixi contineri, apertè falsa est: Nam Apostolus de illâ solâ justitiâ loquitur, quâ peccator justus fiat. Si de quadam tantum justitiâ intelligatur, vitiosus est Syllogismus; quoniam (ut rectè Aristoteles Analyt. prior. lib. 1. cap. 24.) *In omnibus Syllogismis oportet esse aliquem terminum universalem.* In quam sententiam Conimbricenses ad ejusdem lib. 1. cap. 7. dicunt, *Medium terminum in alterâ saltem præmissarum completè distribuendum esse: hoc est, accipiendum fore pro omni re, pro quâ accipi potest: alioqui si in antecedente sumatur pro unâ tantum parte, cum quâ conjunctum sit majus extremum (quum Minus extremum alteri tantum parti annecti possit) ineptè in consequenti unum extremum alteri tribuetur.* Præterea, *in primâ figurâ* (ut iidem Conimbri ibidem) *ex majori sumptione particulari, nihil vi formæ colligitur.* Ista Ramus magis dilucidè &

(Aristoteles. Conimbri.)

succinctè tradit Dial. lib. 2. cap. 11. ad hunc modum, *In Syllogismo explicato propositio est generalis aut propria.* Quod autem propriam esse posse dicit Ramus, in illo Aristoteli non repugnat. Nam in propositione propriâ prædicatum, sive pars consequens toti antecedenti attribuitur. & eâ causâ secundum Aristotelem universalis est Enunciatio. Sic enim Aristoteles Analyt. prior. lib. 1. cap. 1. *Universale appello Omni aut Nulli inesse.* Quid autem sit *Omni inesse,* paulò pòst ipse declarat. *Dicimus* (inquit) *Omni attribui, quando nihil subjecti accipere licet, de quo alterum non dicatur.* Et pòst: *In toto altero alterum esse; & Alterum alteri omni attribui idem est.*

Ramus.

5. In Assumptionis prædicato, si justitia Dei sumatur pro omni Dei justitiâ, respondeo eam esse falsam. Nam Christi obedientia non est ejusmodi justitia, sed una solummodò ejus species, nempe conformitas ipsius legi æternæ. Sin autem de quadam tantum justitiâ intelligatur, absurdè concluserit quispiam, quum ea conclusio ex præmissis oriatur.

Secundo loco respondeo ad Assumptionem principalis syllogismi, Justitiam Dei in illis Apostoli locis satis commodè rectè de peccatorum remissione posse exponi. Etenim satis constat agi in illis omnibus de formali in justificatione, quod remissione peccatorum docui contineri, part. 1. lib. 2. cap. 7. Justitia verò Dei peccatorum remissio appellari potest, quia est justitia Deo probata. Atque ita quidem Calvinus Institut. lib. 3. c. 11. n. 9. justitiam Dei interpretatur. *Justitiam Dei* (inquit) *accipi pro eâ, quæ Deo probatur, notum esse debuerat elementariis, sicut apud Johannem gloria Dei confertur hominum gloriâ.* Et ad 2. Corinth. 5. 21. *Justitia Dei capitur pro eâ, quæ sit Deo probata.*

Calvinus.

6. Patres quidem & antiquiores Theologi justitiam Dei ita ferè sunt interpretati, ut eam dicant esse Dei justitiam, cujus Deus autor est, quamque hominibus largitur, ut eos justos faciat. Sic enim Augustinus de Civ. Dei lib. 17. c. 4. *Igno-*

Augustinus

rantes Dei justitiam, quam dat hominibus Deus. Et contra duas epistolas Pelagianorum lib. 3. c. 7. *Non propterea Dei justitia dicitur, quia Deus justus est, sed quoniam homini ex Deo est.* Et de spiritu & litera cap. 10. *Ideo justitia Dei dicitur, quod impertiendo eam justos facit.* Et in Joan. tract. 20. *Justitia Dei hic dicitur, quam dat homini Deus, ut justus sit homo per Deum.*

Chrysost.

Chrysostomus etiam ad Rom. 1. 17. homil. 2. *Justitiam Dei, abundantiam ipsius ac facilitatem indicans. Non enim ex sudoribus & laboribus eam assequeris, sed à superno dono accipis.*

Grpgorius.

Eam Gregorius Moral. l. 24. c. 7. dicit esse, *Dei ex munere.*

Theodulus,

Et Theodulus ad Rom. 3, 21. Ex Deo esse; *A Deo traditam.*

Haymo.

Haymo clarius; *Idcircò justitia Dei dicitur, quia eam impartiendo fidelibus justos reddit,* ad Rom. 1. 17. & 3. 21.

Quod verò in Assumptione ponebatur, Justitiam Dei in illis locis ipsam Christi obedientiam significare, id secus esse hac ratione ostendo.

2, Cor. 5, 21, Rom, 1, 17, & 3, 21, 22, & 10, 3,

Justitia Dei 2. Cor. 5. 21. est justitia Dei, de quâ Apostolus Rom. 1. 17. & 3. 21. 22. & 10. 3,

Ipsa Christi obedientia non est justitia Dei. 2. Cor. 5. 21.

Ergo ipsa Christi obedientia non est justitia Dei de quâ Apostolus Rom. 1. 17. & 3. 21. 22. &

Propositionis veritas manifesta est: Assumptionem ita probo:

Justitia Dei 2. Cor. 5. 21. est finis sive effectum ex eo, quod Christus peccatum pro nobis factus sit. Sic enim Apostolus disertis verbis. *Fecit eum peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei,*

Ipsa Christi obedientia non est finis sive effectum, ex eo quod Christus peccatum pro nobis factus sit. Hoc enim ipsum, quod Christus peccatum pro nobis factum sit, ipsam Christi obedientiam significat, vel eam supponit, & quasi importat.

Ergo ipsa Christi obedientia non est justitia Dei, 1. C. 5, 21.

CAP.

CAPUT XXI.

De Teſtimoniis è Patribus & antiquis Theologis.

1. EX illis, quæ ſunt à me hactenus diſputata, perſpicuum eſſe arbitror, nihil in ſcripturis reperiri poſſe, ex quò certò & neceſſariò concludi queat, Ipſam Domini ac Servatoris noſtri obedientiam, quâ legem implevit, peccatori ad ipſius formalem juſtitiam eſſe imputandum, ut per eam jus habeat vitæ æternæ conſequendæ ex fœdere *Hoc fac & vives.* Supereſt ut ea, quæ in hanc ſententiam è patrum ſcriptis adferuntur, paucis examinemus. Ac primo loco de iis dicam, quæ maximè perſpicua & firma videri poſſint, ut in alis enucleandis brevior ſim.

2. Athanaſius. Sic igitur Athanaſius: Adverſus eos, qui negant Servatorem noſtrum ex naturâ noſtrâ ſumpſiſſe primitias tom. 2. p. 270. Com. *Neceſſarium eſt impletionem legis à primitiis factam toti maſſæ adſcribere.*

Ambroſius. Autor commentar. apud Ambroſ. ad Gal. 3.21. *Juſtitiam hanc dicit, quæ apud Deum imputatur juſtitia*; *i. e. fidei*; *quia & lex habuit juſtitiam, ſed ad præſens, non quæ juſtificaret apud Deum. Remittere enim peccata non potuit, ut de peccatoribus faceret juſtos.*

Bernardus. Bernardus autem clariſſimè Serm. ad milites templi cap. 11. *Mors in Chriſti morte fugatur, & Chriſti nobis juſtitia imputatur.*

Reſponſio. Jam his locis, & alis, ſi qui ſint his ſimiles, reſpondeo primum omnibus, Nihil in illis contineri, cur Imputationem, cujus meminerunt, ad formalem juſtificationis cauſam, & non potius ad meritoriam putemus pertinere.

Nul-

Nulla enim est in patrum scriptis causæ formalis justificationis mentio; multa verò apud ipsos reperies, & luculenta quidem testimonia, de redemptione & justificatione per Christi merita. Quæ ad formam justificationis judicari possunt pertinere, vel remissione peccatorum, vel justitiâ, quam dicunt inhærente (nam patres in justificatione etiam sanctificationem includunt) continentur; ut Theologi nostri fatentur. Bucerus præfat. in epistolas verbo Justificare, & in Colloquio Ratisbon. 1546. pag. 193. Zanchius ad Ephes. 2. loco de justif. Sadeel contra Monach. Burdegalenses ad art. 44. 45. Bucanus Instit. loc. 31. de justif. q. 1.

Bucerus. Zanchius. Sadeel, Bucanus,

AdAthan:

Athanasij testimonium quod attinet, nego Imputatione illâ impletionis legis id significare omnes peccatores in Christum credentes, in & cum Christo legem implevisse, ita ut ex eâ impletâ formaliter justi esse, & jus vitæ æternæ adipiscendæ acquisivisse intelligantur, ex fœdere Hoc fac & vives. Verum illud est, quod dicit Athanas: Credentes in Christũ per obedientiã ipsius, qui legem pro ipsis implevit, tanquam per causam meritoriam justificatos fuisse; quemadmodum per primitiarum oblationem tota massa sanctificabatur. Tota verò massa non formaliter in primitiis offerebatur, aut sanctificabatur, verùm ut ita dicam, virtualiter; quia propter illam primitiarum oblationem non minus munda esse, quam si ipsa oblata fuisset intelligebatur. Ac Athanasii quidem hanc fuisse sententiam, quæ apud ipsum sequuntur, ostendunt. *Si solus Deus* (inquit) *legem implevit, nulla alia natura tam illustris facti est particeps. At si suscepta ex sanguine nostro caro in eo qui legem implevit, agnoscatur, manifesta est generis nostri gloriatio, quod eâ de causâ securè mortis stimulum possit conculcare; quippe cui nihil in eam naturam juris sit, à cujus primitiis Christo jam olim fuit contrita & fracta.* Eo igitur modo legis impletionem à primitiis præstitam ad totam massam pertinere dicit Atha-

nasius, quod omnes in Christum credentes, contritæ mortis, & superatæ beneficio fruantur.

5. adAmbros:

Ut de autore illorum commentariorum nihil dicam, quem non fuisse Ambrosium Mediolanensem perspicuum est; dico nihil complecti, illud testimonium, quod imputationem, quâ de agimus, confirmet. De illâ enim justitiâ loquitur, quæ nos de peccatoribus justos faciat per remissionem peccatorum. At verò, quæ nobis imputari dicitur Christi obedientia, non ad veniam delictorum adipiscendam, sed ad jus vitæ æternæ acquirendæ consequendum comparatur. Deinde non id dicit autor, justitiam hanc à Deo imputari, sed illam reputari vel haberi pro justitiâ. Hoc enim est Imputari justitia apud Deum.

6. Ad Bernar,

Quod è Bernardo adfertur plus videtur habere momenti, & magis accuratâ explicatione indigere. Respondeo igitur Bernardum non de formali causâ justificationis, sed de illius causâ meritoriâ loqui. Quod autem dico, verum esse liquet, quoniam Bernardus ipse ad hoc confirmandum, quod affirmat, Apostoli testimonium adhibet, Rom. 5. 19. quod de causâ meritoriâ intelligi posse ac deberi, jam antea ostendi part. 2. lib. 1. c. 7. Quo etiam spectant illa Bernardi in eodem sermone: *Quid? Unus peccavit, & omnes tenentur rei? Et unius innocentia soli reputabitur uni? Unius peccatum omnibus operatum est mortem; & unius justitia uni vitam restituit? Itàne Dei justitia magis ad condemnandum, quam ad restaurandum valeat? Aut plus potuit Adam in malo, quàm Christus in bono? Adæ peccatum imputabitur mihi, & Christi justitia non pertinebit ad me? Illius me inobedientia perdidit, & hujus obedientia non proderit mihi?* An ista Bernardi verba parùm perspicua sunt? Quis non videt hæc omnia de meritoriâ causâ, non de formali disputari?

Rom: 5, 19,

7.

Ne illa quidem, quæ sequuntur apud Bernardum, de formali justitiâ sunt explicanda. *Sed Adæ, inquis, delictum meri-*

rito omnes contrahimus, in quo quippe omnes peccavimus: quoniam quum peccavit in ipso eramus, & ex ejus carne per carnis concupiscentiam geniti sumus. Atqui ex Deo multo germanius secundum spiritum nascimur, quàm secundum carnem ex Adam: secundum quem etiam spiritum longè ante fuimus in Christo, quàm secundùm carnem in Adam, Qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Ephes. 1. Quid verò impedit, quo minus ista Bernardi de Merito obedientiæ Christi intelligantur, cujus participes esse non possumus, nisi quatenus membra sumus corporis illius, & eâ ratione unum cum illo ?ut pluribus ostendi part. 1. cap. 16. n. 8. 9. Quare si ad condemnationem nostram satis valuit, quod unum fuerimus cum Adamo, qui peccavit, quidni & ad salutem nobis valeat comparandam quod per fidem cum Christo conjungamur tanquam membra cum capite?

8. Sin autem reperiatur quispiam, qui illud urgeat, necesse esse ut legem in Christo præstitisse existimemur, quoniam unum cum illo sumus; quemadmodum in Adamo peccavisse judicamur, quia unum sumus cum illo; respondeo neq; Apostolum Rom. 5. 19. è quo ista disserere videtur Bernardus, comparationem ejusmodi Adami cum Christo instituere, ut suo loco ostendi, nec omninò institui posse. Nam etsi utrunque verè dici possit. Nos unum fuisse cum Adamo, & Credentes unum esse cum Christo; tamen alio atque alio modo hæc vera esse intelliguntur. Unum fuimus cum Adamo, & in illo naturaliter, originaliter, & (liceat enim his verbis uti) seminaliter, ut arbor, ejusque omnes rami in glande, aut alio quovis semine inesse dicuntur. Hac ratione fit, ut non minus verè in Adamo peccâsse deprehendamur, quàm *Levi apud Apostolum*, Hebr. 7. 9. *decimatus esse in Abrahamo* affirmatur. Jam verò longè alio modo in Christo esse censemur, non naturâ, aut propriè, sed impropriè, & per similitudinem quandam, ut cap. 7. n. 2. & seq. fusiùs indicavi. Præterea semper ex quo creatus est Adamus, unum cum illo & in illo fuisse

Hebr. 7. 9.

ſe deprehendimur, ut cum illo etiam quodam modo peccare potuerimus. Quod de noſtrâ cum Chriſto conjunctione, ſive unione affirmari non poteſt. Uniri enim nos Chriſto, & cum illo conjungi oportet, priusquam unum eſſe cũ illo poſſimus exiſtimari. Hoc autem tum demum fieri intelligimus, quũ fide in illum recumbimus. Quare tum primum in Chriſto eſſe incipimus, quum in illum credimus. Accedit eodem, quod fides noſtra eâ ſolùm ratione Chriſto nitatur, quâ nos jam redemiſſe, ac munus Mediatoris obiviſſe intelligitur: non ut in illo, quum nos redimeret, fuiſſe judicemur, ne ipſi nos aliquo ſaltem modo redemiſſe ſentiamur.

Poſtremò, qui unionem hanc noſtram cum Chriſto tàm vehementer urgent, eos majorem in modum oratos velim, ut ſeriò cogitent, quid ex eâ incommodi conſequatur. Sic enim differere licet. Qui in & cum Chriſto pœnas peccatis ſuis debitas perſolverunt, iis nullus veniæ locus eſt relictus. Nam pœna & venia adverſa ſunt. Quare qui pœnas dedit, veniam non eſt conſecutus; qui veniam adeptus eſt, pœnas non dedit, niſi partim pœnas perſolviſſe, partim veniam conſecutum eſſe dixeris.

Cap. 11, n. 12

Multa in hanc ſententiam egregiè Polanus ad Dan. 9 24. q. 8. *Neutiquam propriè loquendo ſumus puniti in Chriſto, quum ſcriptura diſertè doceat, nos eſſe juſtificatos in Chriſto. Quod ſi ſumus in Chriſto juſtificati & abſoluti, non igitur damnati & puniti.* Epheſ. 1. 6. ait Paulus de Deo: *Nos gratis ſibi acceptos fecit in illo dilecto. Nos ergo Deus non punivit, ſed omnem noſtram pœnam Chriſto impoſuit, ſicut dicit Eſai. 51. 6. Jehova facit, ut incurrat in eum iniquitas omnium noſtrûm. Chriſtus torcular calcavit ſolus, nos non calcavimus. Neq; verò idem eſt, Nos eſſe punitos in Chriſto, & Chriſtum eſſe punitum pro nobis, ſeu loco noſtro. Nam ſi Chriſtus eſt punitus loco noſtro, ſequitur nos non eſſe punitos, ſed pœnam nobis eſſe remiſſam. Et quid quæſo eſt aliud Remiſſio peccatorum, quàm condonatio & culpæ & pœnæ? Quomodo igitur hæc conſentient, Deum*

9. Polanus.

Epheſ. 1, 6.

Eſai. 51, 6.

nobis remisisse peccata, & tamen punivisse nos propter eadem? Proinde sic ex scripturâ statuendum, Deum Christo pœnam peccatorum nostrorum imposuisse, ut nobis illam remitteret: Proprio filio suo non pepercisse, ut nobis parceret.

10. Cæterùm de meritoriâ caùsâ disseruisse Bernardum, non de formali, perspicuum fiet, si de quâ justitiâ loquatur, cogitemus. Ea verò quæ fuerit, ipse declarat. Nam quum imputari nobis Christi justitiam dixisset, hæc adjunxit. *Verum quomodo mori potuit, qui Deus erat? Quoniam nimirùm & homo erat. Sed quo pacto mors hominis illius pro altero valuit? Quia & justus erat. Profectò namq; quum esset homo, potuit mori: quum justus, non debuit gratis.* Quæ Bernardi verba si cum illis conferamus, quibus hæc Christi justitia sæpe & copiosè ab Augustino explicatur, quæ fuerit Bernardi sententia, facilius intelligemus. Faciam igitur, ut quæ in hanc sententiam disputavit Augustinus, ea verbis ipsius proponam. Primum itaque hoc fundamenti loco jecit Augustinus de Trinit. lib. 13. c. 12. *Quâdam justitiâ Dei in potestatem Diaboli traditum esse genus humanum.* Quæ autem illa justitia fuerit, eodem capite exposuit. *Modus iste* (inquit) *quo traditus est homo in Diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit, sed quod tantùm permiserit, justè tamen. Illo enim deserente peccantem, peccati autor illicò invasit.* Hoc fundamento posito, pergit Augustinus cap. 13. ut quo modo liberandus fuerit homo, explicet. *Non potentiâ Dei, sed justitiâ superandus fuit Diabolus. Nam quid omnipotente potentius? Aut cujus creaturæ potestas potestati creatoris comparari potest? Sed quum Diabolus vitio perversitatis suæ factus sit amator potentiæ, & desertor oppugnatorq; justitiæ, placuit Deo, ut propter eruendum hominem è Diaboli potestate, non potentiâ Diabolus, sed justitiâ vinceretur. Non quod potentia quasi mali aliquid fugienda sit, sed ordo servandus est, quo prior est justitia.*

11. Qualis autem hæc justitia sit, cap. 14. declarat. *Quæ est*

ista justitia, quâ victus est Diabolus? Quæ, nisi justitia Jesu Christi? Et quomodo victus est? Quia quum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utiq; justum est, ut debitores, quos tenebat, liberi dimittantur in eum credentes, quem sine ullo debito occidit; hoc est, quod Justificari dicimur in Christi sanguine. Sic quippe in remissionem peccatorum nostrorum innocens ille sanguis effusus est. Paulò pòst de eadem justitiâ in hunc modum loquitur: *Et justitiâ prius, & potentiâ postea Diabolum vicit. Justitiâ scilicet, quia nullum peccatum habuit, & ab illo injustissimè est occisus.* Alia multa in hanc sententiam reperiemus cap. 15. & 16. & de lib. arbitr. lib. 3. cap. 10. Et apud Theodorum Abucarum disput. 15. art. 4. Biblioth. tom. 4. Et apud Anselmum Cantuariensem ad Rom. 5. 19. Et apud Greg. Moral. l. 3. c. 11.

Theodor. Abucarus. Anselmus. Gregorius. 12.

Ex his ita disputatis, de quâ justitiâ loquatur Augustinus, quum *Diabolum à Christi justitiâ victum esse* dicat, satis liquet. Ac Bernardum quidem de eadem justitiâ verba facere, ipsius verba declarant. *Quomodo per Christi justitiam liberati sumus? Quia eos Diabolus meritò tenebat* (ait Augustinus de Trinit. lib. 13. cap. 15.) *quos peccati reos conditione mortis obstrinxit, hos per eum merito dimittere debuit, quem nullius peccati reum immeritò pœnâ mortis affecit. Hac justitiâ victus, & hoc vinculo vinctus est fortis, ut vasa ejus eriperentur.* An non de eâdem justitiâ loqui Bernardus existimandus est, quum dicat *Christum gratis mori non debuisse, quum fuerit justus?* Atqui gratis profectò mortuus fuisset, si à Diabolo interfectus, eum non vicisset. Cæterum Bernardum idem planè sensisse cum Augustino de eâdem justitiâ loquutum esse, quæ nunc adjungam ipsius verba perspicuè & certò indicant. *Qui ex se agere poterat, ut semel amissam justitiam recuperaret homo servus peccati, vinctus Diaboli? Assignata est ei proinde aliena, qui caruit suâ. Et ipsa sic est. Venit princeps hujus mundi, & in Salvatore non invenit quicquam, & quum nihilominus innocenti manus injecit, justissimè quos tenebat, amisit, quando is qui morti nihil debebat, accepta mortis*

Bernardus. Augustinus

injuria, jure illum qui obnoxius erat & mortis debito, & diaboli solvit dominio. Hanc autem justitiam justificationis nostræ caussam esse formalem quis tandem dixerit? Efficientem verò esse per modum meriti, res ipsa loquitur. Nam fructus quidem Christi mortis, quam nullo suo merito oppetiit, nobis communicatur & imputatur, quum propter eam nos à diabolo liberati, & Deo reconciliati sumus. Nihil est igitur in his Bernardi verbis, quo legis impletio per Christum ita nobis imputari sentiatur, ut nos eam præstitisse, & ex eâ præstitâ jus vitæ æternæ acquisivisse judicemur.

13. Augustinus 1. Venio nunc ad alia è Patrum scriptis decerpta testimonia? *Ideò justitia Dei dicitur, quod impertiendo eam justos facit.* Augustinus de spir. & lit. cap. 11.

Deus nos suâ, non nostrâ justitiâ, justos facit, ut ea sit vera nostra justitia, quæ nobis ab illo est. August. de grat. Christi contra Pelag. & Cæleft. lib. 1. cap. 47.

Gregorius, *Justitia nostra dicitur, non quæ ex nostro nostra est, sed quæ divinâ largitate fit nostra.* Gregorius Moral lib. 4. cap. 5.

2. Augustinus *Non dixit Justitia hominis, vel justitia propriæ voluntatis, sed justitia Dei: non quâ Deus justus est, sed quâ induit hominem, quum justificat impium.* Augustinus de spir. & lit. cap. 9.

Indumentum justitiæ fidei, quo induti, non nudi inveniamur. ibid. cap. 18.

Gregorius, *Non immeritò justitia vestimento comparatur, quum per prophetam dicitur, Sacerdotes tui induantur justitiâ.* Gregorius Moral. lib. 14. cap. 16.

3. Bernardus. *Assignata est ei aliena justitia, qui caruit suâ.* Bernardus epistol. 190.

Nunquid cantabo justitias meas? Domine memorabor justitiæ tuæ solius. Nempe factus es mihi tu justitia à Deo. Nunquid mihi verendum, ne non una ambobus sufficiat? Non est pallium breve, quod non possit operire duos. Justitia tua in æternitate. Quid longius

æternitate? Et te pariter & me operiet largiter largâ & æternâ justitiâ. Bernard. in Cant. Serm, 61.

14. Hæc testimonia, ut ad illa breviter & luculenter respondeam, in tres classes distribuenda sentio; Quarum prima quidem illa complectetur, quæ justitiam, quâ de agitur, non nostram esse, sed in nos à Deo collatam, vel nobis donatam significat. Secunda ex iis constabit, quæ justitiam vestimentum, quo induamur, appellet. In tertiâ de iis dicetur, quæ alienam esse justitiam, non propriam dicant.

15. Augustinus. Ad ea quæ prima classe continentur, respondi antea cap. 16. quum locum quendam ex Augustino explicarem; Enchirid. ad Laurent. cap. 41. nimirum non esse nostram justitiam, quia neque à naturâ illam hausimus, nec illam nostro studio aut labore comparavimus; sed à Deo accepimus gratis propter merita Jesu Christi Domini ac Servatoris nostri. Ad hæc illud adjungam, de quo dubitare omninò nõ potest, qui in Theologorum antiquorum libris evolvendis aliquid temporis aut operæ posuerit: Justitiam scil. de quâ Patres (præcipuè Augustinus) loquantur, quamque nobis à Deo donari affirment, esse justitiam in nobis ipsis hærentem; à Deo quidem acceptam, sed ita planè, ut in animis nostris residere intelligatur. Quod & cuivis Patrum scripta legenti perspicuum est, & à nostris Theologis observatum atq; concessum; de quibus dixi n. 3.

16. Atque hæc certè responsio ex iis, quæ secundâ classe comprehenduntur testimoniis, clarissimè liquet, quum justitia vestimento comparetur, & nos illâ indui dicamur. Est enim illa justitia sanctimonia, cum habitualis, tum actualis, sed præcipuâ prior illa, quâ animum exornari dicunt Pontificij, quamque nos in sanctificationis gratiam nuncupamus. Quod è singulis testimoniis perspicuum fiet. Nam quæ tandem est illa justitia, *quâ hominem indui* affirmat

Augu-

Augustinus? Profectò libri ipsius titulus, *De spiritu & literâ*, satis clarè loquitur, esse interiorem nostram justitiam habitualem, quam per spiritum accipimus, & per quam vires acquirimus ad ea quodam modo præstanda, quæ lege præcipiuntur, quum lex ipsa per se sine spiritu propter nostram infirmitatem occidens litera esse deprehendatur, Atque in hanc quidem sententiam res ipsa ab Augustino proponitur cap. 3. *Dicimus humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut accipiat spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio dilectioq́; summi illius atq; incommunicabilis boni, quod Deus est. Doctrina vero illa* (ut cap. 4.) *quâ mandatum accipimus continenter recteq́; vivendi, litera est occidens, nisi adsit vivificans spiritus.* Atque huc (cap. 5.) illud Apostoli accommodat 2. Corinth. 3. *Litera occidit, spiritus autem vivificat,* ut *Apostolum loqui* dicat *de Lege apertè quod malum est prohibente.* Deinde cap. 6. 7. 8. *spiritum nos per Christum accipere ostendit, quo fieri possit, ut sanctè vivamus.* Demum cap. 9. *Ex humanæ præsumptionis sententiâ,* ut ipse loquitur, *affirmat per modum objectionis. Ideo neminem ex lege justificari; quia lex ostendit tantummodo quid faciendum, quidve cavendum sit, ut quod illâ ostenderit voluntas impleat, ac sic homo justificetur, non per legis imperium, sed per liberum arbitrium,* Ad hæc respondet *Justitiam Dei esse, quâ justificari nos oporteat,* Rom. 3. *Non dixit* (inquit Augustinus) *justitia hominis, vel justitia propriæ voluntatis, sed justitia Dei: non quâ Deus justus est, sed quâ induit hominem, quum justificat impium. Hæc testificatur per legem & prophetas. Huic quippe testimonium perhibent lex & prophetæ. Lex quidem hoc ipso, quod jubendo & monendo, & neminem justificando satis indicat dono Dei justificari hominem per adjutorium spiritus.* Ex quibus ad hunc modum ab Augustino disputatis liquidò constat, Justitiam quâ nos justificari dicit Augustinus, esse donum illud justitiæ, quo voluntas nostra ad obtemperandum Deo inclinatur & perducitur. Quod etiam in extremo capite dilucidè affir-

2. Corin. 3.

Rom. 3. Augustinus

nat. *Voluntas* (inquit) *nostra ostenditur infirma per legem, ut sanet gratiâ voluntatem, & voluntas sanata impleat legem.*

Nec aliâ responsione opus est ad ea diluenda, quæ afferuntur è cap. 18. Eam enim justitiam dicit Apostolus, de quâ in principio capitis loquutus fuerat. *Novum Testamentum Apostolus 2. Corinth. 3.* (inquit Augustinus) *ministrationem spiritus, & ministrationem justitiæ dicit, quia per donum spiritus operamur justitiam.*

17. Idem respondeo ad Gregor. Moral. lib. 24. cap. 5. *Justitia nostra dicitur, quæ non ex nostro nostra est, sed quæ divina largitate fit nostra.* De illa scilicet justitia loquitur Gregorius, *quam hominis justitiam fuisse dicit in paradiso; non quam ex semetipso habuit, sed quam conditus ut haberet, accepit; & in quâ lapsus perseverare noluit. Illam ergo justitiam reddet Deus homini, ad quam conditus fuit: ut inhærere Deo libeat, ut minacem ejus sententiam pertimescat, ut serpentis callidi blandis jam promißionibus non credat.* Hæc est justitia, de quâ Gregorius; nimirum quam non per justificationem, sed per sanctificationem adipiscimur.

Gregorius.

18. Alter verò Gregorij locus Moral. lib. 14. cap. 16. Justitiam vestimento comparari apertè indicat justitiam, quâ induimur à Deo, esse interiorem nostram sanctimoniam & externam. De illâ enim Propheta loquitur Psal. 132. 9. *Sacerdotes tui induantur justitiâ.* Quid hoc enim aliud est, quàm Sint sacerdotes tui sancti & justi? *Justitiam hic* (inquit Basilius ad Psalm. 32. not. 6.) *sanctitatem cultum, & simul exactam politiam dicit. Ut justitiæ loricâ induti non sauciantur à jaculis inimici.* Hieronymus ad Psal. 32. Sed ipse Gregorius, quæ fuerit horum verborum sententia satis diligenter explicavit. *Justitia* (inquit ibidem) *ab infirmis ablata est, quæ ab eis auferri non*

Psal, 132, 9.

Basilius.

Hieronym.

posset, si medullitùs inhæsisset; sed idcircò tolli potuit, quia more vestimenti exterius adhæsit.

19. Bernardus. At Justitia, de quâ Bernardus, aliena esse dicitur Epistola 190. Quidni dicatur aliena? Neque enim suæ justitiæ merito, sed Christi à Diaboli potestate liberatus est peccator. De quâ verò justitiâ loquatur Bernardus, proxima apud ipsum verba non obscurè significant. *Assignata est ei proinde alia justitia, qui caruit suâ: Et ipsa sic est: Venit princeps hujus mundi, & in Salvatore non invenit quicquam; & quum nihilominus innocenti manus injecit, justissimè quos tenebat amisit: quando is, qui morti nihil debuit, acceptâ mortis injuriâ, jure illum, qui obnoxius erat, & mortis debito, & Diaboli solvit dominio.*

20. Reliquus est unicus Bernardi locus Serm. 61. in Cantica de justitia Christi, *quæ cum una sit, & Christo & nobis sufficiat; quoniam est largiter larga & æterna justitia.* De quo primùm illud moneo, de merito justitiæ Christi per quod liberamur, non de ipsâ justitiâ, per quam formaliter justi simus disputari. Sic enim sermonis ipsius titulus: *Qualiter Ecclesia reperit divitias in foraminibus vulnerum* CHRISTI. De illis toto ferè sermone dissseritur. Et revera (ut ait ipse Bernardus) *ubi tuta firmaq; infirmis securitas & requies, nisi in vulneribus Salvatoris?* Cainum igitur eo nomine accusat, quod majorem esse iniquitatem suam dixerit, quam ut veniam mereretur. Quod nullo modo verè dicere potuisset, Nisi quod (ut inquit Bernardus) *non erat de membris Christi, nec pertinebat ad eum de Christi merito, ut suum præsumeret, suum diceret. Ego verò fidenter quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini.* Meritum itaque Bernardus obedientiæ Christi tanquam causam justificationis meritoriam, non ipsam justitiam tanquam causam formalem celebrat. Quod autẽ neget *Justitiam Christi pallium breve esse, æternam dicat esse Justitiam*; id ita interpretandum est: ea mejusmodi esse, ut &

Chri-

Chriſtum ipſum juſtum eſſe declaraverit, & nobis ſufficiat, ad reconciliationem cum Deo. Ac poſterius quidem ipſis Bernardi verbis ſignificari videtur, quum ita loquitur. *Et in me quidem operit multitudinem peccatorum.* Quæ namque Chriſti juſtitia multitudinem peccatorum operit, niſi obedientia, quâ per oblationem corporis ſui veniam omnium delictorum noſtrorum impetravit?

Sed de his hactenus.

PART. II. LIB. II.

DE JUSTIFICATIONE.

CAPUT I.

De Justificationis Descriptione secundum Pontificios.

1\. QVOD SUPERIORIBUS IN LIBRIS feci, ut Theologorum nostrorum de justificatione sententiam, quâ potui fide optimâ, perspicuitate, diligentiâ & æquitate proponerem; idem in his, qui sequuntur, libris, in Pontificiorum eadem de re opinione ponderanda, non minori fide, perspicuitate etiam, & diligentiâ, si fieri possit, majori, æquitate pari, sine omni verborum contumelia, omni dissensionis acerbitate præstabo. Ac quanquam instituti mei ratio id unum flagitare videatur, ut de justitiâ, quam vocant, inhærente, quamque justificationis causam esse formalem volunt Pontificij, disputem; quoniam eâ solâ Assumptioni meæ, quam confirmandum suscepi part. 1. lib. 2. cap. 20. num. 1. adversatur: tamen, ut res tota magis perspicua fiat, ipsam justificationis impii definitionem sive descriptionem, quam adferunt, diligenter examinabo.

2\. *Con. Trid.* Ea verò his ferè verbis ab Ecclesiâ Romanâ in Concilio Tridentino sess. 8. de justif. cap. 4. proposita est: *Justificatio*

est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Jesum Christum.

3\. Atque his quidem verbis describi justificationem impij Synodus ipsa declarat. Quum enim in extremo capite tertio nonnulla è Coloss. 1. descripta proposuisset, in initio capitis quarti ita scribit: *Quibus verbis* (scil. Coloss. 1.) *Justificationis impij descriptio insinuatur, ut sit Translatio ab eo statu, in quo &c.* Quod etiam Franciscus Suarez agnoscit, de grat. part. 3. lib. 7. cap. 2. num. 3. *Ex quibus verbis* (nempe Coloss. 1.) *colligit Concilium Tridentinum descriptionem justificationis.*

Coloss. 1.

Suarez.

4\. Jam, ad hanc descriptionem quod attinet, si verba tantum ponderemus, non magna est nobis de illis cum Pontificiis controversia. Nam quum voce Gratia, etiam favor sive amor Dei significetur, ut apparet è can. 11. Qui *anathema illi denunciat, qui gratiam, quâ justificamur, esse tantum favorem Dei dixerit*; facilè concedimus, justificatione translationem in statum gratiæ, comprehendi: non tamen totam & integram, sed eam solum, quæ veniâ peccatorum continetur. Eâ causâ Calvinus in Antidoto ad Sess. 6. ¶ Tertium. tertium & quartum caput Synodi Tridentini non attigit; nec in quinto capite quicquam reprehendit, nisi quod, *Translationem illam sine baptismo, vel ejus voto fieri posse*, non concedat. In hoc autem peccavit Concilium, quòd justificationi, quæ membrum est reconciliationis, illud tribuat, quod non nisi Integro convenire, part. 1. lib. 1. c. 1. & c. 9. ostendi. Totam igitur Translationem in Dei gratiam unâ justificatione complecti non debuerunt.

Can. 11.

CAP.

CAPUT II.

De Definitionis explicatione, ac primum de Definito.

1. AD Definitionis illius, quam proposui, explicationem, primùm de ipsâ re definiendâ, tum de definitione, pauca dicemus. De illâ ita Ludovicus Molina de lib. arbit. in p. 1. q. 14. art. 13. disp. 46. ¶ Non attuli. *Non definit Concilium* (inquit Molina) *universam impij justificationem, sed eam solùm, quâ nondum fidelis & originali labe mundatus, in gratiæ statum transfertur.* Et paulò pòst: *Concilium Tridentinum usq; ad cap. 14. eam solùm justificationem infidelis adulti, modumq;, quo fiat, potissimum explicat, quo, dum cum illo solo dolore accedit, qui cum baptismo sufficit, & Attritio dicitur, justificatur.* Eadem est Andreæ Vegæ opinio, qui negat *Eam definitionem ad omnem justificationem impij se extendere, sed solùm ad primam omnium justificationem.* de justif. lib. 5. cap. 1. ¶ Porrò sancta. Atque hoc quidem Molina ex Synodi cap. 6. totoque progressu manifestum esse dicit. Nec id sanè perperam. Etenim Synodus reverà de primâ justificatione agit capit. 4. 5. 6. 7. de secundâ verò cap. 10.

Molina, And. Vega. Molina,

2. Cæterum, ut ista melius intelligantur; scil. Non agere Synodum de omni justificatione, sciendum est, Multiplicem esse apud Pontificios justificationem. Primò enim eam distribuunt in primam, & secundam. *Duplex est igitur Justificatio* (inquit Gabriel Vasques in 1. 2. disp. 210. cap. 5. n. 30.33.) *Una dicitur prima justificatio, quâ videlicet à peccatis mortalibus mundamur: altera dicitur secunda, quâ in justitiâ & sanctitate semel acquisitâ crescimus.*

Vasques.

Eadem est Thomæ Stapletoni sententia, de justif. pro-

Stapleton.

eg. 2. ad l. 5. Eadem est Bellarmini de justif. l. 4. c. 18. ¶ Nos gitur. & ¶ Jam verò. & ¶ Porrò. Eadem Costeri Enchirid. ontroverſ. cap. 6. de Justif. Et Joannes Roffenſis contra Luherum art. 5. & art. 17. Etiam Synodus Trident. idem ſentit, ıt paulò ante oſtendi. Suarez quidem hanc communem eſſe Theologorum opinionem ſignificat: de grat. part. 3. lib. 7. ap. 6. n. 14. *Juſtificatio* (inquit) *diſtinguitur à Theologis in priıam & ſecundam.* Idem affirmat Dominicus Sotus de nat. c grat. lib. 2. cap. 6. & ad Rom. 1. 18. qui fortaſſe illius autor ıit. Neque enim apud Thomam & antiquiores Scholaſtios reperitur. Ejus quoque meminit Catharinus ad Romaıanos 2, 13.

Stapleton. Bellarmin. Costerus. Roffenſis. Con. Trid. Suarez. Sotus. Thomas Catharinus

3. Porrò diſtribuitur prima hæc, quâ de loquimur, juſtifiıtio, in eam, Quæ eſt *Infantum*, & eam quæ eſt *Adultorum*. łæc autem poſterior vel *Infidelium eſt per Baptiſmum, aut ejus ıtum*; vel *Credentium per ſacramentum pœnitentiæ, poſt amiſſam ıptiſmalem gratiam,* ut loquitur Suarez, ubi ſupra n. 18. *quam iam à Patribus aliquando dici ſecundam juſtificationem*, eodem ı loco ſcribit, & addit, *re vera eſſe, per ſe, & ſubſtantialiter priam.* Priorem diſtributionem de juſtificatione infantum & lultorum tradit Vaſques in 1. 2. diſp. 203. c. 2. & 6.

Suarez.

4. Iſtis ad hunc modum explicatis, ſciendum eſt, *Primam am adultorum juſtificationem*, à Synodo illâ explicari. Quod iam Suarez perſpicuè affirmat d. c. 6. n. 20. Quæ etiam eſt egæ ſententia, ubi ſupra: *quo & Infidelis adulti juſtificationem* cit exponi, & addit, *eam eſſe juſtificationem, quâ Infidelis, dum, m illo dolore accedit, qui cum baptiſmo ſufficit, & attritio dicitur, ſtificatur.* Quare, etſi *Credentis juſtificatio per ſacramentum pœentiæ poſt amiſſam baptiſmalem gratiam, reverâ & ſubſtantiali-* (ut ait Suarez) *eadem ſit cum juſtificatione Infidelis:* tamen nc ſolùm à Conc. deſcribi certum eſt. Quod Synodus ipſa clarat, quum dicat cap. 6. *Homines juſtificandos diſponi ad am juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex*

Suarez, Vega, Suarez. Con: Trid.

au-

auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt: Quæ profectò ejusmodi sunt, quos per sacramentum pœnitentiæ justificari putant Papistæ, satis commodè attribui non possint.

5. De hac multiplici Pontificiorum justificatione, non necesse habeo aliquid dicere, quum satis constet, ista in sacris literis nō ita minutè concidi. Quod rem ipsam, & causam continet, illud est: Agi in hac disputatione cum illis instituta de illâ ipsâ justificatione, quam à Synodo Trident. illis, quæ recensui, verbis describi, quum ipsa Synodus satis perspicuè declarat, tum Pontificii Theologi, ut vidimus, confitentur.

Con. Trid.

CAP. III.

De definitionis ipsius explicatione; ac primùm de Genere Justificationis.

1. HActenus de definito. Jam definitio ipsa, quâ definitum hoc describitur, ita explicatur, ut Generis loco Translatio ponatur: Formæ natura iis, quæ sequuntur verbis comprehendatur. Primùm de Genere ipso.

2. *Translationis voce motus & transitus* (ut Ruardus Tapperus in consensu Lovan. contra art. Lutheri tom. 2. art. 8. ¶ Justificatio) *ab uno termino ad alium significari intelligitur.* In quam sententiam Thomas multo ante 1. 2. q. 113. art. 6. c. ita scripserat: *Justificatio est quidam motus, quo anima movetur in Deum. In quolibet autem motu* (ut ibid. Thomas) *quo aliquid ab alio movetur, duo præcipuè requiruntur. Primum quidem motio ipsius moventis: secundò motus mobilis, sive ejus, quod movetur.* Thomæ assentitur Conradus ad eum locum.

Tapperus. Thomas. Conradus,

3. Motum autem vocari propriè, non metaphoricè decla-

rat Vasques in 1. 2. q. 113. in dubit. circ. art. 1. n. 14. *Rectè* (inquit) *observat Thomas justificationem fieri per modum motus. Non solum quod fiat instar motus* (ut Cajetanus ad eum locum subtilius quàm verius affirmavit) *sed quid reverà vocandus sit motus juxta doctrinam Arist. Met. lib. 11. c. 10. Quia fiat de subjecto in subjectum, hoc est, ex termino. A quo affirmatione significato, ad terminum Ad quem positivum.* Unde Vega in defens. Concil. Trident. de justif. lib. 5. c. 1. ¶ Porrò sancta. *Translationem* vocat *motum realem.* Et Joannes Vincentius in relectione de gratiâ Christi, conclus. 6. dicit *Justificationem fieri per realem mutationem animæ.* Nam *quamvis fiat de peccato ad statum justitiæ, & sanctitatis, & peccatum saltem originale, in solâ privatione positum sit: tamen quia omnis status peccati affirmatione significatur, omnis, justificatio impij* (ait Vasques ubi supra n. 15.) *dicenda est motus.*

Vasques, Cajetanus, Aristoteles, Vega, Vincentius, Vasques.

4. Nos verò de motu litem non movemus. Libenter enim agnoscimus, in justificatione mutari illum, qui justificatur; quum qui ante justificationem eâ fuerat conditione, ut filius esse iræ censeretur Eph. 2. 3. jam per justificationem veniam peccatorum consequutus, gratiosus esse apud Deum, illi dilectus intelligatur. Motum ergò concedimus: sed eum tamen moralem, quo fiat, ut alio simus apud Deum loco & numero, quàm ante justificationem fuimus. Verbi gratiâ: Idem nobis accidere dicimus, in justificatione, quod servo manumisso contingit; qui è servitute ereptus, & libertatem vindicatus, mutatâ conditione, alius esse, quàm qui prius fuerat, agnoscatur. Nos igitur, qui moralem esse volumus mutationem, Metaphoricè vocari motum non dubitamus, quum motum, qui propriè ad res physicas pertinet, ad res omnes, etiam non physicas, non nisi per metaphoram diffundi posse, perspicuum sit.

5. Moralem verò esse mutationem, non naturalem, & antea docuimus, quum part. 1. lib. 2. c. 7. justificationis formam unà peccatorum veniâ contineri probaremus, & dein-

ceps (Deo volente) in Pontificiorum pro inhærente justitiâ sive gratiâ infusâ argumentis refellendis, luculentius ostendemus.

CAPUT IV.

Qualis sit mutatio in Justificatione.

3. Thomas

MOtum igitur quum dicunt Pontificij, Physicum sive naturalem significant. Ejus rationem reddit Thomas 1. 2. q. 113. art. c. *quoniam ex parte motionis divinæ accipitur gratiæ infusio, ex parte verò liberi arbitrij moti accipiuntur duo motus ipsius, secundum recessum à termino A quo, & accessum ad terminum Ad quem.* Atque hanc esse Pontificiorum sententiam satis constat; quam idcircò tuendam susceperunt, quia in justificatione, Homines ex injustis justos fieri putant intrinsecè per adeptionem justitiæ inhærentis, ejusq; (ut mox dicemus) habitualis, quemadmodum aït Bellarminus de justif. lib. 2. cap. 3. ¶ Ex hoc loco. & ¶ Ad secundum. Cui assentitur Suarez de grat. part. 3. l. 6. c. 1. n. 1. *Supponimus* (ait Suarez) *nos apud Deum justificari, & gratos fieri, interventu alicujus gratiæ creatæ, & inhærentis nobis.* Vasques autem plenè & perspicuè in 1. 2. disp. 203. n. 5. dicit, *Communem & veram Theologorum sententiam esse, Homines justificari, non solùm creatâ justitiâ ipsis inhærente; verum etiam, Hanc justitiam & sanctitatem esse qualitatem permanentem in animâ; quem communiter* (inquit) *Habitum appellamus.* Atque hoc est, quod toties inculcat Andradius Orthod. explicat. lib. 6. *In justificatione exornari mentem justitiâ.* Unde *Justificatio* à Synodo Tridentin. cap. 7. vocatur *Sanctificatio & regeneratio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*

Bellarmin.

Suarez.

Vasques.

Andradius.

Con: Trid.

rum. Suarez etiam apertè loquitur de grat. part. 3. l. 7. c. 7. n. 25. *Justitiam inhærentem conferre hunc formalem effectum.* Suarez.

2. Jam hac de re, sitne scilicet Motus naturalis an moralis, summa est inter nos & Pontificios dissensio, ut significavi cap. superiori, in extremo. Cujus dissensionis rationem, nostram sententiam quod attinet, quæ moralem esse statuit, suo loco reddidimus; nimirum, quia universam justificationis naturam solâ peccatorum veniâ dicamus comprehendi; eamque à multis Theologis antiquis & recentioribus justitiam & vocari, & rectè vocari ipsorum testimoniis ostendimus. Quæ Pontificij pro mutatione naturali, ad suæ sententiæ confirmationem, & nostræ confutationem, adferant, ea suo loco ad caput nonum & deinceps, plenè & perspicuè differentur.

3. Con. Trid. Ista verò, de quâ loquuntur, Translatio, motus iste per terminos suos ad hunc modum à Concilio Tridentino explicatur: ut *Terminus A quo sit status, in quo homo nascitur filius primi Adæ*, id est, ut cap. 3. significatur, *sit in statu injustitiæ, & potestatis tenebrarum.* Alterum verò nempe terminum *Ad quem*, sic tradit Concilium, ut duo quasi membra complecti videatur, *Statum* scilicet *Gratiæ & Adoptionis filiorum Dei.* Nam discrepare ista inter se, videntur Patres Tridentini significare, quum ita loquantur cap. 7. *Per gratiam & dona homo ex injusto fit justus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ.* Adoptari autem & Hæredem esse ferè idem significant. *Si filij & hæredes,* Rom. 8. 17. Quare id dicit Synodus, Statum gratiæ quasi causam esse adoptionis: hanc verò illius finem, sive effectum judicari. In quam sententiam Vasques in 1. 2. disputat. 206. num. 26. *Hæc filiatio* (inquit Vasques) *sicut etiam Esse hæredem regni cælorum: tribuitur à Concilio Tridentino sess. 6. cap. 4. & cap. 7. Justificationi, tanquam proprius effectus ipsius.*

Rom. 8, 17.

Vasques.

Et paulò pôst, de statu adoptionis filiorum Dei verba faciens, ait, *Concilium hunc etiam effectum tribuere justificationi.*

4. Con: Trid, Ex hac Concilij sententiâ Vasquis testimonio comprobata, vera esse, quæ cap. 1. n. 4. disserui, liquidò constat. Nam si status adoptionis (quod à Concilio & Vasque affirmatur) sit effectus proprius justificationis fieri certè non potest, quin à Patribus Tridentinis in eo peccatum fuerit, quod totam translationem justificationis descriptione comprehenderint; quum alterum ejus membrum, nempe translatio in gratiam, id est, favorem, nulla sit pars formæ justificationis, sed è justificatione, tanquam effectus è causâ, oriatur. Omninò, duo peccat illa descriptio. Alterum quod integram translationem in gratiam seu favorem justificationi tribuat, quam illius altera tantum pars illi conveniat. Alterum, quod statum adoptionis ad justificationem faciat pertinere, quum adoptio, si ad justificationem referatur, Pontificiorum ipsorum judicio, finis vel effecti locum obtineat.

CAPUT V.

De Formâ Justificationis, ac primùm de significatione vocis Gratia.

1. HActenus ex Pontificiorum sententia de genere ipso justificationis disserui: accedo ad formæ explicationem. Quæ ut dilucidior fiat, de vocabulo Gratia, quod in eà usurpatur, pauca dicam.

Gratiæ vocabulo Pontificij in justificatione non solum amorem, seu favorem Dei, sed etiam effectum illius favoris significant: nempe *donum quoddam in animo justificati inhærens*; vel (ut Conc. Tridentinum loquitur can. 11. d. sess. 6.) *caritatem.* Quapropter Chemnitium eo nomine reprehen- Con: Trid.

dit

dit Bellarm. de justif. lib. 2. c. 3. ¶ At inprimis. quod *per gratiam Roman. 3. 25. non significari donum aliquod infusum & inhærens dixerit*; additque illâ voce *non ipsum favorem, sed aliquid aliud, id est, effectum illius favoris significari.* Et ¶ Præterea gratiam. affirmat *gratiam justificantem non esse solum favorem Dei, sed donum in animâ inhærens.*

Bellarmin Rom. 3, 25.

3. Thomas.

Quæ fuit etiam Thomæ sententia 1. 2. q. 113. art. 2. c. *Gratia per quam justificamur, est effectus divinæ dilectionis in nobis, sc. gratia infusa*; ut dicitur in ipso articulo 6. 7. Quod quidem Concil. Trident. d. sess. 6. de justif. c. 6. magis perspicuè declarat, quum de modo præparationis ad justificationem ita loquatur: *Excitati divinâ gratiâ & adjuti liberè moventur in Deum.* De Justificatione verò ipsâ cap. 7. dicit: *Eam esse renovationem hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, unde ex injusto fit justus.* Et paulò pòst: *Verè justi sumus, justitiam in nos recipientes, unusquisq; suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusq; dispositionem & cooperationem.* Atque hæc quidem communis est omnium Pontificiorum, præcipuè à C. Tridentino, sententia.

Con: Trid:

4.

Quid in istis veri sit, quid falsi, deinceps, si Deo placuerit, in disputatione de forma justificationis, sive (ut Synodus loquitur) *de ipsâ justificatione*, liquidò constabit. Nunc illud unum moneo, eam, quam nos voci Gratiæ tribuimus significationem, etiam à Pontificiis in justificatione agnosci & concedi: illam verò, quam ipsi vehementer urgent, nos penitus à justificatione amandare, sanctificationi totam adscribere. Quibus illi rationibus sententiam suam confirment, quantumque earum unaquæque valeat, ex ea, quâm dixi, disputatione clarius, ut spero, elucescet.

CAP. VI.

De ipsâ Justificatione.

1. Suares. *Justificationis vox* (ut ait Suarez deprædest. l. 2. c. 6. n. 49. 50.) *secundùm Concilij sententiam sumi potest, vel pro solâ infusione gratiæ justificationis (quia revera per illam efficitur homo justus, & non antea) vel pro totâ mutatione supernaturali, quæ præcedit ante infusionem gratiæ habitualis.* Quod etiam significat Vasques in 1. 2. disp. 203. n. 118. quum ipsum momentum justificatiónis à totâ ejus serie distinguat. Quæ sententia ipsius Synodi judicio confirmatur. A Synodo enim præparationes ad justificationem *ejus exordium* vocantur, c. 5. de ipsâ verò justificatione c. 7. differitur.

Vasques. Con. Trid.

2. Ac illa quidem, quam cap. 1. n. 2. proposui descriptio, universam hanc justificationem comprehendit; unde generalis dicitur à Suare de grat. p. 3. l. 6. c. 3. n. 17. neque illam solam; sed etiam, (quod c. 4. n. 4. monui) totam nostram cum Deo reconciliationem: De cujus formâ explicandâ non est necesse quicquam dicere: quoniam in generis expositione multa de illâ differuimus; & in justificationis ipsius explicatione, & in præparationibus plura differuntur. Jam verò quoniam justificatio ipsa (ut Synodus loquitur cap. 7.) est id, de quo potissimum disputatur, præparationes autem, quæ vocantur, etsi justificationis voce à Synodo comprehendantur; tamen ad causam materialem (ut ajunt Sotus de nat. & grat. l. 2. c. 9. & Bellarminus de justif. l. 2. c. 2. ¶ Causa materialis.) pertinent, videtur faciendum, ut primùm de ipsâ justificatione, tum de præparationibus disputetur.

Suárez. Con: Trid. Sotus. Bellarmin.

3. Con: Trid: *Est autem ipsa justificatio* (ut ait Synodus de justif. c. 7.) *non solùm peccatorum remissio; sed & sanctificatio, & renovatio inte-*

erioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, nde homo ex injusto fit justus. In qua descriptione, *Etsi Conci-um separatim meminerit Remissionis peccatorum & Infusionis gra-æ, tamen id fecit* (ait Bellarmin. de justif. l. 2. c. 2. ¶ Quod si.) *on ut significaret duplicem esse causam justificationis formalem, sed t indicaret, duos esse terminos ejus motus, qui dicitur justificatio.* Quod etiam Thomas in justificatione fieri declarat 1. 2. q. 123. ·t. 8. ad 1. *Termini justificationis sunt Culpâ, sicut à quo, & Justi-a, sicut ad quem. Nam hæc quidem sumuntur* (ut ibi Thomas) *emadmodum sunt ex parte hominis, quâ ratione prius est, ordine tura, liberatio à culpâ quam consecutio gratiæ justificationis.* In iam sententiam Conradus in 1. 2. ad q. 113. art. 1. c. *Remissio ccatorum includitur in justificatione, licet ratione ab eâ distin-atur.*

Bellarmin.

Thomas.

Conradus.

4. Calvinus.

Calvinus noster, aliquot annos ante hanc Bellarmini ex-icationem de mente Concilij editam, Patres illos Triden-ios reprehenderat, in Antidoto ad Concil. Trid. sess. 6. p. 7. quod causam justificationis, nempe formalem faciunt plicem: *ac si* (inquit Calvinus) *partim remissione peccato-n, partim spirituali regeneratione justi essemus.* Calvino suc-nset Bellarminus de justif. lib. 2. cap. 2. ¶ Sed non minori. mque malæ fidei accusat, quod *fraudulenter Concilij senten-m proposuerit.*

Bellarmin.

5.

In hac igitur justificationis descriptione tractandâ, duo hi perpendenda esse video: alterum, quàm rectè Calvinus nodum reprehenderit; quòd suam de justificatione sen-ıtiam ita proposuerit, ut ejus causem formalem duplicem :isse videatur: alterum, quæ sit reverà ipsorum Pontificio-m judicio Concil. de hac justificatione sententia: Calvi-m hoc capite defendam. De Pontificiorum opinione in quæ sequentur, disputabo.

6. Calvinus.

Jam Calvinum virum doctum, & fidei plenum nullâ ıde in Concilij sententiâ referendâ usum esse, sed calu-iiam adhibere Bellarminum, hac ratione ostendo.

Si formalis causa justificationis sit remissio peccatorum & sanctificatio, tum partim remissione peccatorum, partim spirituali regeneratione justi sumus. Nam per formalem justificationis causam justi constituimur.

At formalis causa justificationis, ex Concilij sententiâ est remissio peccatorum & sanctificatio. Sic namque Concilium: *Ipsa justificatio est non sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis.*

Con. Trid.

Ergo, ex Concilij sententiâ, partim remissione peccatorum, partim spirituali regeneratione justi sumus. Ac proinde rectè scripsit Calvinus, *Concilium duplicem facere causam formalem justificationis.*

Calvinus.

7. Ad confirmationem consequentiæ propositionis illud addo Remissione peccatorum, non solùm Calvini nostrorumque Theologorum judicio, verum etiam ex multorum Pontificiorum sententiâ (ut deinceps ostendam) condonationem sive veniam peccatorum significari: quam non ratione tantum, sed re ipsâ distingui à regeneratione nemo sanus dubitaverit. Meritò igitur Calvinus duplicem à Tridentinis statui justificationis causam formalem affirmat, quæ partim veniâ delictorum, quam Calvinus remissionis voce significari, vel saltem comprehendi judicavit, partim sanctificatione constaret.

8. Assumptionem sive minorem propositionem ita probo:

Justificatio ipsa est remissio peccatorum & sanctificatio. Concil. Trident. de justif. cap. 7. & can. 11.

Formalis causa justificationis, ex Concilij sententia, est justificatio ipsa. Quum enim justificatio cap. 7. à Concilio definiatur, quatenus à præparationibus & dispositionibus sejungitur, autore Suare de præd. lib. 2. cap. 6. n. 49. 50. formalem ejus causam illâ definitione significare perspicuũ est.

Ergo formalis causa justificationis ex Concilij sententiâ est remissio peccatorum & sanctificatio.

In

In quam etiam ſententiam ſecundo loco ad hunc modum diſputo:

Cujus forma conſtat duabus mutationibus re ipsâ diſtinctis; ejus cauſa formalis duplex eſt: vel ſaltem è duabus compoſita.

Juſtificationis forma (ſecundum Concilium Trident.) conſtat duabus mutationibus reipsâ diſtinctis, ut probat Suarez multis argumentis de grat. part. 5. lib. 7. cap. 10. n. 6. 7. & ſeqq. & cap. 11. per tot.

Suarez.

Ergo juſtificationis cauſa formalis (ſecundum Concilium Trident.) duplex eſt, vel ſaltem è duabus compoſita.

Addam tertium argumentum, quod ſic habet:

10.

Cujus forma conſtat peccati condonatione, & infuſione juſtitiæ, ejus cauſa formalis duplex eſt. Neque enim reſponderi poteſt (ut de remiſſione reſpondet Bellarminus) *Condonationem eſſe terminum A quo, & Infuſionem gratiæ terminum Ad quem:* quum ablegatio ad pœnam, quæ veniâ tollitur, & juſtitia habitualis, quam infundi ſentiunt Tridentini, formæ eſſe oppoſitæ intelligi non poſſint.

Juſtificationis forma (ſecundum Concilium Trident.) peccati condonatione, & infuſione juſtitiæ conſtat. Nam ita quidem Bellarminus Concilij ſententiam explicat. *Quum dicitur* (inquit Bellarminus de juſtif. lib. 2. cap. 2. ¶ His verbis.) *Eam juſtitiam non conſiſtere in ſolâ remiſſione peccatorum, rejicitur ſententiâ Calvini de juſtificatione more forenſi.* Certum namque & perſpicuum eſt, Calvini hanc eſſe ſententiam, Juſtificari hominem veniâ impetratâ, ut oſtendi part. 1. l. 2. c. 4. per tot. Quare, ſi illa Synodi verba Calvini opinionem damnent, quod ait Bellarminus, certè condonationem peccati illis ſignificari neceſſe eſt. Quod etiam de Calvino Bellarminus ipſe confitetur d. l. 2. c. 6. ¶ Tertius error. *Calvinus contendit,* ait Bellarminus, *Juſtificationem propriè in ſolâ peccatorum remiſſione, id eſt, non imputatione peccatorum poſitam eſſe.*

Bellarmin.

Calvinus.

Bellarmin.

Con. Trid. Deinde quum Conc. can. 11. Anathema illis denunciet, *qui dicant justificationem solâ peccatorum remissione comprehendi*, liquidò constat nostrorum Theologorum de illâ sententiam repudiari. Nos autem remissione peccatorum veniam delictorum, non eorum per gratiam infusam abolitionem & deletionem significari judicamus. Quamobrem quum Patres Trid. veniâ peccatorum, & justitiæ infusione formalem justificationis causam dicant comprehendi, duplicem esse ejus causam formalem, quod rectè animadvertit Calvinus, apertissimè loquuntur.

Calvinus.

11. Denique 4. argumenti loco Bellarm. & Suaris testimonia proponam, qui remissionem peccatorum justificationis partem esse dicunt. Bellarm. quidem de just. l. 2. c. 6. ¶ Sed quamvis, ita loquitur. *Potuisset B. Paulus utramq; partem justificationis, id est, Remissionem peccatorum, & donum renovationis tribuere morti Christi vel resurrectioni.* Suarez autem non minus perspicuè de grat. p. 3. l. 7. c. 10. n. 1. *Eam partem justificationis, quæ in hominis renovatione consistit, declaravimus; nunc dicendum est de alterâ parte, quæ ad remotionem mali seu peccati spectat.* Duas igitur esse partes formæ justificationis Bellarminus & Suarez disertis verbis confitentur. Partium verò ea est natura, ut reipsâ differre aliam ab aliâ necesse sit. Duæ itaque quum sint partes formæ justificationis, duplicem profectò esse causam ejus formalem negari non potest.

Bellarmin.

Suarez.

12. Bellarmin. Quæ autem Bellarminus respondet de justif. lib. 2. c. 2. ¶ Sed non minori. *Concilium Sess. 6. cap. 7. apertissimis verbis dicere Unicam esse causam formalem justificationis*; id apud nos parum valet. Nam quid impedit, quo minus Concilij sententia & falsum pronunciet, & turpiter secum ipsa confligat. Etenim, ut è Bellarmino didicimus de amissione gratiæ lib. 4. cap. 2. ¶ Sed objiciunt (*non est mirum, neq; novum, ut Hæretici secum ipsi pugnent.* Nos certè nondum ad eum cœcæ obedientiæ gradum pervenimus, ut tale Concilium ex Ponti-

ficiis Roman. asseclis, multisque tum primum natis episcopis (ut ejusdem Concilij historia, & viri eruditissimi Andrææ Dudithij ad Imperatorem Maximilianum epistola declarant) conflatum, errare non potuisse judicemus.

Historia Con: Trid. Andr. Dud.

13. Bellarmin.

Ad ea quæ Calvino objicit Bellarminus, quod *duplicem faciat causam justificationis* part. 1. lib. 2. toto capite quarto satis multa respondimus. Addo, Calvinum, non minus, quam Synodum, disertis verbis (quæ etiam Bellarminus recenset) affirmare, se *justificationis causam formalem unicam & simplicem esse asserere.* At Calvinus Synodi sententiam non est assequutus: Neque Bellarminus quidem Calvini Synodus profectò in justificationis descriptione ita Decretum suum proposuit, ut saltem diversa esse remissionem peccatorum & sanctificationem significaverit. *Justificatio ipsa* (inquit Synodus cap. 7.) *est non solum peccatorum remissio, sed & sanctificatio.* Calvinus verò ita suam de justificatione sententiam exposuit, ut Remissionem peccatorum, & imputationem justitiæ conjunxerit: ex quâ conjunctione, illius judicio, unum esse atque idem intelligi possunt.

Con. Trid.

Calvinus.

CAPUT VII.

Quâ in re Pontificij Justificationem positam esse dicunt.

1. Bellarmin.

VEnio nunc ad eam opinionem, quam Romanæ Ecclesiæ sententiam esse Bellarm. Vasques, Suarez, omnesque Pontificij, præsertim à Concilio Trid. confitentur. De illâ sic Bellarminus de justif. lib. 2. c. 2. ¶ Quod si. *Etsi Concilium separatim meminerit remissionis peccatorum & infusionis gratiæ, id fecit, non ut significaret*

duplicem esse causam formalem justificationis, sed ut indicaret duos esse terminos ejus motus, qui dicitur justificatio, sive duos effectus ejusdem causæ.

2. Quam Concilij sententiam ut diligentius examinemus, primum de priori effecto, sive motu, in quo reverà justificationis naturam ipsam, & formam positam esse judicant, disputabimus: tum alterum illud effectum, remissinoem scil. peccatorum expendemus.

cap. 25. Jam Concilij de justificationis causâ formali hæc est sententia, Eandem esse justificationem & sanctificationem. Nam *ipsa justificatio* (ait Synodus d. cap. 7.) *est sanctificatio & renovatio interioris hominis, unde homo ex injusto fit justus.* Et eâ causâ Suarez, libros, quos de justificatione scripsit, inscripsit *de sanctificatione hominis.* de grat. part. 3. l. 6. 7.

Con. Trid. Suarez.

4. Quibus Synodi verbis pro concesso sumitur, Justificari idem esse quod justum fieri. Atque hoc quidem nos libenter concedimus; ut part. 1. lib. 2. & ostendi. Quo major est Pontificiorum calumnia, qui forensem solam illius vocis significationem à nobis agnosci criminantur. Horum primus est Dominicus Sotus, qui Concilio Tridentino interfuit. Is autem de nat. & grat. lib. 2. cap. 6. ita loquitur. *Tertio modo usurpatur præterea nomen justificationis, pro eo quod est reum absolvi in judicio, & justum pronunciari. In quo Lutherani, quæ sua est tertia propositio, turpiter falsi, nequiter fallunt.* Quem sequutus est Bellarminus de justif. l. 1. c. 1. ¶ Quarto. *Nomen justificationis accipitur pro declaratione justitiæ: quam acceptionem adversarij in controversiâ de justificatione maximè propriam esse dicunt.* Bellarmino Vasques suffragatur in 1. 2. disp. 202. n. 5. *Hi omnes hæretici, qui omnem inhærentem aut saltem perfectam justitiam nobis denegant, dicere debent nomen significationis esse forense.* Sed postremò & omnium clarissimè Suarez de grat. part. 3. l. 7. c. 6. n. 10. *Priorem significationem, ut justificatio idem sit, quod declarare seu ostendere, ita pertinaciter astruunt hæretici, ut solam illam*

Sotus. Bellarmin. Vasques. Suarez.

ver-

verbi justificandi significationem in scripturâ admittant. Et n. 14. *Hæretici contendunt solum priori modo* (quo scilic. declarare seu ostendere justum significat) *sumendam esse vocem Justificare secundum scripturæ usum.*

5. Cæterùm hæc, ut dixi, & multis Theologorum nostrorum testimoniis ostendi p. t. l. 2. c. 1. n. 5. 6. 7. mera est calumnia. Nos enim non negamus justificare, etiam in justificatione, idem esse, quod justum facere. Sed quem illi sensum huic voci affingunt, eum nos ab ipsis confictum esse dicimus, à scripturæ usu prorsus alienum. Nam *esse justum* idem est Pontificiis, atque *Deo, ut summæ regulæ, adæquatum esse. Id est justum*, ait Bellarminus de justif. lib. 1. cap. 1. ¶ Porro justitia. *quod rectum est, & adæquatum, & cum suâ regulâ optimè congruens.* Vasques in eandem sententiam clarius, in 1. 2. disput. 204. num. 38. *Esse justum, nihil aliud est, quam adæquari Deo, tanquam summæ regulæ.* Quo sensu antea dixerat Sotus de nat. & grat. l. 2. c. 6. *Tunc res una justificatur cum alterâ, quando adæquantur ambæ.* Quæ quàm vera sint vel potius falsa, cap. 21. Deo volente videbimus.

Bellarmin: Vasques, Sotus,

6. Dicuntur hæc quidem à Pontificiis satis confidenter, sed qui id dicunt, probare conetur, reperias neminem. Omnes id unum agunt, ut ostendant, vocem Justificare significare justum facere, non modo forensi declarando, sed verè efficiendo justitiam. Sic Bellarmin. de justif. l. 2. c. 3. ¶ Ad secundum. Suarez de grat. part. 3. lib. 7. cap. 6, n. 11. *Justificari apud Deum, significat fieri justum absolutâ justitiâ ac divinâ.* Et n. 14. *Vox justificatio affectionem & collationem justitiæ significat.* At de istis nulla est, inquam, inter nos & Pontificios controversia. Quum enim hominem justificari, sive justum fieri dicimus, veniâ peccatorum impetratâ, divinâ quadam justitiâ justum esse intelligimus.

Bellarmin: Suarez,

7. Porrò iisdem Concilij verbis, quæ recensui, affirmatur, *Eandem esse justificationem & sanctificationem*; quod nos perne-

7. Con: Trid: gamus. *Diversa sunt* inquit Calvinus Instit. lib.3. cap. 11. n.13.) *Christi beneficia, justificatio & sanctificatio.* Et n. 6. *Aliud est justificari, quam fieri novam creaturam.* Omninò pleni sunt Theologorum nostrorum libri ejusmodi testimoniis. Neque id dicimus solum, sed hæc etiam ratione confici posse judicamus; eodem Calvino autore.

Calvinus:

Quæ Apostolus sigillatim enumerat ut distincta Christi beneficia, ea non sunt unum & idem.

At justificationem & sanctificationem Apostolus, ut distincta Christi beneficia enumerat.

Ergo justificatio & sanctificatio non sunt unum & idem.

8. De propositionis veritate constat, quoniam quę Spiritus S. distinguit, ea distincta esse intelligi debēt; nisi idem Spiritus alicubi unum atq; idem esse affirmet: præsertim si illa sit ipsorum natura, ut reipsâ rectè distingui posse intelligantur.

2, Cor, 1, 30 & 6, 11. Assumptionem confirmant illa verba Apostoli 1. Cor. 1. 30. *Qui factus est nobis à Deo justitia, sapientia, sanctificatio & redemptio.* Et illa ejusdem epistolæ 6. 11. *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Quid enim rationis adferri potest, quare in priori loco justitia distingui non debeat à sanctificatione, quum utraq; à sapientiâ & redemptione, & saltem tria ista invicem inter se distinguantur? De posteriori loco idem dico; in quo etiam singula, adversativâ illâ conjunctione *Sed,* à priori sententiæ membro segregantur. Accedit eodem, quod major sit vis argumenti Apostolici, si hæc distincta esse concesserimus. Nam quo plura sumus per Christum beneficia consequuti; eò magis soliciti esse debemus, ut illi pareamus. Atq; hoc quidem fundamento hac in re utimur, non significatione vocis Justificare, ut Suarez calumniatur. *Ducuntur,* inquit Suarez de grat, p.3.l.7.c.6.n.21. *ex falsâ apprehensione seu abusu verbi justificandi, quod solùm liberationem à peccato, vel pœnæ reatu significet.* Immò Suarem Bellarminus veteratoriè

Suares.

de-

decepit, ut ista nobis attribueret, de quibus nos ne per somnium quidem unquam cogitavimus.

CAP. VIII.

Eadem Causa Formalis minutius, ex sententiâ Pontificiorum explicatur.

1\. HActenus Synodum Trid. sequuti, ipsam justificationem, quam vocant, quasi rem quandam generalem, & ab omnibus particularibus (ut loquuntur) abstractam consideravimus: reliquum est, ut ejus naturam causarum singularum explicatione illustratam proponamus. Atque hac etiam in parte idem Concil. etiam Bellarm. de justif. l. 1. c. 1. ¶ De hoc igitur. ad extremum libri secundi, & Suarem de grat. p. 3. l. 7. & 8. sequemur. Ac primũ quidẽ de formâ disseremus, utpote quâ justificationis essentia constituatur & comprehendatur: à quâ etiã Suarez orditur.

Bellarmin. Suarez.

2\. *Justificationis unica formalis causa*, ait Concil. c. 7. *est justitia Dei, quæ nos justos facit: quâ videlic. ab ipso donati verè justi sumus, justitiam in nobis recipientes, quæ etiam in nobis inhæret,* Concilij sententiam sequutus Bellarminus, dicit, *Statum totius controversiæ revocari posse ad hanc simplicem quæstionem, Sitne formalis causa absolutè justificationis, justitia nobis inhærens, an non.* De justif. l. 2. c. 2. ¶ Porrò status. Cujus quæstionis partem affirmantem c. 3. probandam suscipit. In eandem sententiam Vasques *Nos justificari dicit justitiâ inhærente, ut formâ,* in 1. 2. disp. 202. n. 6.

Con: Trid. Bellarmin. Vasques.

3\. *Justitiæ* verò nomine idem significant, quod *gratiam* vocant: Sic namque Conc. Trident. d. c. 7. *Ipsa justificatio est renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, unde homo ex injusto fit justus.* Et capite 8. Hanc Justitiam appellat *gratiam justificationis.* Item can. 9. & 11. Bellarminus etiam de justif. l. 2. c. 3. ¶ Præterea gratiam. *Gratiam*

Con: Trid: Bellarmin.

ju-

justificationis dicit esse *donum in animâ inhærens.* Et ¶. Deinde propositio, art. *Deum per gratiam inhærentem justificare.* Idem scripserat, aliquot ante illos sæculis, Scholasticorum Coryphæus Thomas: *Justificatio est effectus gratiæ operantis,* 1. 2. qu. 113. art. 1. Suarez quoque affirmat, *Hominem constitui verè justum coram Deo per gratiam illi infusam, ipsiq; inhærentem.* de grat. p. 3. l. 7. c. 4. n. 1.

Thomas

Suarez.

4.

Hujus sententiæ suæ explicationem his ferè rebus comprehendunt, quòd *Habitualis sit hæc justicia*; quod sit *Perfectè justitia:* denique quòd sit *Nostra justitia.*

5.

Bellarmin:

Habitualem esse hanc justitiam non actualem declarat Bellarminus de justif. lib. 1. cap. 3. ¶ Est autem. Atque hoc magnâ contentione probare conatur toto cap. 15. lib. 2. Vasques item, licet *de fide* neget *esse definitum:* tamen concedit *secundum communem & veram Scholasticorum sententiam, Esse habitum gratiæ justificantis in omnibus qui justificantur,* in 1. 2. disp. 103. n. 107. Et Suarez *gratiam habitualem formam esse justificationis affirmat: ita necessariam, ut de facto nullus fiat justus quocunq; modo coram Deo, nisi per hujusmodi formam.* de grat. part. 3. l. 7, c. 8. n. 3. & n. 4. *Communem esse dicit hanc sententiam inter aliquot Theologos; & expressè traditam à Thoma,* 1. 2. q. 109. art. 7. & 111. art.

Vasques.

Suarez.

Thomas.

6.

Jam *gratiam habitualem* ita definiunt, ut dicant esse *qualitatem quandam spiritualem & supernaturalem in substantiâ suâ, quæ non est operatio, neq; actus secundus, sed forma quædam permanens & per modum actus primi à Deo infusa.* Suarez de grat. part. 3. l. 6. c. 4. n. 1. Eandem dicit *animam efficere, eamq; vel potentias ejus informare,* d. l. 6. c. 2. n. 1. Et *in his consistere quod principium sit operandi, & det vires operandi.* d. c. 2. n. 11. *Etiam principium proximum,* c. 4. n. 2. *Et ejusmodi quidem principium, ut constituat integram rectitudinem in omnibus partibus hominis, ita ut inferiora subjiciantur superioribus, & omnia Deo.* lib. 7. c. 9. n. 1. In quam sententiam Thomas dixit, *justitiam importare*

Suarez.

Thomas.

totam rectitudinem ordinis. 1. 2. qu. 113. art. 1. ad 2. *Rectitudinem* ſcil. *totius hominis,* ut ait Sotus de nat. & gr. l. 2. c. 6.) *quæ etſi ſit originaliter in voluntate,* ut dicit Thomas in 4. diſt. 17. q. 1. art. 1. ad 1.) *tamen eſt in aliis partibus animæ quaſi rectificatis, ſicut in ſubjecto.* Quo ſenſu Bellarminus dixit: *Juſtitiam eſſe rectitudinem, quà homo rectè ordinatur ega Deum & proximum.* de juſtif. lib. 1. c. 11. ¶ Deniquè.

Sotus.

Thomas.

Quantæ autem ſint hujus gratiæ vires, & quàm latè pateat, declarat Suare y. quum dicat, *Eam per ſe immediatè perficere animam in ordine, ad omnem operationem juſtam; & ſecum adferre virtutes & dona, per quæ potentias perficit; & ſic complere facultatem juſtè operandi.* de grat. part. 3. l. 7. c. 9. n. 15. Huc etiam pertinet illud Suarez d. l. 7. c. 8. n. 30. *Forma juſtificans quatenus eſt ſubſtantia, omnem rectitudinem ſeu æquitatem neceſſariam in ordine ad ultimum finem continet, vel formaliter, vel ſaltem virtualiter, ſeu radicaliter.* Cui aſſentitur Bellarminus de juſtif. l. 2. c. 16. ¶ De altero. *Juſtitia habitualis perfectè diſponit hominem in ordine ad ultimum finem etiam ſupernaturalem.* Et paulò pòſt ait: *Hominem ita per eam diſpoſitum eſſe, ut poſſit quando velit promptè, facilè & cum dilectione operari.*

7. Suarez.

Suarez.

Bellarmin.

Hæc verò interna rectitudo, quam juſtificationis formam eſſe volunt, *ſimpliciter & abſolutè eſt juſtitia;* ut Bellarminus de juſtif. lib. 1. c. 1. ¶ Accipitur denique: vel, ut Suarez loquitur de grat. part. 3. lib. 7. c. 6. n. 2.) *propriè eſt juſtitia.*

8. Bellarmin.

Suarez.

De illius perfectione ad hunc modũ philoſophatur Suarez d. l. 7. c. 7. n. 21. *Juſtitia hæc perfecta eſt eſſentialiter in ordine juſtitiæ apud Deum.* Suffragatur illi Vaſques, idque (ut ait) *è Concilÿ ſententiâ; quæ apertè,* inquit, *definit Juſtitiam inhærentem non eſſe imperfectam, & inchoatam, ſed perfectam & abſolutam,* in 1. 2. diſp. 20. n. 69. Idem affirmat diſput. 202. n. 26. *Noſtra,* inquit, *juſtitia perfecta eſt. Dico autem perfectam,* ait ibi Vaſques, *quod ad rationem juſtitiæ nihil illi prorſus deſit, quo minus eâ verè juſti conſtituamur.*

9. Suarez.

Vaſques, Con. Trid.

10. Jam verò *nostram* esse hanc habitualem justititiam sive gratiam docet Concil. Trident. sess. 6. cap. 16. aitque *nostram dici, quia per illam nobis inhærentem justificamur, Dei verò, quia à Deo nobis infunditur. Quædam justitia,* inquit Suarez l. 7. c. 6. n. 4. *Divinà; alia Humana vocatur, licet utraq; sit hominis justitia. Nam humana dici potest eadem cum acquisità. Divina verò eadem cum infusâ. Unde utraq; in homine recipitur.*

CAPUT IX.

Pontificiorum Argumenta pro justitia inhærente proponuntur, & ad eadem respondetur.

1. EXpositâ Pontificiorum de gratiâ sive justitiâ inhærente, quam justificationis causam esse formalem contendunt, sententia, superest, ut quid in ea sit veri, deinceps examinemus. Cæterum illud sentio faciendum in argumentorum, quæ ad opinionis suæ confirmationem proponunt, refutatione, ad quam nunc, Deo auxilium ferente, festinat disputatio mea. Quæ ut clarior fiat, & facilius dijudicetur, quod disceptandum est, uno enunciato comprehendam. Id sic habet:

Justitia inhærens est causa formalis justificationis, per quam homo verè fit justus.

2. Jam in hoc enunciato disceptando, non tàm ipsas voces, quam sensum earum Syllogismis complecti animus est: quoniam, qui de illâ disputant, Bellarminus, & Suarez, aliique Pontificij aliis & aliis verbis in singulis ferè argumentis utuntur. Eos igitur sequar; ac primum cum Calvino, nostrisque Theologis universis dico illam Enunciationem esse falsam. *Falsum esse contendo,* (ait Calv. in Antid. ad Conc. Trid. sess. 6.

Calvinus.

cap. 8. ¶ Porrò quam) *ullam justitiæ partem in qualitate sitam esse, vel habitu, qui in nobis resideat.* Sententiam suam, quib. rationibus probent Pontificij, videamus; eas autem primum, quæ ex ipsius gratiæ sive justitiæ naturâ oriri existimantur.

Primum & quasi generalissimum est illud Suaris argumentum, de grat. p. 3. l. 7. c. 7. n. 4. quod ita instituitur. 3.

Quibus gratia inhærens infunditur, quibus datur participatio divinæ naturæ, per quam accipiunt spiritum Adoptionis: qui dicuntur Renovari spiritu mentis suæ, & Induere arma lucis, & Ungi ac Signari; ij constituuntur verè justi coram Deo per gratiam ipsis infusam.

At nobis gratia inhærens infunditur, nobis datur participatio divinæ naturæ, per quam accipimus spiritum adoptionis, nos dicimur renovari spiritu mentis nostræ, induere arma lucis, ungi ac signari.

Ergo nos constituimur verè justi coram Deo, per gratiam nobis infusam.

Nego propositionem majorem. Fatemur quidem nos dona quædam præclara accipere, sed iis justificationem comparari non concedimus. Aliud enim est justificari; aliud sanctificari; ut ipsius Spiritus sancti testimonio cap. 7. n. 6. ostendi.

Ut quod respondemus, refellat, urget nos Suarez num. 5. hoc argumento: 4.

Quod homo recipit in eo momento, in quo justificatur, id ad propriam justificationem pertinet.

At donorum gratiæ infusionem homo recipit in eo momento, in quo justificatur.

Ergo donorum gratiæ infusio pertinet ad propriam justificationem.

Priusquam ad Syllogismum respondeam, de prædicato Propositionis majoris necesse habeo aliquid dicere. Quid significat, *Ad propriam Justificationem pertinet?* Propria

justificatio est hujus aut illius, scilicet sua cujusque, non alterius cujuspiam, justificatio. At illud Suarez non dicit, sed hoc potius, propriè sive formaliter ad justificationem pertinet. Sic enim loquitur, *Donorum infusionem ad formalem actionem, vel causam justificationis pertinere.* Id igitur dicit: *Donorum infusionem propriè sive formaliter ad justificationem pertinere.* His ita explicatis, respondeo: propositionem esse falsam. Sunt ista quidem inter se, quod momentum receptionis attinet connexa: sed inde non sequitur, ad eandem rem constituendam utrumque pertinere. Facultas videndi una cum animâ rationali, eodem momento recipitur, neque tamen ad constitutionem animæ rationalis, vel hominis ipsius pertinet. Fingamus, si placet, Eum, qui graviter deliquit, & veniam, & magnas etiam divitias, simul & eodem temporis momento consequi; quis inde concluserit, Divitiarum tantam copiam ad indulgentiam constituendam pertinere?

Deinde hunc Suaris errorem à Bellarmino refelli contendo. Etenim quo momento justificamur, eodem (secundum Bellarminum) *ad gloriam ordinamur.* Nam *ordinari ad gloriam est effectus habitualis gratiæ.* Ordinatio autem ad gloriam non est justificatio, quæ diversus ab illâ gratiæ effectus à Bellarmino constituitur. Justificari enim sine gratiâ habituali nemo potest, ordinari ad gloriam potest sine illâ. Bellarm. de justif. l. 2. c. 16. ¶ Ad hæc omnia; & ¶ De altero effectu. Et ¶ Quartus effectus.

7. Suarez, Secundo loco in eandem sententiam ita disputat Suarez, d. n. 5. ad illa verba cum utraque.

Quod ad hominem simpliciter constituendum vel pronunciandum justum est necessarium, id ad propriam justificationem pertinet.

Donorum gratiæ infusio ad hominem simpliciter constituendum vel pronunciandum justum est necessaria.

Ergo

Ergo donorum gratiæ infusio ad propriam justificationem pertinet.

Propositionem mitto. Assumptionem nego; quæ neque vera est, nec ullâ ratione à Suare confirmata; sed tantum quasi prætoriâ autoritate affirmata. Itaquè responsione aliâ opus non habet.

CAPUT X.

De aliis Argumentis à Suare propositis.

Justificationem fieri per donum aliquod inhærens probat Suarez aliis argumentis: ac primum ad hunc modum disputat d. l. 7. c. 7. n. 5. ad ea verba. Deinde ostensum est.

Quod dicit effectum positivum bonum & intrinsecum, & non solum exclusionem mali, fit per donum aliquod inhærens.

Justificatio dicit effectum positivum bonum & intrinsecum. *Nam verbum justificare in usu scripturæ, ubi de justificatione hominis apud Deum agitur, idem est, quod justum facere.*

Ergò justificatio fit per donum aliquod inhærens.

Nego minorem propositionem, Justificatio non dicit effectum intrinsecum, sed conditionem extrinsecam. Ad probationem respondeo. Eam non confirmare assumptionem. Est enim justitia quædam externa, nempe remissio seu venia peccatorum, quæ recipi potest, ut eâ justificari, seu justi fieri intelligamur; ut ostendi part. 1. lib. 1. cap. 3. 7. 8. Quare non sequitur, justificationem dicere effectum positivum bonum & intrinsecum, quia vox Justificare significat justum facere. Nam venia peccatorum justum facit.

2. Suarez.

Tertium Suaris argumentum secundo affine est propositum d. l. 7. c. 6. n. 21. ad ea verba, Probari etiam potest.

Gratum esse Deo est positivus effectus gratiæ.

Justificari est gratum esse Deo.

Ergò justificari est positivus effectus gratiæ.

Hujus Syllogismi major propositio & conclusio apertè ponuntur: Assumptionem sumo è d. l. 7. c. 1. n. 10. *In re*, ait Suarez, *idem est justificari, & gratum fieri.* Cujus probatio hoc loco proposita est, his verbis: *Homo non justificatur, nisi fiat Deo gratus.*

3. In hoc argumento dico principium peti: quoniam ignotum probatur per id, quod magis, aut saltem æquè ignotum est; idque ipsius Suaris judicio. Nam quod hîc medij sive tertij argumenti loco ponitur, scil. *gratum esse Deo,* id positivum esse effectum gratiæ ab eo probatur, quia *justificari est effectus gratiæ positivus.* Etenim si majorem hujus syllogismi negemus, eam probat Suarez per hanc ipsam conclusionem integro Syllogismo ad hunc modum; d. c. 1. n. 10.

Per quam formam justi & sancti constituimur, per eandem grati Deo & amabiles intrinsecè reddimur.

Per inhærentem nobis sanctitatem & justitiam, justi & sancti constituimur.

Ergo per inhærentem nobis sanctitatem & justitiam grati Deo & amabiles intrinsecè reddimur.

Nugari est istud, non disputare. Si propositionem prioris Syllogismi neges, scilic. *gratum esse Deo, esse effectum positivum gratiæ:* Eam probet Suarez hoc posteriori Syllogismo. Sin autem hujus Syllogismi minorem negaveris, nempe, *Nos constitui justos, sive justificari per inhærentem nobis justitiam*; illam Suarez priori illo Syllogismo confirmabit: quasi in circulum disputaret.

Justificari attribuitur gratiæ: quia gratum esse Deo attribuitur gratiæ.

Gratum esse Deo attribuitur gratiæ, quia justificari attribuitur gratiæ.

Neque solum Suaris judicio, sed etiam reipsâ, æquè aut fortasse magis dubium est, utrum *Deo gratum esse sit positivus effectus gratiæ*, atque est, an *Justificari sit ejusdem gratiæ effectus positivus.* Nam *in hac quæstione*, ait Suarez d. c. 1. n. 3. *dissensio est non solùm inter Hæreticos & Catholicos, sed etiam inter Catholicos inter se.* Et, ut ipse confitetur n. 6, *est sententiâ multorum Catholicorum, Qualitatem gratiæ infusam, non naturâ suâ, sed ex Dei acceptatione & ordinatione habere, ut hominem Deo gratum reddat; ita ut potius sit veluti signum deputatum à Deo, ad cognoscendum eos, quos sibi gratos habet, quam forma conferens talem effectum, quo homo in conspectu Dei gratus illi reddatur.*

4.

Suarez,

Atque hæc sententia multis rationibus probatur n. 3. 4. 5. 7. 8. De quâ ad hunc modum Vasques: *Quibus*, nempe Nominalibus, ut vocantur, quos Suarez enumeravit, *ex Scholâ B. Thomæ consenserunt Franciscus Victorio, & Canus, ut passim refertur, aliiq́; recentiores Thomistæ, quos sæpe in disputationibus*, ait Vasques, *ita dicentes audivi*, in 1. 2. disp. 204. n. 4. Jam si hæc disputandi ratio legitima sit, ut argumenti medij loco afferatur id, quod non minorem dubitationem habeat, quam ipsa quæstio, quæ vicissim ad ipsius medij confirmationem adhiberi possit, nihil certè est, quod à quovis probari non queat, & omnium quæstionum erit quasi commissio & confusio.

5. Vasques,

Suarez.

Sed de propositione satis multa. Assumptionem etiam nego. Nam *gratum esse Deo*, significat, autore Suare, d. l. 7. c. 1. num. 2. 32. Et cap. 2. num. 7. *esse objectum dignum amicitia Dei, sive proportionatum esse tali amori vel amicitiæ, per donum aliquod receptum, & in homine inhærens.* Justificari autem id nusquam significat.

6. Suares.

Verum Assumptionem illam probat Suarez hoc unico argumento.

Homo non justificatur, nisi fiat Deo gratus.
Ergo justificari est gratum esse Deo.

7. Vox illa *Nisi* in antecedente parte Enthymematis significat necesse esse, ut qui justificandus est, fiat Deo gratus. Necessariò autem postulari potest aliquid, ut homo justificetur, vel ut prævia quædam dispositio sive conditio ad ipsius justificationem, vel ut formale in ipsâ justificatione. Si id velit antecedens, Hominem non justificari, nisi prius Deo gratus sit: ut gratum esse Deo flagitetur tanquam dispositio ad justificationem, nego consequentiam Enthymematis. Etenim fides, etiam Pontificiorum ipsorum judicio, ut dispositio ad hominis justificationem postulatur, nec tamen idem esse cum ipsâ justificatione intelligitur. Atque hoc sensu dico antecedens etiam esse falsum. Nam (ut ait Vasques in 1. 2. disp. 205. n. 2.) *non prius sumus Deo grati & dilecti, tanquam amici, quàm habeamus justitiam nobis infusam.* Addit Vasques, *se existimare Contrariam sententiam non parum favere hæreticis hujus temporis,*

Vasques.

Sin autem in antecedente significetur, *Gratum esse Deo,* postulari tanquam formale in ipsâ justificatione, consequentiam veram esse concedo, antecedens nego. Id autem Suarez nullo argumento confirmat, etsi non minorem habeat dubitationem, quàm res ipsa, quâ de agitur. Quis enim concesserit, Justificationis formam in eo positam esse, uti quis gratus sit Deo, nisi *justum esse*, & *gratum esse* idem planè significent.

CAPUT XI.

Aliud Suaris Argumentum proponitur, & ad illud respondetur.

ALiud argumentum à Suare proponitur d.l. 7. c. 6. n. 24. ad ea verba, Quia Deus, quod ita concludendum est.

1. Suarez,

Quo Deus facit hominem non solum non malum, sed etiam bonum, id dicit non tantum carentiam mali, sed etiam positivum effectum bonitatis.

Justificando Deus facit hominem non solum non malum, sed etiam bonum.

Ergo justificare dicit non tantum carentiam mali, sed etiam positivum effectum bonitatis,

Primùm illud moneo; Hoc argumentum ferè idem esse cum illo, quod cap. 10. proposui & refutavi. Deinde ad syllogismum respondeo. Homo dicitur fieri justus vel bonus, per formam interiorem, atque inhærentem; atque hoc sensu dicit Suarez, Deum facere hominem bonum. Eo sensu assumptionem nego, scil. id fieri à Deo per justificationem.

2,

Assumptionem ita probat Suarez ad illa verba. Nam de justificatione.

Si Paulus de justificatione loquens, frequenter hæc duo conjungat; sc. Hominem fieri non tantum non malum, sed etiam bonum, tum Deus justificando facit hominem non tantum non malum, sed etiam bonum.

At Paulus de justificatione loquens frequenter hæc duo conjungit; sc hominem fieri non tantum non malum, sed etiam bonum.

Ergò Deus justificando facit hominem non tantum non malum, sed etiam bonum.

Conjungi possunt, quum de justificatione loquitur Apostolus, tum, quæ ad justificationem ipsam pertinent, tum quæ homini, qui justificatur, accidunt. Si priori significatione sumatur propositio, concedo veram esse ejus consequentiam. Si posteriori, dico illam esse falsam. Etenim (ut rectè Calvinus in Antidoto ad sess. 6. cap. 8. ¶ Sed quid.) *ubi de causâ justificationis quæritur, quorsum attinet accidens inseparabile obtrudi? Si nobis*, inquit, *& oculi simul, & aures, & pedes, & manus conferantur, non propterea tamen, aut pedibus nos audire, aut manibus ambulare, aut oculis palpare dicendum est.* Præterea, nisi illud concedatur, Apostolum iis in locis de solâ justificatione loqui, imbecillam esse consequutionem necesse est: quoniam hæc duo diversarum causarum formales effectus esse possunt.

Calvinus:

3. Calvinus.

Minorem verò in hac posteriori significatione concedo. Neque enim negandum est (ait Calvinus add. c. 8. ¶ Neq; tamen) *qui perpetuò conjunctæ sint atq; cohæreant duæ illæ res* scil. *justificatio & sanctificatio.* Deinde ne illud quidem concesserim, Apostolum, quum de solâ justificatione loquatur, aut hæc duo conjungere, aut hunc vel illum effectum justificationi tribuere. Etenim verum non est, Deum justificando facere hominem non malum, nisi forte moraliter, peccata illi condonando. Sumit igitur Suarez pro concesso, quod falsum est, nimirum Nos prorsus negare *Justificationis actu fieri hominem bonum*, sed concedere *Tantum fieri non malum*.

Suarez,

Si priorem sensum illis verbis affingamus, ut Paulum ea duo conjungere dicamus ad ipsam justificationem constituendam, eandem assumptionem nego. Ad eam probandam Suarez ita disserit (ad ea verba, Satis tamen) è quibusdam Apostoli testimoniis, quæ singillatim examinabimus.

Suarez,

4. Quorum primum ducitur è 1. Cor. 6. 11. Quæ ratio sic in-

sti-

stituenda est, ubi Apostolus remissionem peccatorum & sanctificationem conjungit, & utrumq; sub justificatione concludit; ibi hæc duo conjungit: scil. Hominem fieri non tantum non malum, sed etiam bonum.

At Apostolus 1. Cor. 6. 11. de justificatione loquens, remissionem peccatorum & sanctificationem conjungit, & utrumque sub justificatione concludit.

Ergo Paulus de justificatione loquens, frequenter hæc duo conjungit, sc. Hominem fieri non tantum non malum, sed etiam bonum.

Etsi de propositione non multum laboremus, ideoq; inanis sit de illâ Suaris disputatio: tamen illud monendum puto, idem hîc peccare Suarem, atque prius peccaverat; quod remissione peccatorum fieri hominem non malum existimet. Nam id quidem (ut dixi n. 3.) nos pernegamus.

Assumptionem nego; tum quòd Apostolus non loquatur ibi de solà justificatione, tum etiam quòd duo priora sub justificatione ab eo concludi non sit perspicuum, nec sanè verosimile. At illud tantum dicit Suarez, nullo argumento confirmat. Cæterum quæ de hoc loco dicenda habeo, tum demum proponam, quum ad Bellarm. disputationem accessero c. 20. Ille enim hoc Apostoli testimonium urget vehementius.

Alterum Suaris argumentum ex Apostolo sumitur Eph. 5. 26. ab eo propositum ad illa verba. Et eodem modo Ephes. 4. — 5.

Quod Christus facit, dum justificat Ecclesiam, id fit per veram justificationem.

At hoc (sc. *mundat eum à maculis peccatorum, & sanctitatem illi largitur*) Christus facit, dum justificat Ecclesiam. Ephes. 5.

Ergo hoc (scil. *mundatio à maculis peccatorum & largitio sanctitatis*) fit per veram justificationem.

Quod syllogismum hũc attinet, dico propositionẽ esse falsã, si hæc vox *Dum* non ipsum justificantis & justificandi actum

significet; sed tempus, in quo fit justificatio, ut supra è Calvino respondi cap. 11. n. 2. Assumptionem eo sensu concedo.

7. Sin autem eâ voce significetur, Christum mundare & sanctificare, quatenus justificat, respondeo majorẽ esse veram, minorem falsam. Apostolus enim non dicit, mundationem à maculis peccatorum & sanctificationem, aut earum alteram fieri per justificationem, sed illud tantum, Christum se tradidisse ut Ecclesiam sanctificaret, mundans eam lavacro aquę in verbo, ut exhiberet eam sibi sanctam & immaculatam. At nec mundatio hoc loco significat remissionem peccatorum, nec sanctificatio ad justificationem pertinet; ut nostri Theologi sæpè ostenderunt: quoniam Apostolus eas sejungit, ut dixi, c. 7. n. 6.

8. Quapropter cum nihil attulerit Suarez, nec omninò adferre potuerit, quare Apostolum hoc loco de justificatione loquutum esse (ut de solâ justificatione locutum fuisse ostendere debuit) debeamus existimare, quidni concludamus, Apostolum hîc, mundationem, & sanctificationem justificationi non attribuere? An id fortasse quærunt Pontificij, ut in re tanti momenti ipsorum autoritati cedamus, & aut vera esse, quæcunque nobis obtrudant, sentiamus, aut falsa argumentis probemus? At verò alienum esse ab hominis Theologi & Christiani officio judicamus, ut verum esse in Theologicis credat, de quo è doctrinâ divinitùs patefacta parum constet.

9. Verùm decedam de meo jure, &, quanquam non est necesse, tamen dabo operam ut ex Apostolo ipso ostendam, saltem verisimile esse, illum non loqui hîc de justificatione. Nam justificationem quidem in hac vitâ consequimur, mundationem & sanctificationem, de quibus hoc loco Apostolus, in hac vitâ non consequimur. Hæc enim, teste Apostolo, immaculata est: illa maculis quibusdam aspersis contaminata, etiam Suaris ipsius judicio d. c. 7. n. 22. etsi illas leves

Suarez.

esse

esse contendat. Augustinus autem *Justitiam nostram in hac vitâ tantulam esse dicit, ut remissione peccatorum constet potius, quam perfectione virtutum.* De Civit. Dei, l. 19. c. 27. Quare Bernardus illam panno menstruatæ mulieris apud Esaiam 64. comparat: Serm. 1. in festo omnium sanctorum.

Augustinus

Bernardus,

Feci hactenus, ut pro summa de Suaris eruditione & acumine (quæ utraque ego quidem non invitus agnosco) opinione & famâ, præcipua ex illis, quæ posuit, argumenta ponderarem. Sequuntur alia, verum illa, (ut etiam priora) de quibus disputavimus, maximam partem ipsius Suaris affirmatione, non Dei autoritate, aut verâ ratione innituntur. Quamobrem ego illa sciens ac volens prætereo. Sunt etiam eorum nonnulla, quæ in Bellarmini disputatione continentur, & in eadem expendentur.

Io. Suarez.

CAPUT XII.

De Argumentis Bellarmini pro Justificatione per donum aliquod inhærens.

ACcedo ad Bellarmini argumenta, qui sic disputat de justif. lib. 2. cap. 6. ¶ Primum igitur.

I. Bellarmin, Rom. 4. 25.

Justificatio, de quâ Apostolus Roman. 4. 25. in renovatione posita est.

Justificatio impij est justificatio, de quâ Apostolus Romanor. 4. 25.

Ergo justificatio impij in renovatione posita est.

Major propositio his verbis continetur: *Hic Apostolus nomen justificationis tribuit potius renovationi internæ, quam remissioni peccatorum.* Et ¶ Cum igitur. *propter justificationem nostram, id est, ut in vita novitate ambulemus.* Nam his verbis justificationem Bellarminus per novitatem vitæ exponit. Ad

Syllogiſmum reſpondeo, negando propoſitionem majorem. Eam duobus argumentis probare conatur Bellarminus: quorum prius. ¶ Primum igitur propoſitum, ſic habet.

Cujus exemplar Chriſti reſurrectionem eſſe vult Apoſtolus, id in renovatione interna poſitum eſt.

Rom. 4. 25. At juſtificationis, de quâ Roman. 4. 25. Chriſti reſurrectionem exemplar eſſe vult Apoſtolus.

Ergo juſtificatio de quâ Rom. 4. 25. in renovatione interna eſt.

2. Nego propoſitionem minorem. Chriſti reſurrectio non eſt exemplar renovationis noſtræ internæ ſed externæ, quæ in externis pietatis & juſtitiæ actionibus ſita eſt. Sic namque Apoſtolus Rom. 6. 4. nos ad vitæ ſanctimoniam hortatur, ſecundum exemplar reſurrectionis Chriſti; omninoque toto illo capite ſexto de actionibus noſtris, tum ut à malis abſtineamus, tum ut bonas perſequamur, diſſerit; de internâ verò renovatione verbum nullum facit. Jam renovationem interiorem à vitæ novitate multùm diſcrepare perſpicuum eſt. Nam illa certè inhærens quiddam eſt ac permanens, hæc in actionibus tranſeuntibus tam internis & elicitis, quam externis & imperatis poſita eſt.

Rom. 6. 4.

3. Neque certè Chriſti reſurrectio renovationis internæ exemplar eſſe poteſt: quoniam actio quædam eſt tranſiens, quum interna renovatio ſit quiddam inhærens, & permanens per modum habitus.

4. Poſtremò, ſi Chriſto reſurrectionem renovationis internæ exemplar eſſe dicamus, neceſſe eſt, ut nos actu aliquo noſtro in ipsâ renovatione exemplar illud à CHRISTO per reſurrectionem ſuam propoſitam exprimamus. Nam is quidem exemplari quaſi finis propoſitus eſt, ut quiddam illi ſimile producatur ab illo, cui exemplar imitandum proponitur. In renovatione autem interiori habituali nihil agimus, ſed, Pontificiis ipſis autoribus, gratiam à Deo in-

fusam, ut Christus ipse vitam, quâ resurgeret. Sic enim loquitur Concilium cap. 7. *Verè justi sumus justitiam in nobis recipientes, unusquisq; suam, secundùm mensuram, quam Spiritus partitur singulis prout vult.* Negat quidem Synodus cap. 5. *Hominem nihil agere:* verum de præparationibus tantum loquitur, in quibus actum nobis aliquem concedit.

Con. Trid.

Pergit Bellarminus, & alio argumento quod d. ¶ *Cum igitur.* proponit, ad illa verba, *Alioqui dicere debuisset,* propositionem confirmat.

5. Bellarmin.

Si in ipsâ renovatione justificatio, de quâ Apostolus Rom. 4. 25. non sit posita, tum Apostolus dicere debuisset, Qui traditus est propter justificationem à peccatis, & resurrexit propter vitæ novitatem.

At non debuit dicere, Qui traditus est propter justificationem à peccatis, & resurrexit propter vitæ novitatem.

Ergo justificatio de quâ Apostolus Roman. 4. 24. in renovatione posita est.

Infirma est propositionis consequentia, utpote quæ hoc fundamento nitatur, Nullum esse resurrectionis Christi usum aut vim ad justificationem, quatenus veniam peccatorum significat, sed tantum quatenus significat renovationem internam, seu vitæ novitatem: quæ duo Bellarminus non satis prudenter confundit. Hoc autem falsum esse contendo. Nam si adhuc in peccatis sumus, nisi CHRISTUS resurrexit, certè resurrectio Christi valet ad veniam peccatorum: quam remissionis voce indicari ostendam capite 32. Esse nos in peccatis, si Christus non resurrexerit. disertis verbis affirmat Apostolus 1. Corinth. 15. 17. *Si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris.*

Jam hujus connexi axiomatis consequentia ex hoc pendet, non solū quòd resurrectio Christi id tollat, sine quo nulla esse

potest

potest remissio peccatorum, sed etiam quòd per eam opus liberationis nostræ à peccatis per Christum præstandum omnibus numeris absolutum reddatur. Unde Apostolus Roman. 8. 34. *Quis est, qui condemnet? Christus Jesus est, qui mortuus est, immò qui & resurrexit.* Quibus verbis mortem & resurrectionem Christi conjungit in nostrâ liberatione à condemnatione; immò quasi gradatim ab illâ ad hanc ascendit.

6. Respondi ad propositionem: etiam assumptionem nego. Apostolum scil. velle Christi resurrectionem exemplar esse justificationis Rom. 4. 24. Eam verò Bellarminus nullo argumento confirmat; nec potest quidem. Nam ubicunque Christi resurrectio proponitur ut exemplar, comparatio similium ab Apostolo instituitur; in quâ cum Christi resurrectione renovatio nostra, vel potius vitæ novitas, quæ in actionibus consistit, comparatur. *Quomodo Christus* (inquit Apostolus Rom. 6. 4.) *resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita nos in novitate vitæ ambulemus.* Hîc autem, nempe Rom. 4. 24. Apostolus Christi resurrectionem loco similitudinis non adducit, sed eam causam esse significat, & ejusmodi quidem causam, ut efficiens esse vel physica, vel moralis per modum meriti intelligatur. Quod etiam præpositio διὰ *propter*, vel *per* indicat; quæ Christo attributa, eum causam esse efficientem ubique significat. Sed de Bellarmini argumento satis multa.

7. Suarez. Idem argumentum proponit Suarez eodem planè modo de grat. part. 3. l. 7. c. 6. n. 25. Quod his enunciatis ab illo comprehenditur. *Restitutionem ad spiritualem vitam singulari modo per Christi esse repræsentatam. Eam restitutionem significari nomine justificationis.* Ex quibus concludit: *Justificationis effectum non in solâ carentiâ mali, sed etiam in positivâ collatione alicujus boni consistere.* Verum ista dicit tantum, quod illi in hac disputatione familiare est, non probat. Nos autem, ut his

assentiamur, non affirmari solum, sed ea probari etiam ad veritatem planè volumus.

CAP. XIII.

De aliis Bellarmini Argumentis.

SEcundum Bellarmini argumentum ¶ Secundò probatur, ita proponitur. Bellarmin. 1.

Si renovatio interna rectè vocetur justitia Rom. 5. tum justificatio in illâ renovatione constituenda est.

At renovatio interna rectè vocatur justitia, Rom. 5.

Ergo justificatio in illâ renovatione constituenda est.

Propositionis consequentiam veram esse concedo, quoniam ex eo pendet, quod Apostolus de illâ justitiâ loquitur, quæ ad justificationem postulatur. Assumptionem nego. Quam ita probat Bellarminus ad illa verba, *opponit justitiam*.

Per justitiam quæ opponitur peccato, intelligitur renovatio interna. 2.

Justitia, dequâ Apostolus Rom. 5. 21. est justitia quæ opponitur peccato.

Ergò per justitiam Rom. 5. 21. intelligitur renovatio internæ.

Nego assumptionem. Apostolus non opponit justitiam peccato, ne illam quidem ad peccatum refert, sed ad gratiam, tanquam instrumentum (ut ita loquar) vitæ æternæ consequendæ. Neque gratiam certè peccato apponit? sed comparatione parium vim & efficaciam gratiæ ad vitam æternam arguit, à vi & efficaciâ peccati ad mortem: quasi diceret, *Quantum valuit peccatum ad mortem; tantum valet gratia ad vitam.* Comparationem autem ab Apostolo institui,

non oppoſitionem, notæ ipſæ oppoſitæ loquuntur: *Sicut, Ita.* quæ ad oppoſitionem ſignificandam à nullo unquam Dialectico, Rhetore aut Grammatico adhibitæ ſunt, ſed ab omnibus, etiam ab Apoſtoli v. 18. 19. ad comparationem indicandam. *Sicut per unius delictum; ſic & per unius juſtitiam. Sicut per inobedientiam unius: ita & per unius obedientiam.*

3. Occamus. Parium verò comparationem eſſe liquet, quia *unum in quantitate* (ut rectè Occamus noſtras in 1. diſt. 19. q. 1. B opinione) *facit æquale.* Quæ Logicorum omnium eſt ſententia. Oppoſitionem non eſſe manifeſtum eſt, quoniam oppoſita ſe mutuò tollunt, ut ſi alterum ſit alterum, alterum non eſſe intelligatur: verbi gratia, Si ſit peccatum, non eſt gratia; ſi ſit gratia, non eſt peccatum. In hac autem Apoſtoli diſputatione ambo termini (ut vocant) ponuntur: ſc. gratia & peccatum; & alterius quantitas à pari alterius quantitate arguitur; ut cuivis ipſa verba intuenti perſpicuum eſt.

4. Cæterum fingamus, ſi placet, juſtitiam & peccatum opponi hoc loco ab Apoſtolo. Id ſi fiat, dico propoſitionem eſſe falſam. Nam juſtitia, etſi remiſſionem peccatorum ſignificet; tamen ſatis rectè opponi poteſt peccato; nimirum ſaltem ut forma privationi formæ opponitur. Sic igitur diſputare Apoſtolus ſentietur: Sicut peccatum nos morti fecit obnoxios: ita gratia per remiſſionem peccatorum nos idoneos conſtituit, qui vitam æternam adipiſcamur.

5. Bellarmin. Tertium Bellarmini argumentum ¶ Rurſus idem probatur, ſic habet:

In quo eſt juſtitia inhærens, ejus juſtificatio in renovatione conſiſtit.

At in homine juſtificato eſt juſtitia inhærens, teſte Apoſtolo Roman. 6. 13. quoniam in eo eſt vita, à quâ bona opera procedunt.

Ergo hominis juſtificatio in renovatione conſiſtit.

Etsi hoc syllogismo ipsa Bellarmini verba non sim complexus: tamen nihil in eo prætermisi, quod argumenti vim ullâ ex parte comprehendat: omniaque magis clara & perspicua feci. Minorem solam propositionem Bellarmin: proposuit, idque his verbis: *Docet in nobis esse justitiam, & per justitiam intelligit aliquid inhærens.* Ejus confirmationem, quæ sequuntur, continent; de quo non litigaverim. Quamvis enim non dicat Apostolus, esse in nobis justitiam, tamen fateor, id ab eo significari, quum affirmet, nos *vivere ex mortuis.* Indicat enim esse in nobis vitam, eâque causâ hortatur, ut utamur membris nostris ad opera justitiæ facienda. Conclusio è priori capitis parte, totaque disputatione colligitur. Quum igitur de assumptione & conclusione constet, quænam esse debeat propositio major, è quâ minorem sumere oportet, non est difficile judicare. Eam ego dico esse falsam. Quid enim, si homo justificatus ipso justificationis momento justitiâ imbuatur, an ex eo consequetur, justificationem ejus in illâ justitiâ consistere? Nihil minus, ut ad Suaris argumentum respondi, cap. 9. n. 4. 5. 6. Sed ea nunc repetere nihil opus est.

6.

Pergo ad quartum Bellarmini Argumentum; Quod habetur §/ Quarto idem.

7. Bellarmin,

Justitia, de quâ Apostolus Rom. 8. 10. est aliquid internum & inhærens: quoniam est justitia, quæ facit nos vivere, & per hoc operari.

Justitia, quâ ut formâ justificamur, est justitia, de quâ Apostolus, Rom. 8. 10.

Ergo justitia, quâ ut formâ justificamur, est aliquid internum & inhærens.

Assumptionem prorsus nego. Eam Bellarminus petit, non probat; quod fortasse ideo facit, quia pro concesso

sumit, justitiam inhærentem, esse justitiam, quâ justificamur, ut forma. At hoc est illud ipsum quod totâ hac disputatione quærimus. Propositionem negaret Franciscus Vatablus Pontificius, qui ad hunc locum ita scribit: *Propter justificationem; id est, quia à Deo per Christum justificationem consequuti estis, i. e. non imputantur vobis peccata.* Justitia igitur, Vatabli judicio, non est aliquid internum & inhærens, sed externũ quiddam, scil. venia vel non imputatio peccatorum. Negaret etiam Cajetanus, qui justitiam interpretatur *Justitiam Christi, quæ satisfecit Deo, solvendo pretium redemptionis humanæ.* Cajetan. ad Rom. 8. 10.

Vatablus, Cajetanus,

CAPUT XIV.

Iu quo ad alia Argumenta Bellarmini respondetur.

1. SEquitur quintum Bellarmini argumentum d. c. 6. ¶ Quinto idem.

Quod vitam animæ præbet, eamque in motu & actione constituit, est aliquid internum & inhærens.

Justitia, unde dicitur justificatio, est id, quod animæ vitam præbet, eamque in motu & actione constituit, Gal. 3. 21. *Si data esset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia.*

Galar, 3, 20,

Ergo justitia, unde justificatio dicitur, est aliquid internum & inhærens.

Mitto propositionem; Assumptionem nego: quam ab Apostolo apertè demonstrari dicit Bellarminus dicit autem solummodo non probat. At probare debuit, non solum dicere. Nam Apostolus quidem id non dicit, ut verba ipsa demonstrant. *Si data Lex,* ait Apostolus, *quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia.* Nos verò tantum Bellarmino non tri-

bui-

buimus, ut quod dicit, id quia dicit, verum esse existimemus. Cæterum Apostolum id non dicere, ne significare quidem, nedum demonstrare, ut affirmat Bellarminus, sic ostendo.

2. Duo complectitur hæc Assumptio; Alterum Justitiam, de quâ loquitur Apostolus Galat. 3, 21. esse justitiam, unde justificatio dicitur: alterum, justitiam, de quâ ibi Apostolus, esse aliquid, quod vitam animæ præbeat. At hæc planè falsa sunt. Ac primum de posteriori ita constat.

Gal. 3, 21.

De illâ vitâ hîc agit Apostolus, de quâ dubitari potuit, an ex lege esset acquirenda. Concludit enim vitam non esse ex lege acquirendam. Nemo autem, nedum Apostolus, id disceptandum proponeret, de quo dubitari omninò non potest; ut rectè de problem. Aristot. Top. l. 1. c. 10.

De vitâ gratiæ dubitari non potuit, An ex lege esset acquirenda. De quo namq; dubitari potuit, an ex lege esset acquirendum, de illo dubitari potuit, an ex legis observatione esset acquirendum: Nam quicquid ex lege acquiri potest, ex ejus observatione est acquirendum; quum lex non operetur per modum rei physicæ. Jam verò de vitâ gratiæ dubitari non potuit, an ex legis observatione esset acquirendâ. Est enim per se luce clarius, nec ullum esse pactum de vitâ gratiæ illi per Christum largiendâ, qui legem præstiterit, & illum qui legem custodiat, vitâ gratiæ opus non habebere: quoniam vitâ æternâ legem præstantibus debetur, tanquam merces illius præstitæ Levit. 18. 5. Rom. 10. 5. *Qui fecerit ea homo, vivet in eis,* Rom. 4. 4. *ei qui operatur, merces imputatur ex debito.* Ergo Apostolus Galat. 3. 21. non agit de vitâ gratiæ, id est, justitia, unde justificatio dicitur; Ac proinde falsa est assumptio.

Lev: 18. 5.
Rom: 10. 5.
Rom. 4. 4.
Galat. 3. 21.

3. Quæret autem fortasse aliquis, de quâ tandem vitâ in illo loco agat Apostolus. Respondeo, loqui illum de vitâ gloriæ. De illâ enim non sine causâ dubitari potuit, utrum ex legis observatione esset comparanda? quoniam Deus ex pacto

legem observantibus vitam æternam pollicitus fuerat. Atq; inde factum est, ut Judæi vitam æternam, propter legem ab ipsis (ut putabant) præstitam, à Deo exspectaverint. Quem illorum errorem Apostolus multis argumentis, & in hac epistolâ ad Galatas, & in illâ ad Romanos & demonstrat, & refellit. Ac, ne abeam longius, hoc ipso cap. 3. probat Apostolus, *Hæreditatem*, id est, typicè, vitam æternam, *non esse ex lege*. Et Rom. 4. 14. *Si qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio.* Hoc autem, sc. ut vitam æternam per legem adipiscantur homines, non esse in legis potestate, rectè affirmat Apostolus, quoniam ante legem latam, omnes jampridem peccaverãt. *In omnes homines mors pervasit, in quo omnes peccaverunt*. Rom. 5. 12. *Eramus naturâ filij iræ, ut etiam reliqui*, Ephes. 2. 3. Peccatores igitur nos omnes deprehendit lex: quæ propter transgressiones posita est: neque ab iis liberare nos potuit.

Rom: 4, 14, Rom: 5. 12, Ephes: 2, 3, Galat: 3, 23 Act: 13, 39,

4\. Reliquum est, ut de altero è duobus illis enunciatis, quæ illâ assumptione dixi comprehendi, verba faciam. Est autem hujusmodi: *Justitia, de quâ Apostolus Gal. 3. 21. est justitia, unde justificatio dicitur.* Justificationis verò nomine justificationem impij intelligimus in hac omni disputatione. Atq; hoc sensu hanc enunciationem falsam esse contendo; idque hoc argumento.

Galat: 3, 21,

Ubi de justitiâ, quæ in lege patefacta est, & per legem consequenda, loquitur Apostolus, non loquitur de illâ justitiâ, unde justificatio impij dicitur. Nam justitia, quæ in lege patefacta est, & per legem acquirenda, rectè factis continetur. *Sic enim* (teste Apostolo Roman. 10. v. 5.) *Moses describit justitiam, quæ est ex lege, quod Qui præstiterit ea, vivet per illa*. Justitia verò, quæ justificat impium, mutationem facit, ut ex non justo justus fiat.

Rom: 10. 5,

At hoc loco de justitiâ, quæ in lege patefacta est, & per

legem consequendam, loquitur. Dubitari enim non potest, quin eodem sensu de justitiâ in prædicato propositionis disserat, in quo de vitâ æternâ in subjecto ejusdem loquutus fuerat. Nam in eo sensu de justitiâ loquitur, in quo medium quoddam esse ad illum finem, sc. vitam æternam consequendam, intelligi queat: quoniam negando justitiam per legem esse adipiscendam, vitam æternam per eandem legem esse comparandam negat. In subjecto verò, sive antecedente propositionis parte, de vitâ æternâ per legem acquirendâ differuerat. Ex his emergit id quod volumus, Apostolum scil. Galat. 3. 21, non loqui de illâ justitiâ, à quâ justificatio impij dicitur.

Porrò ex loco Gal. 3. 21. ita disputat Suarez de grat. part. 3. l. 7. c. 7. n. 8. his verbis: *Quæ illatio in hoc fundatur, quod ipsa justitia est forma, quæ interius hominem vivificat.* Ad id prius dixerat Bellarminus; nec quidquam adfert Suarez, quod Bellarminus antea non attulerat. Eadem enim est hæc Suaris affirmatio, & illa Bellarmini Assumptio. Ita Bellarminus.

5. Suarez.

Bellarmin.

Justitia, unde dicitur justificatio, est id, quod vitam animæ præbet, eamq; in motu & actione constituit. Ita etiam Suarez:

Suarez.

Ipsa justitia est forma, quæ interius hominem vivificat.

Suarem igitur missum facio, ne quod multis verbis disserui, id videar sine causâ repetere.

Superest sextum Bellarmini argumentum. ¶ Sexto, idem probatur:

6.

Induere novum hominem, est renovari in spiritu, quoniam Apostolus Eph. 4. 23, 24. explicat Renovari in spiritu, per illud Induere novum hominem creatum in justitiâ & sanctitate.

Justificari est induere novum hominem.

Ergo justificari est renovari in spiritu.

Majorem hujus Syllogismi propositionem quæ nihil habebat dubitationis, duabus rationibus confirmat Bellarminus: Ad minorem probandam, quæ ne probabilis quidem est, nisi justificationem idem esse cum sanctificatione pro concesso sumas, quod est principium petere, nihil adfert, ex quo de illius veritate constare possit. Quamobrem syllogismum hunc, utpote qui imbecillis sit, non oppugno.

CAPUT XV.

De aliis Bellarmini Argumentis, quæ cap. 6. à ratione peti dicuntur,

1. A Ratione ita disputat Bellarminus d. c. 6. ¶ *Accedat ad hæc testimonia ratio naturalis.*

Motus de peccato ad justitiam non potest intelligi esse vera justificatio, nisi vera justitia acquiratur. Etenim justificatio nomen capit à termino ad quem ducit.

Justificatio est motus de peccato ad justitiam.

Ergo justificatio non potest intelligi esse vera justificatio, nisi vera justitia acquiratur.

2. Quid, si in Bellarmini gratiam totum Syllogismum concedam? De quo certè nullo modo litigaverim, quum verba, quibus utitur in eo Bellarminus, de justitiâ indefinitè loquantur, non de hac aut illâ particulari justitiâ.

3. Veram quoniam esse eam Bellarmini sententiam intelligo, ut justitiæ vocabulo quiddam inhærens in animâ significet, quo subjectum aut forma afficiatur, & formatur; nego totum antecedens, id est, utramque præmissarum. Ac primum propositionem nego: Justificatio per solam remissio-

nem peccatorum, eſt quidam motus à peccato ad juſtitiam, quo moraliter mutatus eſſe homo intelligitur, ut non amplius peccator, ſed à peccato abſolutas, venia delictorum impetrata ſentiatur: de quo plura dicam cap. 31. Hoc ſenſu dico propoſitionem eſſe falſam. Nam hæc juſtificatio, quæ impij eſſe dicitur, non fit per aliquod donum inhærens, quod ſubjectum per modum formæ, afficiat atque informet, ſed per externam condonationem, quæ ſuo modo vera eſt juſtitia; ut oſtendi part. 1. lib. 2. cap. 7. 8. Aſſumptionem hoc ſenſu intellectam veram eſſe agnoſco.

4. Cæterum quùm Bellarminus juſtificationem motum eſſe phyſicum, quo homo juſtificatus interius formetur juſtitiâ quâdam inhærente ſentiat; dico Aſſumptionem eſſe falſam. Quæ Bellarmino probanda erat, non ſolùm affirmanda, quum eam à nobis perpetuò & conſtanter negari intelligeret. At id non facit; ne conatur quidem rem tanti momenti, quæ cauſam ipſam contineat, probare.

Secundum Bellarmini Argumentum à ratione naturali ductum. ¶ Deinde; ita inſtituendum eſt.

Si juſtificatio ideò nobis confertur à Deo, ut præmia vitæ cœleſtis acquiramus, tum in renovatione conſiſtit. Nam ſola remiſſio peccatorum non tribuit gloriam.

At juſtificatio ideò nobis confertur à Deo, ut præmia vitæ cœleſtis acquiramus.

Ergo juſtificatio in renovatione conſiſtit.

5. In antecedente hujus connexi axiomatis parte pro conceſſo ſumitur, Eſſe in nobis donum aliquod inhærens, ideò à Deo in nobis collatum, ut per illud immediatè præmia vitæ æternæ conſequamur. Quod à nobis negari Bellarminus ignorare non potuit. Sed iſta ſciens ac volens prætereo, ne ad controverſiam à re, quà de agitur, alienam abduci me patiar. Tantum illud dico, ne ipſorum quidem Pontificiorum judicio vitam æternam acquiri, ut præmium ex dono aliquo in-

Con: Trid: hærente. Eam enim *proponendam esse* dicunt (sess. 6. c. 16.) *tanquam gratiam filiis Dei per Jesum Christum misericorditer promissam.*

6. In antecedente propositionis parte (ut significavi) & in assumptione, intelligendum est, Præmia vitæ cœlestis acquiri per donum illud inhærens immediatè. Id enim indicat consequentiæ confirmatio.

Venio ad Assumptionem, eamque falsam esse dico. Nam præmium proximè & immediatè pendet ex eo, propter quod confertur. vita verò cœlestis ex justificatione pendet mediatè, immediatè ex adoptione, ut dixi p. l. 2. c. 19. n. 5.

7. Verùm Assumptionem illam tribus argumentis confirmat Bellarminus, quorum primum ita concludo.

Cui vita cœlestis ut finis proponitur, id confertur nobis à Deo, ut præmia vitæ cœlestis consequamur.

Justificationi vita æterna ut finis proponitur, Rom. 6, 22.

Ergo justificatio confertur nobis à Deo, ut præmia vitæ cœlestis consequamur.

In propositione sumitur pro concesso, vitam æternam non posse esse finem justificationis, nisi per modum præmij. De quo non disputaverim, quoniam ab ea re, de quâ disserimus, alienum est, ut ad propositionem prioris Syllogismi n. 5. respondi. Minor propositio falsa est, ne verisimilis quidem, nisi pro concessis sumantur, & Apostolum loqui in illo loco de sanctitate interiori sive renovatione, & Justificationem idem esse cum sanctificatione. At hoc posterius, ut sæpe monui, illud ipsum est, qnod hac disceptatione quæritnr: ideoque hîc disputandi modus, in quo tam creber est Bellarminus, nihil aliud est, nisi petitio principij. Prius etiam illud à veritate abhorret. Nam Apostolus non loquitur Rom. 6. 22. de internâ renovatione aut sanctificatione, sed de sanctis operibus, quos fructus esse dicit servorum Dei. sanctificationem igitur Vatablus ad hunc locum interpretatur, *puram vitam.* Tho-

Vatablus,

mas autem magis perspicuè loquitur ad Rom. 6. l. *Ipsa sanctificatio, hoc est executio sanctitatis per bona opera est fructus vester.* Unde Sedulius in Collect. ad hunc locum dicit *fructus esse opera Justitiæ.* Et Primasius exponit *sanctitatem bonæ vitæ.* Alterum Bellarmini argumentum tale est.

Thomas, Sedulius. Primasius,

8.

Si vita æterna sit effectus justificationis, tum justificatio ideò cōfertur nobis à Deo, ut pręmia vitę æternę acquiramus.

At vita æterna est effectus justificationis: ut ipsa justificatio vocationis, & vocatio prædestinationis.

Ergò justificatio ideò confertur nobis à Deo, ut præmia vitæ æternæ acquiramus.

In consequenti hujus propositionis parte sumitur, quod positio illa n. 5. sumebat, nimirum, *Esse in nobis donum aliquod inhærens à Deo collatum, ut per id immediatè vitæ æternæ præmia acquiramus*; de quo ad illam propositionem satis multa disserui. Jam hujus propositionis consequentia hoc fundamento nititur; Effectum justificationis, & præmium justificationis idem esse; quod à veritate alienum est. Nam vita æterna potest esse effectus justificationis, ut tamen ejus esse præmium non intelligatur. Si enim de absolutâ Dei potentiâ loquamur; quid impedit, quo minus Deo liceat, illi vitam æternam donare, cui peccata sua condonavit, etsi nullum illi donum inhærens impertiatur? De quo summus est Theologorum ferè omnium consensus, ut ostendi p. 1. l. 2. c. 6. n. 3.) Sin autem de ordinatâ Dei potentiâ disseramus, qui dicit Deum constituisse, ut vita æterna sit effectus justificationis per modū præmij, is principium petit. Est namq; ipsa assumptio n. 5. quam hoc, & aliis argumentis probare conatus est Bellarminus.

9.

De assumptione respondeo, vitam æternam esse effectum justificationis, & tale quidem effectū, quale vocatio est prędestinationis vocatio autē prędestinationis effectus est, non per modū meriti, aut formalis alicujus proportionis, sed ex solâ

Dei constitutione, quâ fit, ut *quod in ordine dispensationis præcedit* (quemadmodum optimè Calvinus Instit. lib. 3. c. 14. n. 21.) *posterioris causa nominari queat: & prior gratia, quæ quasi gradus est ad sequentem, ejus causa quodammodo fiat.*

Ultimum Bellarmini argumentum ¶ Denique, sic habet:

10. Quod facit amicos, filios, dilectos, cives sanctorum, domesticos Dei, hæredes regni, id infusione virtutum constat: ob quas homo dignus tam insignibus appellationibus habeatur.

Justificatio facit amicos, filios, dilectos, cives sanctorum, domesticos Dei, hæredes regni.

Ergo justificatio virtutum infusione constat.

Propositionem prætereo, ejusque probationem; de illis in adoptionis tractatione disputaturus: quam virtutum infusione non constare, suo loco, Dei auxilio, perspicuum faciam.

Bellarmin. Quod autem dicit Bellarminus, *infusionem virtutum facere amicos, filios, dilectos, &c.* id hanc habet sententiam: Hæc omnia & singula esse formales effectus illius infusionis, & ex naturâ rei absolutè consequentes, ut ipse declarat cap. 16. ¶ Ad hæc omnia. & ¶ Tertius effectus. In hoc sensu dico Assumptionem esse falsam. Scripturæ neque passim (quod Bellarminus ait) neque usquam (quod audeo dicere) affirmant, nos justificatione fieri amicos, filios, dilectos, &c. Si quisquam Pontificiorum ex ullo scripturæ loco id dicere Spiritum sanctum ostendere conetur, dabo operam, ut ad ea, quæ attulerit, respondeam. Qnod dum ab iis fiat, nihil est in hoc argumento, quod à nobis responderi necesse sit, aut possit amplius.

11. Hactenus ad ea Bellarmini & Suaris argumenta respondi, quibus probare voluerunt, donum aliquod infusum & inhærens requiri, ut formale in justificatione. Quorum pleraque omnia ita sunt instituta, ut vel ex solâ ipsorum autori-

tate pendeant, vel principium petant. Quæ quidem disputandi ratio talis, ut copiam argumentorum suppeditare possit, nec multum ingenij aut eruditionis desideret.

CAPUT XVI.

De aliis Argumentis; quæ ducuntur à naturâ justitiæ.

A Naturâ justitiæ, quam Deus nobis in justificatione largiri dicitur, ad hunc modum Suarez disputat p. 3. l. 7. c. 7. n. 19.

1. Suarez.

Si Deus infundat hominibus justis gratiam inhærentem, & hæc gratia includat omnia necessaria ad constituendum hominem justum, tum illa justitia est intrinseca forma justificans, seu constituens hominem justum.

At Deus infundit hominibus justis gratiam habitualem inhærentem, & hæc gratia includit omnia necessaria ad constituendum hominem justum.

Ergo hæc gratia est intrinseca forma justificans seu constituens hominem justum.

De propositione non laboro, assumptionis primam partem concedo: scil. *Deum habitualem quandam gratiam nobis infundere*; qualem nempe Calvinus describit Instit. lib. 3. c. 11. num. 9. *Fatemur*, ait Calvinus, *quòd Deus per spiritum suum sanctum in nobis inhabitet, cujus virtute concupiscentia carnis nostræ magis ac magis indies mortificatur, & nos sanctificamur, h. e. consecramur Domino in veram vitæ puritatem, cordibus nostris in legis obsequium formatis; ut hæc sit præcipua nostra voluntas, voluntati ejus servire.* Ejusmodi verò habitualem gratiam, qualem illi somniant, nobis infusam esse pernegamus. Eam nobis infundi probandum erat, non solum affirmandum, ut de illius veritate constare posset.

Calvinus.

Alteram ejusdem assumptionis partem prorsus nego. *Habitualis gratia nobis à Deo infusa non includit omnia necessaria ad constituendum hominem justum.* Non est enim nostra absoluta & perfecta, sed imperfecta inchoata. *Id ita esse* (ut Bellarmini verbis utar de justif. l. 4. c. 18. ¶ id ita) *non esset nobis necesse probare, quum sententiam suam Pontificij nullâ ratione confirment*: verùm ut hæc à nobis non sine ratione negari appareat, ita disputamus.

Bellarmin,

2.

Justitia nostra perfecta omnes animæ potentias penitus informat, vires justè operandi suppeditat, secundùm totam earum capacitatem, & de facto disponit hominem ad omnes etiam supernaturales leges servandas.

Justitia nostra habitualis nobis à Deo infusa non penitùs informat omnes animæ potentias, nec vires operandi suppeditat secundum totam earum capacitatem, nec de facto disponit hominem ad omnes etiam supernaturales leges servandas.

Ergo justitia nostra habitualis nobis à Deo infusa non est perfecta.

Propositionem majorem nullâ indigere confirmatione, existimo: quoniam ipsi Pontificij ita describunt justitiam nostram habitualem, quam perfectam esse contendunt, ut ostendi cap. 8. Atque hoc etiam res ipsa loquitur. Quid enim est perfectum, nisi ut cui nihil desit, quod ad constitutionem ipsius in illo genere postulatur? Minores partes singillatim probabo, ac primum membrum ejus postremum hàc ratione confirmo.

3.

Qui per gratiam habitualem de facto dispositus est ad omnes etiam supernaturales leges servandas, is, saltem interdum aliquid operatur, quod cum lege absolutè consentiat. Neq; enim existimandnm est, Deum homini vires operandi suppeditare, quibus nullo unquam tempore utatur: immò, quibus quasi invitis, & repugnantibus, semper à lege, aliquâ saltem ex parte aberret.

At

Calvinus.

At nemo unquam aliquid operatur, quod cum lege absolutè consentiat. Nam (ut verè Calvinus Inst. l. 3, c. 14. n. 9.) *quod optimum à justis proferri potest, aliquâ tamen semper carnis impuritate respersum, & corruptum est, ac tanquam aliquid fæcis admixtum habet.* Et c. 17. n. 5. *Piorum mortali corpore circumdatorum opera bona inchoata duntaxat sunt, & carnis vitium redolentia.* Quod ita certum est & clarum, ut nullus, qui se suaq; facta omnia & singula paulò diligentius excusserit, de illo dubitare possit. Quotus enim quisque reperitur, qui se *Deum ex toto corde suo, ex totâ animâ suâ, ex totâ mente suâ, & ex totâ virtute diligere*, audeat, non dico profiteri, sed vel leviter existimare? Dilectio namq; omnium mandatorum, quæ saltem ad Deum referuntur, observationem significat. Nam in his officiis, ex hoc præcepto primo sc. & maximo, pendent Lex & Prophetæ, Matth. 22. 38. 40. Marc. 12, 30.

4.

Ergo nemo per gratiam habitualem, de facto dispositus est ad omnes leges etiam supernaturales servandas.

Cæterùm, ut ista, quæ disserui, vera esse, magis perspicuum fiat, ad ea, quæ contra hæc disputat Bellarminus, sequenti capite respondebo.

CAP. XVII.

De Bellarm. Argumentis, quibus probat Legem perfectè servari posse, & esse servatam.

1.

LEgem Dei Decalogo comprehensam perfectè servatam esse de facto probat Bell. de justif. l. 4. c. 15. exemplo Jobi.

In quibus operibus non peccavit Jobus, in iis operatus est aliquid, quod cum lege absolutè consentiat.

In illis, de quibus agitur Job. 1. 22. Jobus non peccavit.

Ergo in illis, de quibus agitur Job. 1, 22. Jobus operatus est aliquid, quod cum lege absolutè consentiat.

In propositione de iis operibus agi judicamus, quæ, quod genus ipsorum attinet, lege Dei vel præcepta sunt, vel prohibita. Quo posito ad Syllogismum respondeo, distinguendo. Dici potest aliquis Non peccare, vel absolutè, vel quodam modo. Si priori sensu intelligatur Non peccare, concedo propositionem Jobum sc. in quibus operibus nihil ullo modo peccavit, in illis operatum esse aliquid, quod cum lege Dei absolutè consentiat.

In hoc sensu assumptionem nego. Neque enim dicit Spiritus sanctus Jobum nullo modo peccasse, sed certo quodam modo non peccasse; nimirum, *Deo in faciem benedicendo*. i. e. Deo apertè maledicendo: quod facturum ipsum, Diabolus mendax affirmaverat, v. 11. Et hunc quidem esse hujus vocis sensum hoc loco affirmat Thomas ad cap. 1. Jobi lect. 4. *Non peccavit, ut scil. per verba impatientiæ motum exprimeret.* Quæ videtur etiam fuisse sententia Veteris Interpretis, qui ita vertit, *In omnibus his non peccavit Job labiis suis.*

Thomas.

2.

Non peccavisse Jobū alio argumento contendit Bellarm:

Si Jobus peccavisset, Deus ipse quodammodo à Satanâ superatus fuisset. Nam Satan nihil aliud quærebat tot suis tentationibus, nisi Jobum ad peccandum inducere. Deus autem illa omnia tentamenta permisit, ut patientia & virtus sancti viri demonstraretur.

At Deus nullo modo à Satana victus est.

Ergo Jobus non peccavit.

Si peccare in antecedenti propositionis parte significet *Maledicendo Deo* peccare, quod Satanas facturum Jobum affirmaverat, v. 11. conclusionem. Jobum sc. non peccâsse maledicendo Deo. Sed hoc non probat id quod quærebatur. Deinde consequentiam propositionis nego. Etenim si Jobus ita peccasset, perspicuum fuisset, Deum non statuisse voluntate efficaci, illum ab eo peccato sartum tectum conservare; ac proinde non fuisse à Satanâ superatum.

Sin

Sin autem vox peccasse generatim sumatur, ut significet ullâ ex parte peccasse, tamen eandem consequentiam nego. Neque enim aut Bellarminus, aut quisquam alius probaverit, Deũ voluntate efficaci statuisse, sanctos & justos homines ab omni prorsus peccato immunes custodire. Quod quidem ipsius Jobi exemplo manifestũ est, quem in nonnullis deliquisse Deus ipse proclamat Job. 38. 2. *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Et vir sanctus cõfitetur Job 42. 3. *Insipienter loquutus sum, & quæ ultra modum excedunt scientiam meam.* Et v. 6. *Idcirco ipse me reprehendo & ago pœnitentiam in favillâ & cinere.* Neque tamen ex his quisquam concluserit, Deum à Satanâ fuisse superatum, quod Bellarminus satis audacter pronunciat.

3. Sequuntur apud Bellarminus d. c. 15. alia septem argumenta, quæ nec ullius sunt ad hanc rem, quam agimus, momenti, & ad aliam controversiam pertinent. De illis, si sit opus, suo loco disseremus.

CAPUT XIIX.

In quo Minor Propositio Syllogismi Capit. 16. Propositi alio argumento probatur.

1. Redeo nunc ad propositionem illam minorem, quam capite 16. n. 2. proposui; quæ sic habet; *Justitia habitualis nobis à Deo infusa non penitùs informat omnes animæ potentias, nec vires operandi suppeditat, secundum totam earum capacitatem, nec de facto disponit hominem, ad omnes etiam supernaturales leges servandas.* De postremo membro dixi cap. 16. n. 3. jam duo priora ejusdem membra confirmabo.

Si gratia habitualis nobis à Deo infusa omnes animæ potentias penitùs informet, & vires justè operandi suppeditet, secundùm totam earum capacitatem, tum nulla in justificatis hæret concupiscentia; id est, nulla pronitas ad malum, nec primi ad illud motus. Ea namq; est gratiæ natura, ut huic concupiscentiæ resistat, præveniens illos motus ne aliquando oriantur, quemadmodum in Adamo factum esse intelligimus, ; qui propter gratiam ipsi à Deo infusam, & in ipso inhærentem, à pronitate illâ, & primis ad malum incitamentis liber fuit. Quod Suarez confitetur, quum dicat de grat. p. 3. l. 7. c. 7. n. 8. 9. *Deum contulisse Adamo, priusquam caderet, donum merè gratis datum, quo omnes concupiscentiæ motus rationem prævenientes, excitari non sinat.* In quam etiam sententiam Bellarminus dicit, *Concupiscentiam illam, quæ est propensio ad omnia vitia, non potuisse nasci, nisi remoto justitiæ originalis dono:* de grat. primi hominis cap. 6. ¶ Tertia ratio. Illud autem ejusdem Bellarmini clarius d. c. 6. ¶ Prima ratio. *Quod primi parentes nostri, ante peccatum, pugna ista diversarum appetitionum carerent, donum erat supernaturale.* Et ¶ Omitto. *Nulla potest reddi causa corruptionis nostræ naturæ, & concupiscentiæ, qui est fons omnium tentationum, præter divinam justitiam dono spirituali hominem spoliantem, tanquam removentem prohibens.*

Suarez, Bellarmin.

2\. Deinde Gratia & Concupiscentia naturâ suâ sunt inter se opposita, vel Pontificiorum ipsorum judicio, ut ex his, quæ sequentur, satis constat.

Bellarmin. *Concupiscentia est fons omnium tentationum.* Bellarminus de gratiâ primi hom. c. 6. ¶ Secunda ratio.

Suarez, 1. *Gratia est principium justè operandi.* Suarez de grat. p. 3. l. 6. cap. 2. n. 11. Idque primum d. l. 6. c. 4. n. 2.

Bellarmin, *Concupiscentia est naturæ nostræ corruptio.* Bellarminus de grat. primi hom. c. 6. ¶ Porrò sanctus.

Bellarmin. 2. *Gratia est sanitas voluntatis.* Bellarm. de amiss. grat. l. 5. c. 5. ¶ Sed tota.

Con-

Concupiscentia est propensio ad omnia vitia. Bellarm. de grat. primi hom. c. 6. ¶ Tertia ratio. — Bellarmin.

Potentia prona ad malum, Bellarmin. de amiss. grat. l. 5. c. 7. ¶ Jam igitur. — Bellarmin.

Potentia animæ vitiata, sive deordinata. Bellarmin. d. l. 5. c. 3. ¶ Sed in hac. — Bellarmin:

Deordinatio quædam & perversitas naturæ. Bellarmin. d. l. 5. c. 12. ¶ Quod ad. — Bellarmin.

3. *Gratia est tota rectitudo ordinis,* Thomas 1. 2. q. 113. art. 1. ad 2. — Thomas,

Rectitudo totius hominis. Dom. Sotus de nat. & grat. l. 1. c. 26. — Sotus.

In voluntate originaliter, in aliis partibus, quasi rectificatis, sicut in subjecto. Thomas in 4. dist. 17. q. 1. art. 1. ad 1. — Thomas.

Quum igitur tanta sit inter gratiam & concupiscentiam oppositio, fieri non potest, ut hæc in ullâ parte hominis hærere intelligatur, si illa animam informaverit secundum totam capacitatem potentiarum ipsius. Jam consequentia propositionis ad hunc modum confirmata assumo.

3. Con: Trid: Atin justificatis hæret concupiscentia; teste Concilio Tridentino sess. 5. decret. 5. *Manere in baptizatis concupiscentiam, hæc sancta Synodus fatetur & sentit.* Cui se adscribit Bellarmin. de amiss. grat. l. [illegible] c. 10. ¶ Rursus. *Constat ex Scripturis concupiscentiam in justificatione non tolli.* Bellarmini sententiam Suarez sequitur de grat: p. 3. l. 9. c. 7. n. 10. Ex istis emergit conclusio. — Bellarmin. Suarez,

Ergo Gratia habitualis nobis à Deo infusa non penitùs informat omnes animæ potentias, & vires justè operandi suppeditat, secundum totam earum capacitatem.

CAPUT XIX.

Suaris Argumenta pro perfectione justitiæ infusæ perpenduntur.

1. RESpondi hactenus ad minorem propositionem hujus Syllogismi, quem cap. 16. in initio à Suare proposui. Quam quidem, ut antea significavi, ab illo probari æquum erat, vel potius necessarium, quum rem ipsam ferè & causam contineat. Verum id nusquam facit: tantum nostram responsionem sibi refellendam proponit. Id quo modo præstiterit, statim expendemus. Cæterum ut eam optimè refutasse existimetur: tamen eâ ratione id, quod instituit, non probaverit, quo minus de veritate illius propositionis cuique dubitare liceat. Videamus tamen quid adferat.

2. Respondent nostri Theologi, *Justitiam illam habitualem esse imperfectam.* Cui Suarez contradicere voluit his verbis de grat. part. 3. lib. 7. cap. 7. n. 21. *Justitia habitualis est essentialiter integra & vera justitia.* Hoc autem probare conatur n. 22. tali argumento.

Quæ Justitia satis est, ut homo illâ indutus possit in divino judicio sisti, & verè justus judicari, illa est essentialiter integra & vera justitia.

At justitia habitualis à Deo infusa satis est, ut homo illâ indutus, possit in divino judicio sisti, & verè justus judicari.

Ergo justitia habitualis à Deo infusa est essentialiter integra & vera justitia.

3. Ego certè de hac conclusione non multum laboro. Nihil enim attinet ad id, quod agitur. Etenim non quæritur, quæ sit hujus justitiæ essentia; id est, qualis sit abstractivè (ut loquun-

quuntur) & in se considerata, sed qualis sit concretivè, quatenus format nos, & ad justificationem aptat, ut justi pronunciemur: scil. quatenus est nostra justitia. Nam ita quæstionis status ab ipsis Pontificiis proponitur cap. 8. n. 4. 8. Verùm ut conclusio id, quod quæritur, complectatur, dicendum est, Justitiam habitualem à Deo infusam esse nostram, vel hominis integram & veram justitiam, non Esse integram & veram essentialiter.

Conclusione ad hunc modum propositâ, & prædicato propositionis ad eundem modum institutâ, respondeo ad Syllogismum, ac primùm ad propositionem quæ sumit pro concesso, Justitiam, quâ homo ex impio fit justus, esse illam justitiam secundùm & propter quam Deus illum justum pronunciet. Quod ego quidem cum Calvino, aliisque nostris Theologis concedo. *Huc huc* (inquit Calvinus Instit. lib. 3. c. 12. n. 1.) *referenda mens est, si volumus de verâ justitiâ cum fructu inquirere, quomodo cœlesti judici respondeamus, quum nos ad rationem vocaverit.* Eodem modo loquitur d. l. 3. cap. 14. n. 15. Quare de hujus propositionis veritate non contenderim.

3.

Calvinus.

Propositione concessâ nego assumptionem: atque eò quidem confidentius, quod Bellarminus, qui omni studio ac contentione in eam curam incumbebat, ut justitiæ inhærentis dignitatem ac vires explicaret, amplificaret, ac tueretur, nusquam illi tantas vires tribuere ausus fuerit. Neque enim fieri potest, ut hoc argumentum aut illum fugerit, aut in mentem illi non venerit, quum Lutherus, Melanchthon, Calvinus, & Chemnitius, quos refutandos sibi proposuit, eâ potissimum causâ nos infusâ & inhærente justitiâ justificari non posse contendat, quod illa in nobis ita imperfecta sit, ut in Dei conspectum, quum ad judicandum accedat, prodire non audeat. Fecit igitur vir callidus, ut quod refutari non posse intelligebat, id sibi ne objiceret: quod probari posse diffideret. ab eo proponendo abstineret.

4. Bellarmin.

Lutherus. Melanchth. Calvinus. Chemnit.

5. Suarez autem ſatis profectò confidenter id affirmat, quod quum eſſet maximi momenti, & ſummam haberet dubitationem, ne conatus quidem ſit probare. Quod certè nunquam feciſſet homo doctus & diligens, niſi planè perſpectum habuiſſet, nihil adferri potuiſſe, quod lectione dignum judicaret. De quo dubitare non poteſt, qui ea diligenter perlegerit, quæ de Condeterminatione voluntatis, & ſcientiâ conditionatâ contra Dominicanos, ſine magnâ probabilitate, ſubtilitèr tamen & cum ſummâ contentione, diſputaverit; ita ut nihil penè ad eam controverſiam diſceptandam excogitari poſſe videatur, quod ab illo fuerit prætermiſſum. Eâdem diligentiâ ubique utitur, ut nihil ferè non probet, quod ullâ ratione probari poſſe confidat. Quare magno argumento eſt, quum Suarez hanc Enunciationem probare non ſit conatus, eam nihil prorſus probationis admittere.

6. Cæterùm quæret fortaſſe aliquis, quare huic habituali juſtitiæ tantopere à Pontificiis celebratæ confidere nolimus, ut eam in judicio Dei ad nos juſtificandos ſiſtamus. Is ſic habeat. Illam à nobis repudiari, primum propter naturalis noſtræ pravitatis conſcientiam, quam ita lamentabili voce homines juſtificati deplorant atque deflent; & à quâ tanto opere cupiunt liberari. *Video* (inquit ſanctiſſimus Apoſtolus Rom. 7. 23. 24.) *Legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati: Miſer ego homo, quis me liberabit ex hoc corpore mortis?*

7. Deinde quia Spiritus ſanctus nuſquam in ſacris literis eam nobis juſtitiam proponat, quâ freti in judicio Dei conſiſtere debeamus, aut audeamus: ſed aliam juſtitiam, nempe veniam peccatorum, ſæpiſſimè inculcet, tanquam hominis juſtificati, quatenus juſtificatus eſt, beatitudinem, quam quũ in judicio Dei proferamus, neceſſe eſt ut juſtificemur. Nam quem Deus juſtificat, eum nemo reum facere, nedum peragere poterit. *Quis intentabit crimina adverſus electos Dei? Deus eſt qui juſtificat*, Rom. 8. 33.

Ac-

8\. Accedit eodem patrum antiquorum consensus, qui infusæ huic & inhærenti suæ justitiæ confidere non sunt ausi, sed eâ sepositâ totos se Dei misericordiæ dediderunt, ut veniam peccatorum consequuti, justificati, justificatos se esse intelligerent. Eorum testimonia in hanc sententiam cap. 24. n. 11. recensebo.

9\. Deniq; in eadem fuerunt sententiâ Theologi scholastici multi & clari, qui hujusmodi esse hanc justitiam in nobis inhærentem arctè tenent, accurateq; defendunt, ut à Dei indulgentiâ & condonatione, non à suâ dignitate omnem justificandi vim mutuari necesse habeat, quũ naturâ suâ nos Deo gratos non reddat, sed ex Dei ipsius acceptatione. In hac sententiâ fuerunt, ut fatetur Suarez de grat. p. 3. l. 7. c. 1. n. 6.) Nominales, quos vocant in 1. dist. 17. Occam sc. q. 1. lit. M. Gabriel q. 1. art. 2. concl. 3. Gregor. q. 1. art. 2. concl. 2. Pet. de Aliaco q. 9. art. 2. conclus. 3. Durandus q. 1. n. 7. 8. 9. Multos alios recenset Vasques in 1. 2. disput. 204. n. 1. 2. 3.

Suarez. Occhanus, Pet. Aliaco Durandus.

10\. Sed de propositione satis multa. Venio ad assumptionem, eamq; nego, quoniam justitia habitualis non potest esse ratio, quare Deus nos justos pronunciet, quum de lege servatâ vel violatâ quæratur. Quod quidem perspicuum fiet, si Deo placuerit, quum ad ejus rei tractationem pervenerimus.

Sequitur alterum Suaris arg. d. n. 22. ad illa verba, *Unde in eo.*

Quod justitiam essentialiter imperfectam reddit, id illam maculat, aut immundam reddit, & denominat.

Concupiscentia justitiam non maculat, neque immundam reddit, & denominat.

Ergo concupiscentia non reddit justitiam essentialiter imperfectam.

11\. Eodem vitio laborat hujus syllogismi complexio, quo illa prioris laborabat. De utraq; igitur eadem est existimatio, ut istam conclusionem nos non negemus. Neq; enim dicimus, concupiscentiam reddere justitiam imperfectam per modũ

cau-

causæ aut essentialiter, aut quatenus est nostra justitia, sed illud affirmamus, Concupiscentiam arguere hanc justitiam non esse nostram perfectam justitiam, idque facere per modum oppositionis, ut luculenter ostendi cap. 18. n. 2. Quamobrem nec propositio, nec assumptio ad eam rem quâ de agitur, quicquam pertinet; quum de iis nihil à nostris Theologis, aut in hanc, aut in illam partem soleat disputari.

12. Assumptionem tamen ita confirmat Suarez.

Quod 1. est in carne, 2. constituit hominem carnalem & imperfectum quoad statum, 3. & est forma diversæ rationis à justitiâ subjectum fœdans, non potest inficere, maculare; & immundam reddere gratiam.

Concupiscentia 1. est in carne, 2. constituit hominem carnalem, & imperfectum quoad statum, 3. & est forma diversæ rationis à justitiâ subjectum fœdans.

Ergo concupiscentia non potest inficere, maculare, & immundam reddere gratiam.

Propositionem mitto. De assumptione ad opinionis nostræ explicationem & illustrationem pauca dicam. Quorum primum est, Concupiscentiam esse non solùm in carne, sed etiã in omnibus potentiis, vel ipsis Pontificiis testibus, ut ostendi cap. 18. n. 2. è Thomâ, Bellarmino & Dominico Soto.

Thomas. Bellarmin. Sotus.

Deinde, Si concedatur Concupiscentiam constituere hominem carnalem & imperfectum, quoad statum; sequitur, Gratiam hanc habitualem non esse nostram perfectam justitiam; quoniam justitia nostra perfecta nos à statu carnali in spiritualem transfert, ut *penitùs dispositi simus ad omnes leges supernaturales servandas.*

Postremò, qùum Concupiscentia sit forma diversæ rationis à justitiâ in eodem cum illo subjecto, & subjectum fœdans (*est enim potentia animæ vitiata sive deordinata, naturæ nostræ corruptio, fons tentationum,* ut docui d. c. 18. n. 2.) fieri certè non potest, ut hæc gratia sit nostra perfecta justitia.

Nam

Nam ubi gratia ſubjectum perfectè & penitùs informat, omnes diverſæ rationis formas pellit, omnemque fœditatem excludit.

13. Quæ quum ita ſint, nihil profectò cauſæ erat, cur Suarez d. n. 22. nos *Inſipientiſſimè & ex magno errore loqui calumniaretur.* Multò quidem juſtius liceret nobis idem de illo affirmare, quod ſententiam noſtram *Inſipientiſſimè & ex magno errore proponat & refellat,* quum id nobis tribuat, de quo nullus noſtrûm ne per ſomnium quidem unquam cogitavit. Verum Suari ignoſcendum eſſe ſentio, quod homo cœcæ obedientiæ, id eſt purus putus Jeſuita, Bellarmini oculis, iiſque conniventibus, non ſuis & apertis libros noſtros legerit.

CAPUT XX.

De argumentis Pontificiorum à Scripturæ autoritate ductis.

1. Reliquæ ſunt duo Bellarmini argumenta, quibus Juſtitiam inhærentem perfectam eſſe demonſtret: de juſtif. l. 2. c. 3. ¶ *Eſſe autem.* Quorum prius ita inſtitui debet.

Abundans juſtitia eſt vera & abſoluta juſtitia.
Inhærens juſtitia eſt abundans juſtitia. Rom. 5. 17.
Ergo inhærens juſtitia eſt vera & abſoluta juſtitia.

De concluſione hujus Syllogiſmi idem planè dico, quod de illis à Suare propoſitis reſpondi, ſcil. Eſſe illam ab inſtitutâ diſputatione alienam. Quæritur enim de juſtitiâ in concreto, & quatenus eſt noſtra juſtitia, non in abſtracto & ſecundum ſe. Si ſyllogiſmus uti oportebat, inſtituatur, prædicato propoſitionis & concluſioni addi debet vox *Noſtra*, ut juſtitia hæc dicatur eſſe *Noſtra vera & abſoluta juſtitia.*

2. Syllogismo ita instituto, respondeo primùm ad propositionem majorem, Abundantiam non significare perfectionem. Etenim abundantia quiddam est externum, & accidentale: perfectio autem quiddam interius & essentiale. Neque in scripturis quidem ita usurpatur hæc vox, ut perfectionem significet, sed ut vim magnam sive copiam rei alicujus denotet. Testis est Apostolus, qui dicit *Abundans Macedonum gaudium redundasse in copiosam benignitatem ipsorum.* 2. Corinth. 8. 2. Ita Dominus noster Matth. 5. 20. *Nisi abundaverit vestra justitia.* Et Apostolus 1. Thessal. 4. 10. *Precamur vos fratres, ut magis abundetis,* id est, ut excellatis.

3. Abundare autem dici potest justitia, tum quia merita nostra longè superat, tum etiam, quia plus valet ad justificationem, quam peccatum ad condemnationem. Jam merita nostra longè superare significat Apostolus, quum vocet *donum gratiæ,* v. 15. *Nam si per gratiam, jam non ex operibus,* Rom. 10. 6. Quod etiam Concil. Trid. confitetur sess. 6. c. 8. *Nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promeretur.* Majorem verò ejus esse vim, majusque in nos beneficium conferre declarat idem Apostolus, quum dicat v. 15. *Judicium esse ex uno in condemnationem, gratiam verò ex multis delictis in justificationem.*

Rom: 19, 6. Con. Trid.

4. Assumptionem quod attinet, dico in eâ sumi pro concesso, justitiam, de quâ Apostolus ibi loquitur, esse inhærentem justitiam. At illud probari non posse in responsione ad Bellarmini argumentum ex eo testimonio ductum, ut probet justitiam nostram formalem in justificatione inhærentem esse, suo loco ostendam, cap. scil. 21.

5. Bellarmin. Alterum Bellarm. arg. eodem ¶ propositum sic concludo:

Si Adæ peccatum veram in nobis & absolutam injustitiam posuit, tum Dei donum veram in nobis & absolutam justitiam ponit. Nam Dei donum magis est, quam Adæ peccatū.

At Adæ peccatum veram in nobis & absolutam injustitiam posuit.

Er-

E. Dei donum verã in nobis & abſolutam juſtitiã ponit. Quod concluſionem attinet, libenter fatemur Dei donum, de quo ibi Apoſtolus, veram in nobis abſolutamq; juſtitiam ponere. Eam verò eſſe veniam peccatorum dicimus, quæ rectè vocatur vera & abſoluta juſtitia, quoniam ex divina inſtitutione & acceptatione abſolutæ juſtitiæ officium facit, nimirum nos ab omnibus peccatis juſtificat & liberat; ut quum rei agamur, Deus nos eâ causâ juſtos pronunciet, i.e. *tanquam approbata innocentia,* (ut loquitur Calvinus Inſtit. l.3.c.11.n.3.) *à reatu abſolvat.* In quam ſententiam Apoſtolus Rom. 8. 33. *Quis intentabit crimina adverſus electos Dei? Deus eſt qui juſtificat.*

Calvinus. Rom. 8, 33.

6. Sin autem inhærentem eſſe illam juſtitiam Bellarm. affirmet, nego conſequentiam propoſitionis, ejuſq; confirmationem. Etenim quanquam Adami peccatum veram in nobis abſolutamq; injuſtitiam poſuerit; & Dei donum, de quo Apoſtolus majus ſit, quam Adami peccatum: tamen non ſequitur illud, Dei donum veram in nobis abſolutamque juſtitiam ponere inhærentem. Nam etiam venia peccatorum majus eſt donum, quam Adami peccatum: etſi illud donum in nobis non inhæreat. Majus eſſe donum ita conſtat; quoniam valet de facto ad abſolutionem ab omni reatu: Adami peccatum non valuit de facto ad condemnationem, ſed tantum de jure diſpoſitivè (ut loquuntur) & quantum eſt de ſe.

CAPUT XIX.

De Pontif. Argumentis à Scripturæ teſtimoniis pro juſtitiâ formali inhærente.

1. EGO hactenus de iis argumentis, quæ ad formalem juſtificationis cauſam in juſtitiâ inhærente conſtituendam, ab ipſius juſtificationis & juſtitiæ na-

turâ peti solent. Superest, ut ea expendam, quæ à divino testimonio ducuntur. Quorum primum est illud Bellarm. de justif. lib. 2. c. 3. ¶ Primum argumentum è Roman. 5. 17. 18. 19. *Ex quo locò habemus* (ait Bellarminus) *Justificari esse verè fieri ac constitui justos per adeptionem inhærentis justitiæ. Nam Justificare hoc loco est Justum facere.*

2. Sic igitur disputat Bellarminus.

Si justificari sit verè fieri & constitui justum per adeptionem inhærentis justitiæ, tum formalis causa justificationis est justitia nobis inhærens.

At justificari est verè fieri & constitui justum per adeptionem inhærentis justitiæ, Rom. 5. 17. 18. 19.

Ergo formalis causa justificationis est justitia nobis inhærens.

De propositionis consequentiâ non laboro. Assumptionis duæ sunt partes, 1. Justificari esse justos fieri, 2. idque Per inhærentem justitiam. Priorem ex Apostolo confirmare nititur Bellarminus, de quâ cum illo non contenderim. Posteriorem probare conatur *ex Antithesi* (ut ait) *Adæ ad Christum*, hoc modo:

Sic constituimur justi per obedientiam Christi, quomodo constituti sumus injusti per inobedientiam Adami.

At per inobedientiam Adami constituti sumus injusti injustitiâ in nobis verè ac reipsâ inhærente.

Ergo per obedientiam Christi constituti sumus justi, justitiâ nobis verè ac reipsâ inhærente.

Hæc disputationis forma in Bellarmino habetur integra, præter conclusionem, quam adjungi necesse est, ut ratio ad rem ipsam, quâ de agitur, accommodetur. Verùm nihil ex istâ argumentandi ratione concludi potest, quoniam conclusionis prædicatum in neutrâ præmissarum reperitur, neque subjectum quidem illius. Nam etsi obedientiæ Christi in propositione fiat mentio: tamen ibi comparatè ab illâ dispu-

tatur, hic absolutè. Neque omninò fieri potest, ut hæc collatio ullâ Syllogismi formâ comprehendatur. Sunt enim illâ quatuor termini, *Adami 1. inobedientia*, & *2. nostra injustitia, 3. Christi obedientia,* & *nostra justitia.* Quare Bellarminum missum faciam, ad idem argumentum à Vasque tractatum accedam.

3. Vasques autèm in 1. 2. disp. 202. ita disputat.

Per peccatum primi parentis, tanquam per causam efficientem & meritoriam, plures deinde constituti sunt peccatores proprio peccato in ipsis contracto.

Ergo similiter per meritum Christi in plures derivata est justitia, quâ verè sint justi & nominentur.

Nulla est in hoc Enthymemate vel levissimæ rationis consequutio. Nam si ulla esse intelligatur; Eam vel ex rerum ipsarum naturâ, vel ex Apostoli disputatione oriri necesse est. Ex illâ nullam peti posse hujusmodi consequutionis rationem satis constat; quoniam, saltem justitiæ per Christi obedientiam adeptio, ex Dei ordinatione tota pendet.

Deinde ex Pontificiorum ipsorum sententiâ, alia est atq; alia injustitiæ per Adamum, & justitiæ per Christum ratio. Nam illa quidem injustitia, quam ab Adamo contraximus, scil. *Macula,* quæ transeunte actu peccati in nobis manet, & *à quâ propriè & formaliter* (ut ipsis placet) denominamur peccatores, non est aliquid positivum in animâ, ut ostendam, quum ad remissionem peccatorum tractandam accessero cap. 25. & seqq. Justitiam verò, quam per Christum consequimur ad justificationem ex illorum opinione est habitualis, ut docui cap. 8. n. 4. 5. 6.

4. Cæterùm ex eodem Apostoli loco sic etiam differit idem Vasques d. disp. 202.

Justitia in nobis inhærens est gratia & justitia, de quâ Apostolus Rom. 5. 17. *Est enim abundans gratia & justitia donata & accepta.*

Ergo justitia in nobis inhærens est justitiâ, quâ ut formâ justificamur.

Nego propositionem. Ad quam probandam nihil adfert Vasques. si aliquid ex Apostolo peti possit, ita concludendum videtur.

Quâ justitiâ in vitâ regnabimus, eâ ut formâ justificamur.
Justitia de quâ Rom. 5. 17. Apostolus, in vitâ regnabimus.
Ergo justitia, de quâ Rom. 5. 17. Apostolus, est justitia, quâ ut formâ justificamur.

Hujus Syllogismi propositionem nego. Nam per meritum obedientiæ Christi in vitâ regnabimus. Sic enim Thomas p. 3. q. 48. art. 1. *Christus meruit nobis salutem æternam.* Suarez autem magis & copiosè & perspicuè de prædestin. l. 2. c. 2. n. 6. *Omnes & singuli effectus prædestinationis, non solùm in radice sed immediatè, & in se conferuntur, ex intuitu meritorum Christi; adeò ut ipsa etiam gloria, quam unusquisq; meretur sibi ex condigno, detur etiam proximè & immediatè, altioriq; ratione propter Christi meritum.* Per meritum igitur obedientiæ Christi in vitâ regnabimus: neque tamen id meritum, illa obedientia justificationis forma esse censetur.

Thomas. Suarez.

5. Etiam assumptionem principalis syllogismi nego. Ad probationem ejus dico; etiam Amorem Dei illa abundantia gratiæ significari posse: quæ abundare dicitur, cum ratione multitudinis objectorum, quibus Dei voluntas terminatur; tum etiam ratione beneficiorum, quæ in nos per eum conferuntur. In quam sententiam de misericordiâ suâ, quatenus est actus immanens, loquitur ipse Deus Exod. 34. 6. 7. *Deus misericors multæ miserationis, custodiens misericordiam in millia.* De posteriori ita Thomas p. 1. q. 20. art. 3. c. *Ex parte ipsius boni, quod Deus vult amato, necesse est dicere, quod Deus quædam aliis magis amet.* Quod autem justitia donari dicitur & accipi, id de justitiâ inhærente intelligi non est opus. Meritum namq;

obedientiæ Christi; & justitia est, & donari solet & accipi.

Postremo ex Apostolo ipso argumentum duci potest, quo ostendatur, gratiam de quâ ibi loquitur, non esse inhærentem, sed externum favorem Dei. 6.

Idem significatur vocabulo gratiæ v. 17. quod significatur eodem vocabulo v. 20. 21.

At inhærens gratia non significatur vocabulo Gratiæ vers. 20. 21.

Ergo inhærens gratia non significatur vocabulo gratiæ vers. 17.

De propositione videtur non esse dubitandum. Quum enim Apostolus in una & eadem disputatione tàm crebram gratiæ mentionem faciat, eodem sensu eam vocem adhibere censendus est, nisi certo aliquo argumento aliter illam accipiendam esse constiterit. Assumptionem verba ipsa confirmant. Nam si gratiæ vocabulo inhærens justitia, sive gratia denotetur, id dicere videtur Paulus, *Inhærentem justitiam regnare per justitiam:* quod parum commodè diceretur. At favorem Dei regnare per justitiam, sive inhærentem, sive imputatam, rectè dixeris. Quod significare videtur Theophylactus, quum dicat, *Gratiam adducere justitiam.* Ac gratiæ voce favorem significari docet Primasius ad Roman. 5. 20. *Hic sensus est. Vetus Adam per unum delictum intulit mortem; novus Adam ex innumerabilium delictorum indulgentiâ donavit salutem.* Et ad vers. 21. *Regnum gratiæ confirmatum est per multorum remissam peccatorum.* Unde Anselmus Landonensis in Glossa *gratiam* interpretatur *remissionem peccatorum.* ad vers. 21. & ad vers. 20. dicit, *Gratiam superabundasse, Omnia condonando,* Et Haymo: *gratiam* exponit, *quâ dimittuntur peccata.* ad Rom. 5. 21. Etiam Thomas ad Rom. 5. lect. 6. *Superabundavit & gratia sc. Christi abundantis peccata.* Quare Cajet. ad hunc locum ait Apostolū *locare gratiam contra legẽ, & justit[illegible] contra peccatū.*

Theophyl.

Primasius.

Anselmus.

Secundum Bellarmini argum. hic habet d[illegible] 3. ¶ Alterum. 7.

Gra-

Rom. 3, 24

Gratia, de quâ Apoſtolus Rom. 3. 24. eſt cauſa formalis juſtificationis.

Inhærens juſtitia à Deo donata & infuſa eſt gratia, de quâ Apoſtolus, Rom. 3. 24.

Ergo inhærens juſtitia eſt cauſa formalis juſtificationis.

Vaſques,

Primum, propoſitionem hujus ſyllogiſmi negat Vaſques in 1. 2. diſp. 202. n. 9. quia *per gratiam* (inquit Vaſques) *hîc poſſet intelligi auxilium, quo diſponimur ad conſequendam juſtificationem, quæ non rarò dicitur etiam gratia juſtificationis, vel in quâ juſtificamur.* Liceret igitur mihi, (quod Vaſqnes facit) hoc argumento prætermiſſo, ad alia examinanda accedere. Nam quæ Bellarminus ad illud confirmandum adduxit, ea Vaſques & legerat & repudiaverat. Veruntamen faciendum puto, ut ad ea, quæ Bellarminus attulit, reſpondeam.

8.

Chemnit.

Bellarmin.

Ea verò ad aſſumptionem pertinent, quam etiam nos negamus. Gratia, de quâ Apoſtolus Rom. 3. 24. eſt favor & miſericordia Dei, ut ad eum locum optimè Calvinus. Hanc reſponſionem multis argumentis refellere conatur Bellarminus. quorum primum proponitur ab illo ¶ At in primis, & ad hunc modum concluditur.

Quod per illam vocem Gratis explicatur ſatis, id non ſignificatur voce Gratiæ.

At favor Dei per illam vocem Gratis ſatis explicatur.

Ergo favor Dei non ſignificatur voce Gratiæ.

Dico propoſitionem eſſe falſam. Neque enim aut à communi beneloquentium conſuetudine abhorret, aut à Spiritus ſancti ſapientiâ alienum eſt, eandum rem ſignificare pluribus verbis. Quod ſi quis negaverit, omnium Synonymorum, quæ vocantur, uſum Spiritu ſancto indignum eſſe proclamet. At illud falſum eſſe res ipſa loquitur. Sic enim Spiritus ſanctus Exod. 34. 7. *Qui aufert iniquitatem & ſcelera atq; peccata.* Pſal. 32. 1. 2. Rom. 4. 7. 8. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputa-*

Exod. 34. 7
Pſal. 32, 1, 2
Rom. 4, 7,

vit Dominus peccatum. Ad quem locum Lombardus: *Remittere, Tegere, & Non imputare, unius rationis & ſenſus ſunt verba: quia & quum Tegit, Remittit; & quum Remittit, Non imputat; ſed ad laudem gratiæ Dei prolixius loquitur.* Hæc Lombardus. ex Commentariis apud Ambroſium deſcripſit. Et ſynonimis uti Prophetam ac Apoſtolum affirmant viri eruditi; & cauſam reddunt, quod Dei gratiâ illuſtretur Synonymorum multitudine. Quidni & ego Bellarmino reſpondeam, Duobus vocabulis ad eandem rem ſignificandam uſum eſſe Apoſtolum, ad ſummam Dei gratiam in peccatorum remiſſione celebrandam.

Lombard9.

Ambroſius

Præterea (ut rectè Thomas p. 1. q. 1. art. 8. c.) *Deus omnibus providit in ſcripturâ, ſecundum quod convenit eorum naturæ, ut ſaltem vel ſic rudes eam capiant qui ad intelligibilia, ſecundum ſe, capienda non ſunt idonei.* Quare duo vocabula adhibere voluiſſe Spiritum ſanctum veriſimile eſt, ut juſtificationem, à Dei gratiâ ſeu favore proficiſci omnes intelligerent.

9. Thomas,

Deinde (ut optimè Calvinus ad hunc locum) *Satis fuiſſet Gratiam Meritis opponere*; ſed ne dimidiatam imaginaremur, clarius, additâ repetitione, aſſeruit quod volebat.

Calvinus.

Quid quod hæ duæ voces ſaltem ratione diſcrepare poſſunt intelligi, nec id quidem ſine fundamento in re, ut loqui ſolent Scholaſtici? Nimirum, ut Gratia, primum voluntatis actum de homine juſtificando, quam voluntatem intentionis vocant, ſignificat. Gratis verò ſecundum actum, ſive voluntatem executionis.

Accedit eodem, quòd vocabulum Gratis ad homines referatur, qui nullo ſuo merito veniam ſunt conſequuti; Gratia, Dei favorem & benevolentiam indicet, qui, pro ſuo beneplacito, hominibns peccata condonaverit.

Poſtremò Bellarmini Subtilitatem Concilium Tridentinum refutavit ſeſſ. 6. cap. 9. quum has duas voces Gratis, & divina miſericordia conjungat. *Credendum eſt* (inquit Syno-

Con: Trid:

dus) *nunquam remissa fuisse peccata, nisi Gratis divinâ misericordiâ.*

10. Secunda Bellarmini ratio talis est ¶ Deinde.

Quod gratiæ voce significatur, ad id præpositio Per adjungi potest.

Ad favorem & benevolentiam Dei præpositio Per adjungi non potest.

Ergo favor & benevolentia Dei voce gratiæ non significatur.

Falsa est propositio. Nihil enim nobis rei est cum præpositione Per, quæ ad vocem gratia à Spiritu sancto non est adjuncta, quod Bellarminus ignorare non potuit. Sic namque Spiritus sc. τῇ αὐτοῦ χάριτι *ejus gratiâ*, vel *ex ejus gratiâ*, τῇ ἐκείνου χάριτι, Tit. 3. 7. quem locum vetus interpres rectè vertit *Illius gratiâ*, non ut hunc, *Per gratiam*. Quare Bellarminus malæ fidei reum & facere & peragere non dubitabo, qui hanc præpositionem Per nobis tàm audacter obtrudat.

Tit, 3, 7.

Nec minus falsa est assumptio. Quid enim impedit, quo minus præpositio Per ad Dei benevolentiam adjungi queat? Nam hæc benevolentia actum Dei immanentem significat, id est, ipsum Deum. Idem igitur est dicere, *Nos justificari per Dei gratiam*, ac *per Deum justificari*: quod satis rectè dici, nemo sanus negaverit. Nonne Spiritus S. ita loquutus est Galat. 1. 5. *Vocavit nos* (inquit Apostolus) *per gratiam suam.* Ubi Thomas: *Hoc per gratiam suam. non nostris meritis.* Quâ igitur fronte dicit Bellarminus, præpositionem Per non rectè accommodari ad favorem & benevolentiam Dei? Quidni etiam Concilium Tridentinum reprehendat ac damnet, quod eodem planè modo de misericordiâ Dei loquatur? *Speranda est æterna retributio* (ajunt Patres Tridentini dicta sess. 6. cap. 6.) *à Deo per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum.*

Galat: 1, 5.
Thomas

Con: Trid.

Tertio ita disputat Bellarminus ¶ Ad hæc.

Si gratia justificans sit favor & benevolentia Dei, & Deus non solùm extrinsecus favet, nec inaniter bonum vult, sed facit nos sanctos & immaculatos, quales nos esse vult, tum per gratiam justificari est reverà Justos, Sanctos, atque Immaculatos esse.

At gratia justificans est favor & benevolentia Dei, & Deus non solùm extrinsecus favet, nec inaniter bonum vult, sed facit sanctos & immaculatos, quales nos esse vult.

Ergo per gratiam justificari est reverà Justos, Sanctos, atque Immaculatos fieri.

Hactenus negavit Bellarmin. Gratiam Rom. 3. 24. significare benevolentiam vel favorem Dei. Jam ita disputat, ac si id concedatur, tamen nos justitiâ inhærente justificari contendat.

Ego autem ad Syllogismum respondeo: Infirmam esse consecutionem in propositione, nisi intelligatur saltem Deū non solum extrinsecus favere, & velle nos esse sanctos & immaculatos, sed etiam velle hæc efficere per justificationem. Nos certè ij non sumus, qui angustis remissionis peccatorum (quantum quantum sit beneficium, & est certè maximum) cancellis vim mortis Christi. & benevolentiæ divinæ circumscribamus, sed qui alias esse justificationis partes, alias sanctificationis existimemus. Quare si addantur illa verba, ut Deus nos sanctos fieri, & immaculatos per justificationem velle dicatur, dico assumptionem esse falsam. Deus namque in justificatione eâ solâ ratione nobis favet, ut peccatorum veniam propter Christum concedat; quod pluribus ostendi part. 1. l. 2. c. 3. n. 4. 5. 6. 7. 8. Probare igitur (dicendum est enim sæpius) debebat ista Bellarminus, non solùm affirmare, Deum scil. velle nobis sanctitatem per justificationem. Nam illud est de quo præcipuè disputatur. Quamobrem quod agit Bellarm. nihil ferè aliud est, quam principium petere.

12. Quartum Bellarmini argumentum habetur ¶ Præterea.

Gratia, quæ donatur, & accipitur, quæ facta est per Christum, quæ datur secundum mensuram donationis Christi, non est solùm Dei favor, sed etiam donum in animâ inhærēs.

Rom. 5. 17. Ioan. 1. 17. Ephes. 4. 7. Gratia justificans est gratia, quæ donatur & accipitur Rom. 5. 17. quæ per Christum facta est, Joan. 1. 17. quæ datur secundum mensuram donationis Christi. Ephes. 4. 7.

Ergo gratia justificans non est solùm Dei favor, sed etiam donum in animâ inhærens.

Ut ad propositionem respondeam, Dico Donum in animâ inhærens esse vel *gratiam gratis datam*, vel *gratiam gratum facientem*; ac Bellarminum de posteriori agere. Deinde respondeo, quod primum membrum distributionis attinet, Rom. 5. 17. me ostendisse cap. 21. n. 5. 6. gratiam, de quâ Apostolus Roman. 5. 17. non esse necessariò accipiendam pro gratiæ dono in animâ inhærente.

Idem dico de secundo membro; Gratiam, quæ per Christum facta asse dicitur (Græcè ἐγένετο) posse esse donum non Ioan. 1. 17. inhærens in animâ, quum veritas (quæ eodem in loco per Christum esse dicitur, non minus quam gratia) non significet donum aliquod ejusmodi in animâ inhærens.

Deinde dici potest facta esse per Christum, vel quoad entitatem gratiæ, vel quoad fruitionem ejus. Jam non id dixit Evangelista, Gratiam, quoad entitatem factam esse à Christo, (est enim *à Deo infusa*, ut ait Concil. Trident. sess. 6. c. 16. & infundere gratiam est eam facere quoad entitatem) sed quoad ejus fruitionem. Nam quo sensu veritatem factam esse dicit; eodem & gratiam: quum vox ἐγένετο ad utramq; pertineat. Veritas autem per Christum facta est, non quatenus est, sed quatenus nos eâ fruimur. Etenim Christus ipse est illa veritas, de quâ ibi Spiritus sanctus quæ umbris in lege opposita est.

In tertio membro Eph. 4. 7. Gratia, quæ datur secundum

men-

mensuram donationis Christi, non est gratia gratum faciens, sed gratia gratis data; de quâ scil. v. 8. dicitur, Christum *dedisse dona hominibus*; nempe v. 11. *Alios quidem Apostolos, alios Evangelistas, &c.* De quo loco ita Thomas ad Eph. 4. lect. 5. *Hîc exponit Apostolus, quod supra dixerat de donatione donorum.* Hæc autem dona non pertinent ad gratiam gratum facientem, sed ad gratiam gratis datam. Nam *gratia illa, per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc, quod ad Deum reducatur, est gratia gratis data*, ut ait idem Thomas, 1. 2. disp. 111. art. 1. c. Apostulatus autem & reliqua munera, quæ Paulus ibi recenset, quæque dona sunt, de quibus eo in loco Apostolus, ad ministerium Ecclesiæ spectant. In eandem sententiam Cajetanus ad v. 11. *Declaravit illam particulam, dedit dona hominibus; explicando simul diversa membra corporis Christi.* Catharinus etiam perspicuè: *Unicuiq; membro data gratia; Hoc adjecit, ut occurreret objectioni, ne quis scil. putaret, donorum multiplicium in ecclesia, ac variarum functionum distributionem cum unitate pugnare, secundum mensuram donationis Christi; Hoc est, Sic ut donatum fuit Christo pro membris.* Anselmus igitur in glossa gratiam interpretatur *Gratuitum donum, secundum quod dator Christus mensuravit, alij hoc, alij illud.*

13. Thomas, Thomas. Cajetanus, Catharinus Anselmus,

Assumptio pro concesso sumit, Apostolum & Evangelistam de illâ gratiâ loqui, quâ tanquam formâ justificamur. Id verò secus est. Nam, ut de primo loco primum dicam, nihil est apud Apostolum, quo probari possit, gratiæ vocabulo formam justificationis comprehendi. Immo quod illi oppositum est videtur ostendi posse, gratiam scil. non significare formam justificationis; quoniam illa, secundum Pontificios, inhærente justitiâ continetur. Eam verò ab Apostolo Rom. 5. 17. non intelligi pluribus ostendi n. 6. quia gratia v. 20. 21. benevolentiam Dei significat.

14. Rom, 1. 17.

Verum nec illo testimonio Joan. 1. 17. gratiæ nomine forma justificationis denotatur, ut ex iis, quæ ad propositio-

Ioan, 1, 17,

nem respondi, perspicuum feci. Quid quod Evangelista de justificatione illic non disserat, ne levissimâ quidem significatione eam attingat, sed de amore ac favore Dei (ut passim & ubique) loquatur.

Ephes. 4, 7.

Tertius autem locus Ephes. 4. 7. Etsi de donis in animâ hærentibus reverà intelligendus sit; tamen de iis tantum verba facit, quæ vocantur gratiæ gratis datæ: non de illâ, quæ gratum faciat, ut ex responso meo ad propositionem manifestum est, etiam ipsorum Pontificiorum judicio: nec Apostolus eo in loco de justificatione, sed de verbi ministratione disserit.

Quinto loco ad hunc modum disputationem instituit ¶ Denique.

Quæ gratia comparatur essentiæ, quæ datur per creationem, & luci, ea est donum in animâ inhærens.

Gratia justificans comparatur essentiæ, quæ datur per creationem Ephes. 2. 10, 2. Corinth. 5. 17. & luci 2. Cor. 6. 14. Ephes, 5. 8, 1. Joan. 2. 9.

Ephes. 2, 10
2, Cor. 5, 17
2, Cor. 6, 14
Ephes, 6, 8,
1, Ioan. 2 9

Ergo gratia justificans est donum in animâ inhærens.

De Propositione non contendo. Assumptio ne probabilitate quidem ullâ nititur; quum non agatur in iis locis de justificatione, nedum de gratiæ justificantis essentiâ; nec gratia luci comparetur. Dicam breviter de singulis locis. Quorum primus Ephes. 2. 10. id solum dicit, Finem regenerationis nostræ per Christum esse, ut bona opera præstemus. *Conditi sumus* (inquit Apostolus) *in Christo Jesu ad opera bona.*

Alio loco 2. Corinth. 5. 17. idem ferè dicit Apostolus, *Eos, qui sunt in Christo Jesu esse novas creaturas.* Quis hoc neget? At non id dicit Apostolus, *Nos per justificationem novas fieri creaturas.* Regeneratio certè & justificationem & sanctificationem complectitur, ut sæpe monui, quare etiam gratiam inhærentem: sed ea sanctificationi accepta referenda est, non justificationi.

De luce autem, primùm id respondeo, metaphoricas ejusmodi voces non præbere argumenta, quibus certò & necessariò veritas concludatur, nisi de iis, quæ illis vocibus significantur, certò constiterit.

Secundo loco, Lùcis vocabulo non Gratiam, sed homines veritatis cognitione illuminatos intelligi dico; Unde Thomas ad 2. Cor. 2. 15. lect. 3. ait *Fideles lucem esse per scientiam fidei.* Et *Lux estis,* ad Ephes. 5. 8. lect. 4. interpretatur *Habetis lucem fidei.* Anselmus verò Cantuariensis dicit *factos esse lucem, quia lumine & exemplo operationis & scientiæ alios illuminent.* ad Ephes. 1. 8. Et locum 2. Corinth. 6. 15. ita explicat. *In quo possunt habere communionem illi, qui sunt lux sufficiens ad aliorum illuminationem, cum illis, qui sunt tenebræ, id est, cæci & cæcantes alios.* Tertio, nego lucem, quæ ad intellectum illustrandum pertinet, satis aptè ad gratiam, quæ in voluntate à Pontificiis collocatur, significandam accommodari. Esse autem gratiæ sedem in voluntate affirmat Bellarminus de justif. lib. 1. c. 1. ¶ Interna.

Thomas.

Anselmus,

Sexta Bellarmini ratio talis est. ¶ Præterea, gratia.

16.
Bellarmin,

Caritas Rom. 5. est donum in animà inhærens.

Gratia, per quam nos justificari dicit Apostolus, est caritas, Rom. 5.

Ergo gratia, per quam nos justificari dicit Apostolus, est donum in animâ inhærens.

Propositionem Bellarminus magnâ contentione probare conatur ¶ Sed tamen, & seqq. & de justificat. lib. 2. cap. 3. ¶ Præterea gratia. At de assumptione, quam d. l. 2. disertis verbis proponit, confirmanda non omninò laborat, nec eam ullo argumento probare nititur. Cæterum excusandus tamē est fortasse, quoniam nulla est apud Apostolum vel levissima significatio, è quâ illum ita sensisse intelligamus. Quid quod multa toto capite reperiantur, quibus ea sententia refelli videatur? ut cuivis locum ipsum legenti perspicuum est.

Nam caritas illa, de quâ ibi Apostolus, non minorem vim habet ad spem nostram confirmandam, etsi nullo modo ad justificationem pertineat, quam si illius esse forma intelligatur. Nec quisquam in iis quæ antecedunt, aut sequuntur, invenietur, è quibus de justificationis formâ disputaturi, possimus judicare.

Toto enim capite, vel de effectibus justificationis, vel de causis efficientibus disputatur. Atque hæc duo quasi uno complexu Apostolus vers. primo comprehendit, reliquis quasi per partes explicat. De effectis agit v. 1. 2. 3. 4. De efficientibus autem iis, quæ sequuntur, Ac de Servatore nostro Domino Jesu Christo, causà sc. justificationis meritoriâ. v. 6. 7. 9. disserit, & inde ad extremum capitis. Principalem verò causam v. 8. proponit, nempe Dei caritatem, quam v. 15. 16. obiter illustrat & amplificat comparatione multiplici. De qua in hac disputatione multa passim disseruntur.

17. Bellarmin. Septimum & ultimum Bellarmini argumentum, sic habet ¶ Præterea gratia ad illa verba, *Et in eodem capite,*

Per quod vivere dicimur, id est donum in animâ inhærens.

Rom. 8, 10. Per gratiam justificantem vivere dicimur, Rom. 8. 10.

Ergo gratia justificans est donum in animâ inhærens.

Respondeo ad propositionem, eam esse falsam, nisi id, per quod vivere dicimur, forma esse vitæ intelligitur. Nam vitam agunt sancti, tam quoad gratiam, quàm quoad gloriam, per meritum Christi; quod tamen non est donum in anima inhærens. Et de gratia quidem omnes consentiunt, eam per meritum Christi comparari 1. Corinth. 1. 30. *Factus est nobis à Deo sanctificatio.* De vita æterna perspicuè Apostolus Rom. 5. 10. *Servabimur per vitam ipsius.* Et v. 17. *In vitâ regnabunt per unum Jesum Christum.*

1, Cor. 1, 30

Rom. 5, 10

Ad assumptionem quod attinet, Non negamus spiritum sive gratiam, quam spiritus nobis donat, de qua Apostolus

esse illud, per quod tanquam formam vivimus: quoniam Deus dicitur *vivificare mortalia nostra corpora per inhabitantem ipsius Spiritum in nobis*. Veruntamen assumptionem negamus. Sumit namq; pro concesso, spiritum, de quo ibi Apostolus, esse gratiam, quâ tanquã formâ justificari censeamur. Quæ sententia nihil haber firmamenti ex illo Apostoli loco, sed tota nititur petitione principij. Gratiam scil. justificantem, eandem esse cum illâ, per quam sanctificamur: quâ de re omnis, vel præcipua est inter nos & Pontificios controversia.

CAP. XXII.

Respondetur ad alia Bellarmini argumenta.

1. PErgit Bellarmin. d c.3. ¶ Tertium testimonium; ut justitiam inhærentem justificationis formam esse confirmet. Sic autem disputat.

Si justificatio sit ablutio & sanctificatio, tum justificatio non est sola remissio peccatorum sine sanctificatione interna.

At justificatio est ablutio & sanctificatio. 1. Cor. 6. 11.

Ita planè ut justificatio duo illa contineat, purgationem sive ablutionem, & sanctificationem. Nam hoc loco, ut exponunt Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus & alij, docet Apostolus baptismo homines per invocationem nominis Christi, & operationem Spiritus sancti purgari & sanctificari, atque hoc ipsum esse justificari. (Chrysost. Ambrosius Theophyl.)

Ergo justificatio non est sola remissio peccatorum, sine sanctificatione interna.

In propositione hujus Syllogismi ridicula est consequutio. Ridiculè. Nam aut id significat consequutio, Esse externam aliquam sanctificationẽ sine interna: aut in consequente idem planè affirmatur, quod in antecedẽte parte præcesserat.

2, Tota assumptionis vis ex Chrysostomi, Ambrosii, Theophylacti autoritate pendet. Sed ea certè Bellarm. sententiæ non favet, quâ docet, Idem esse Ablui, sanctificari & justificari, ut justificatio duo illa contineat, ablutionem & sanctificationem. Etenim nullus ex ijs hoc affirmat.

Chrysost. Ita Chrysostomus hom. 16. ad 1. Cor. 6. *Deus nos abluit. Nunquid igitur hoc solum? Minimè, sed sanctificavit. Neq; hoc etiam solum, sed justificavit.* Et ad eundem modum loquitur è Chrysostomo Oecumenius.

Oecumen. Quis tandem ex his Chrysostomi verbis concluserit, Illam dicere, Apostolum justificationis vocabulo ablutionem & sanctificationem complecti; tanquam species vel membra? omninò ineptè dixisset Chrysostomus, *Deum non modò abluisse & sanctificâsse nos, sed etiam justificâsse*, si justificatio ipsius judicio, nihil esset aliud, quam ablutio & sanctificatio.

Theophyl. Theophylactus etiam ablutionem à justificatione sejungit. *Ab iis* (inquit) *nos mundavit. Immò & sanctificavit. Quomodo? Justificans vos. Abluit enim vos, deinde justificans sanctificavit.* Quare vel tempore, vel saltem naturâ posteriorem facit ablutione justificationem.

Ambrosius Ne Ambrosius quidem, si illorum Commentariorum autor fuit Ambrosius, ita loquitur, ut eum loqui affirmat Bellarminus. *Hæc omnia beneficia puritatis* (ait ille Ambrosius) *in baptismo consequuti noscuntur. Illic enim omnibus peccatis depositis abluitur credens. Justificatur Domini nomine, & spiritu Dei nostri, Deo filius adoptatur.* An quisquam ex his Ambrosij hujus verbis illam Bellarm. sententiam eliciat? Verum quidem est, Multos in baptismo, ablui, justificari, sanctificari; sed illa duo justificationis voce comprehendi ab Apostolo, id nusquam dixerunt Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus.

3. Eodem Apostoli testimonio abutitur Suarez de grat. p. 3. l. 7. c. 6. n. 24. ut probet vocem justificare effectum positivum sanctitatis complecti; quia Paulus de justificatione lo-

quens, illa duo frequenter conjungit. Sed huic argumento respondi antea cap. 11. n. 2. 3. Quæ hîc disputat Suarez, ita sunt obscura, ut non possim certò constituere, quo modo cōcludi debeant. Sic enim disserit. *Certè licet verbum abluendi de remissione peccati exponatur, de verbo sanctificandi negari non potest, quin significet facere sanctum, ac proinde bonum. Quomodo enim erit sanctus, nisi sit bonus? Utrumq; ergo sub justificatione concludit, quum addit sed justificati estis.*

Quæro equidem, idque serio; quænam illa sint, quorum utrumque sub justificatione concludi Suarez dicit. Si remissionem peccati & sanctificationem, ita instituenda est ipsius disputatio.

Si abluere sit remittere peccatum, & sanctificare significet facere sanctum, ac proinde bonum, tum Apostolus utrumque sub justificatione concludit, quum addit, Sed justificati estis.

Hîc ego rationem illius consequentiæ nullam video: nec ullam à quoquam reddi posse existimo.

4. Sin autem id velit Suarez, quod magis credo, vocabulo sanctificandi & sanctificationem & justificationem comprehendi, quia sanctum esse idem est, quod justum vel bonum esse, ita putandus est disserere.

Si sanctificare significet sanctum facere, ac proinde bonum, tum Apostolus utrumque sub justificatione concludit, quum addit Sed justificati estis.

Verum neque hujus consequentiæ, quæ sit vis, ut necessaria esse intelligatur, perspicere possum; nisi forte pro concesso sumatur, Justificare idem esse, quod Inhærente justitiâ justum sive sanctum facere. At istud, quum de illo disputetur, probari oportet, non postulari. Immo ut concedatur, eam esse vocis justificare significationem; tamen ne adhuc quidem intelligo, quid hoc sit, Apostolum utrumque sub Justificatione concludere, quum addit: Sed justificati estis;

nisi fortè ex iis, quæ à nobis concessa sunt, disputare Suarem existimemus. Nos enim dicimus justificationis naturam remissione peccatorum contineri. Eo concesso, sanctificationem etiam sub justificatione comprehendi, Suarez concludit, quia sanctificare significat sanctum ac proinde bonum sive justum facere. Sed hæc disputatio, quod paulò ante monui, sumit pro concesso, Justificare idem esse, atque inhærente justitiâ justum facere, quod nos pernegamus.

5. Suarem igitur missum faciam, de re ipsâ pauca dicam. Ac primum illud cogitandum est; non esse verisimile, Apostolum sanctificationem justificatione complecti, quoniam sanctificatio justificationem comprehendit, non minus quā hæc illam, si vera sit Pontificiorum sententia. Deinde nos ex hoc loco multò rectiùs concluserimus, quod etiam fecimus cap. 7. n. 6. aliud esse justificationem, aliud sanctificationem, quoniam Apostolus ea distinguit & disjungit, ut pluribus argumentis Corinthios in Christum credentes à peccando avocet; quasi ita loqueretur: Oportet vos Corinthios ab iis flagitiis, quæ antea multa & gravia designâstis, abstinere; quoniam baptizati fuistis in Christi mortem; ipsius sanguine abluti: quoniam sanctitatis dono estis imbuti: quoniam peccatorum ante commissorum veniam estis consequuti, quæ omnia virtute Domini nostri Jesu Christi, & operatione Spiritus sancti per fidem adepti estis.

6. *Suarez.* Idem Apostoli testimonium repetit Suarez d. l. 7. c. 7. n. 8. aitq; per ea omnia verba effectum formalem integrum justificationis declarari, quem duo illa includere Apostolum dicit affirmare, ut ibi Patres exponunt, inquit Suarez. At qui Patres? Nullum nominat; sed hæc è Bellarmino descripsit; cui paulò ante respondi. Deinde c. 6. n. 14. ubi hunc locum rursus citat, nos ad Chrysostomum ablegat, de cujus sententiæ explicatione satis multa diximus.

Po-

Postrema Bellarm. ratio è Scripturis petita proponitur ¶ Quartum testimonium, ad hunc modum:

7. Bellarmin.

Regeneratio & Renovatio formaliter sunt per donum aliquod inhærens.

Justificatio est regeneratio & renovatio, secundum Apostolum. Tit. 3. 7. 8.

Ergo justificatio formaliter fit per donum aliquod inhærens.

De Propositione nulla est inter nos & Pontificios controversia, ut Bellarm. ipse confitetur ¶ Denique. & tamen disputationis ipsius pars multo maxima in eo posita est, ut propositionis veritatem, de quâ nemo nostrum dubitat, confirmet.

Assumptionem, in quâ omnis quæstio versatur, unico hoc argumento probare conatur, & eo quidem obscurè & contortè proposito. verum dabo operam, ut quæ disputat, ea intelligam, & quàm possum diligenter expendam. Sic igitur disputat:

Si Apostolus dicat, eam fuisse causam, cur Deus nos regeneraverit, ut per eam regenerationem justificati hæredes fiamus, tum justificatio est regeneratio & renovatio secundum Apostolum.

At Apostolus dicit, eam fuisse causam, cur Deus nos regeneraverit, ut per eam regenerationem justificati hæredes fiamus.

Ergo justificatio est regeneratio & renovatio secundum Apostolum.

Bellarminum ad hunc modum disputare facilè animadvertet, qui ¶ Quartum testimonium ad ea verba *Ex verbis illis postremis:* Et ¶ Denique. ad illa verba *Id enim significat illud,* attentè legerit. Superest ut ad Syllogismum respondeamus.

8.

Antecedens pars propositionis & Assumptio, hæc duo complectuntur, Justificationem nostram, & Jus ad hæreditatem; ut *Justificati hæredes simus.* De utroque affirmatur

causam fuisse, cur Deus nos regeneraverit. Arguitur autem justificatio à formali causâ ipsius, scil. regeneratione. Regenerationis autem nomine tota & plena ad Deum conversio significatur, non præparationes solùm, & dispositiones, quæ illam, ut Pontificiis placet, inchoant. Jam causa, cur Deus nos regeneraverit, est objectiva ratio divinæ volũtatis. Quod ita potest explicari. Deus primum, sive in primo signo rationis (sic enim nos pro nostrâ tenuitate de his rebus judicamus.) Nos hæredes vitæ æternæ esse voluit. Deinde, sive in secundo signo rationis, Justificari nos voluit; ut illud finis, hoc medij ad finem rationem obtineat. Postremo, sive in tertio signo rationis, Regenerari nos voluit, & per regenerationem, ut per formam justificari.

9\. Istis ad hunc modum explicatis, respondeo ad propositionem, Ejus consecutionem è solâ priori parte Antecedentis pendere, hoc modo:

Si Apostolus dicat, objectivam Rationem divinæ voluntatis, quâ nos regenerare voluit, fuisse, ut per eam regenerationem justificaremur, tum justificatio est regeneratio.

Hujus consecutionis veritatem facilè & libenter agnosco. Altera verò antecedentis pars, Ut hæredes fiamus, quum pro illâ consequentiâ non faciat, omitti potuit, & debuit.

Assumptionem verò, quæ ex illâ propositione sumitur, nimirum

Objectiva ratio divinæ voluntatis, quâ nos regenerare voluit, fuit, ut per eam regenerationem justificaremur.

Falsam esse contendo. Neutrum enim dicit Apostolus, sc. nec 1. Objectivam rationem divinæ voluntatis, quâ nos regenerare voluit, fuisse, ut justificaremur: nec 2. Justificationem nostram esse per regenerationem. Quod quidem perspicuum fiet, si Apostoli sententiam uno enunciato comprehensam proposuerimus: quod hujusmodi esse potest.

Regeneravit nos Deus, ut justificati hæredes simus.

Nulla eſt in hac enunciatione ſyllaba, aut litera; quæ vel juſtificationem eſſe per regenerationem; vel eam fuiſſe rationem divinæ voluntatis objectivam ſignificet. De priori nulla poteſt eſſe cuiquam dubitatio, qui vel ipſa vel intueri velit.

Quod poſteriori loco poſitum eſt, ſic oſtendo.

Ad objectivam rationem divinæ voluntatis conjunctio Ut refertur: ut juſtificati hæredes ſimus.

Ad juſtificationem noſtram conjunctio Ut non refertur. Nam ſi illam ad vocem *Juſtificati* referamus, etiam vox *Simus* vel *Fiamus* ad eandem referri debet, ut *juſtificati ſimus.* Id verò ſi fiat, aut omitti oportet vocabulum *hæredes* aut verbum *ſimus* ad eam quoq; vocem referendum eſſe exiſtimandum eſt. Neutrum autem horum fieri poteſt, ut Apoſtoli ſententia penitus non evertatur. Nam ſi ad hunc modum diſſeramus.

Regeneravit nos Deus, ut juſtificati ſimus.

quid fiet de voce *Hæredes?* quam Apoſtolus adhibendam judicavit, ut *juſtificati hæredes ſimus.* Sin ita diſputemus.

Regeneravit nos Deus, ut juſtificati & hæredes ſimus.

Apoſtolo id affingemus, quod non affirmat: nempe, Objectivam divinæ voluntatis rationem fuiſſe, & Juſtificationem & Jus ad hæreditatem. Addam concluſionem,

Ergo juſtificatio noſtra non eſt objectiva ratio divinæ voluntatis; ejus ſcil. quâ nos regenerare voluit.

Nec Bellarmino quidem, contra quem diſputamus, ullâ ratione affirmare licet, Apoſtolum dicere juſtificationem eſſe objectivam rationem divinæ voluntatis, quâ nos regenerare voluit. Etenim (ut nos de his rebus philoſophamur.) Quælibet objectiva ratio divinæ voluntatis Dei voluntati objicitur ante rem ipſam ex illâ ratione objectiva volitam. Finem namque velle intelligimur; priuſquam ea velimus, quæ ad illum media ſunt. Juſtificatio autem ex 10.

Bel-

Bellarm. omniumque Pontificiorum opinione, non potest divinæ voluntati objici ante regeneratione, quoniam idem planè sunt ipsorum judicio Justificatio & Regeneratio, & illa per hanc formaliter constituitur. Quis enim dixerit Hominem fuisse objectivam rationem divinæ voluntatis, cur Deus Adamum ratione præditum esse voluerit?

11 Quorsum igitur, dicet fortasse aliquis, tam multa disputare voluit Apostolus? Illud, Deo adjuvante, expediam in loci ipsius expositione, ad quam nunc, missâ Bellarmini disputatione, accedo.

Tit: 3, 7. Dico itaque in hac Apostoli sententiâ Tit. 3. 7. nostræ cum regenerationis tum justificationis finem in illis verbis, ut hæredes simus contineri. Ac prius quidem disertis verbis ab Apostolo positum est: posterius significatum, tanquam quiddam cum regeneratione conjunctum in illo, qui hæres futurus est. Nam ut regni cœlestis hæreditatem adipiscamur, & veniâ peccatorum, & sanctimoniâ opus est. Atq; hæc quidem interpretatio & Apostoli sententiæ optimè convenit, & cum Theologicâ veritate in scripturis traditâ egregiê consentit. De regeneratione, quod dico, perspicuum est. Quâ enim ratione hæres esse vitę ætern ę intelligatur, qui immundus est? Apertè loquitur Spiritus sanctus, Apocal. 21. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium.* Nam ut hæc de Ecclesiâ in terris militante exponantur; profectò, cui in illâ locus non est, illi ad triumphantem in cœlis aditus patere non potest.

Apo: 22, 27.

Justificationem verò, & necessariò quidem, flagitari satis constat, quoniam, ut scriptum est Isai. 59. 2. *Iniquitates vestræ diviserant inter vos & Deum vestrum; & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis; ut nec recipere nos in gratiam possit* (quemadmodum Calvinus Instit. l. 3. c. 11. n. 21.) *nec sibi adjungere, quin ex peccatoribus justos faciat. Istud autem fieri dicimus* (ut eodem loco Calvinus) *per peccatorum remissionem, quâ puri-*

Esai: 59, 2.

Calvinus.

ficamur maculis abstersis; ut eam consequuti, non simus in peccatorum numero censendi; sicut ostendam cap. 32. Remissione igitur sive condonatione opus est ad hęreditatis jus obtinendum.

Sed nequaquam in illâ sunt omnia. Etenim (ut paulò ante significavi) accedat etiam oportet regeneratio, per quam sanctimoniâ imbuamur. Quare *Christus factus est nobis à Deo & justitia & sanctificatio.* 1. Corinth. 1.30. Deinde illis, & illis quidem solis, qui ex Deo geniti sunt hoc jus datum est, ut filii Dei esse intelligantur, Joan. 1.12.13. Deniq; illud etiam cogitandum est, Eum, qui *novum illum hominem induerit, qui secundum Deum conditus est, ad justitiam & sanctimoniam veram,* eâ esse conditione, ut idoneus sit, quem Deus (si ipsi visum fuerit) regni cœlestis hæredem constituat. Regenerationem igitur ad veniam peccatorum accedere, ut hæredes simus, cum ex Dei constitutione, necesse est, tum etiam ex Dei constitutione, necesse est, tum etiam ex rei ipsius naturâ valde commodum.

1,Cor.1,30.
Ioan. 1.12,
Eph, 4,24,

Quapropter (ut aliquando concludam) ad hunc modum disserere videtur Apostolus. Servare nos voluit Deus ex summâ suâ benevolentia, misericordia & benignitate, v. 4.5. Quod ut faceret lavacro regenerationis nos abluit per Spiritum, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum. v.5.6. ut ex ipsius gratiâ seu favore veniam peccatorum consequuti; hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. vers. 7. Quod autem v. 5. generali quodam vocabulo significaverat, id v. 7. particulari & proprio exprimere voluit. *Salvos nos fecit.* v. 5. *Hæredes vitæ æternæ fecit.* v. 7. Jam verò Gratiæ nomine benevolentiam Dei significari, ad modum verisimile videtur, ut levissimè dicam; quoniam Rom. 3.24. eadem vox eodem sensu Deo tribuitur, ut ostendi cap. 21. n. 8.9.10. Quod quo minus verum esse sentiamus, nihil adferre potuit Bellarminus, etsi summâ contentione id ageret, nec quisquam

12,
Rom.3,24,

Pontificiorum adferre poterit. Phraſes autem quam ſunt ſimiles, ne dicam eædem? τῇ αὐτοῦ χάριτι, Rom. 3. 24. τῇ ἐκείνου χάριτι, Tit. 3. 7. Diſſerui iſta paulò copioſius, quoniam & Bellarmin. hunc locum urget vehementius, & videbatur mihi ad rem ipſam & cauſam maximè pertinere. Si Apoſtoli ſententiam non ſim aſſequutus: tamen id (opinor) effeci, ut Bellarminianæ diſputationis nervos inciderim, & eam interpretationem propoſuerim, quæ majori, quam illa Pontificiorum, probabilitate nitatur. Sed de hoc argumento & loco videor mihi ſatis multa dixiſſe.

13. Suarez,

Verùm moleſtus nobis eſt Suarez, qui Bellarmino ſubſidio venit, de grat. p. 3. l. 7. c. 7. n. 8. nullis tamen novis copiis. Neque enim quidquam dicit, quod Bellarminus antea non affirmaverat; dicit tantum; cur ita dicat rationem nullam adfert. Quamobrem non committam ut repetendo quæ prius diſſerui, lectori faſtidium pariam.

CAP. XXIII.

Reſpondetur ad alia Bellarmini argumenta.

1. Bellarmin.

QVatuor aduc ſuperſunt Bellarmini argumenta, quorum primum è ¶ Quintum teſtimonium, ita proponendum eſt.

Qui juſtitiâ propriâ & inhærente perfectè & abſolutê juſti ſunt, ij per juſtitiam inhærentem, ut per formam juſtificantur.

Aliqui juſtificati juſtitiâ propriâ & inhærente perfectè & abſolutè juſti ſunt.

Ergo aliqui juſtificati per juſtitiam inhærentem, ut per formam juſtificantur.

Pro-

Propositionis veritas ex hoc pendet, quod Justificari idem esse dicatur, quod justum fieri, id est, adæquatum Deo, tanquam summæ regulæ, ut ostendi cap. 7. n. 5. At hoc nemo nostrum concesserit, quum nusquam in sacris literis dicatur, aut significetur vocem Justificari aut justificationem ita esse interpretandam, ut Adæquari, aut Adæquationem significet. Quāre dum eam esse vocis significationem aliquo scripturæ testimonio, aut ratione manifestum fiat, quid est hoc aliud, quâm (quod sæpè dixi) principium petere?

Assumptionem etiam nego. Cur id faciam, liquidò exposui c. 16. quum ad ea responderem, quibus illam probare conatus est Suarez. Eam Bell. confirmat hujusmodi argumēto.

2. Suarez.

Quos Scriptura absolutè justos vocat, ii absolutè justi sunt.

Aliquos justificatos, puto Abelem & Noachum, Scriptura absolutè justos vocat, Hebr. 11. 4. 7.

Ergo aliqui justificati absolutè justi sunt.

Si vox absolutè ad Justos referatur, ut sensus sit, Quos Scriptura dicit esse absolutè justos; ij absolutè justi sunt, concedo propositionem majorem, minorem nego. Sin autem vocabulum illud referatur ad verbum Vocat, quasi ita loquatur Bellarminus, Quos scriptura absolutè vocat justos, non tantum hoc aut illi respectu justos; assumptionem fateor esse verā (atq; id quidē solùm probant scripturæ testimonia, quæ adferuntur) propositionem falsam esse contendo. Nam justos vocare potest Deus absolutè, non ratione interioris formæ, sed pro suâ voluntate. Neque hoc ejusmodi est, ut aut indignum sit Deo, aut illi non conveniat. Quoniam illa, quæ in nobis est justitia, naturâ suâ talis est, ut, quantum est de se, nos Deo adæquat. Accedit eodem, quod *obliteratâ omnium transgressionum culpâ* (ut rectè Calvinus Institut. lib. 3. cap. 17. n. 8.) nihil sit quod impediat, quo minus propter illam justitiam, justos nos habeat & appellat Deus.

Præterea, quum venia peccatorum propter Christi me-

Matth. 3, 17
Ephes. 1, 6.

rita impetrata, Matth. 3. 17. Ephes. 1. 6. ita nobiscum acturus sit Deus, ac si perfectè justi essemus, quidni etiam liceat illi nos justos nuncupare? Quid quod hæc ipsa, quam nunc habemus, justitia interna, nos tandem verè & absolutè justos, sublatâ naturæ nostræ pravitate, sit constitutura? Postremò quum Deus nos absolutè vocet justos, id facere ipsum pro suâ voluntate perspicuum est, quia reverâ nemo absolutè justus est; ut in responso meo ad assumptionem primi Syllogismi n. 2. ostendi.

3.
Gen. 6.

Quod addit Bellarminus è Gen. 6. & Psal. 118. quosdam vocari perfectos & immaculatos, idem planè est cum eo, quod prius dixerat, quosdam vocari justos. Quid est enim perfectum esse, nisi sine simulatione esse justum? Quid immaculatum esse ex ipsorum Pontificiorum sententiâ, nisi esse justum? Nam macula (ut ipsi contendunt) abstergi non potest, nisi per justitiam, quæ illam tanquam forma contraria expellat, ut suo loco ex ipsorum scriptis ostendam: in quibus negant, *Hominem post peccatum Adami posse esse sine culpâ, nisi gratiam habeat.* Thomas 1. 2. q. 113. art. 2. ad 1. Quæ quum ita sint, nihil profectò causæ erat, cur Vasques in 1. 2. disput. 202. n. 26. tantopere huic argumento confideret, ut illo potissimū niteretur. *Perfectio nostræ justitiæ* (ait Vasques) *non debet probari ex quibusdam scripturæ testimoniis, in quibus commendatur perfecta & insignis caritas, sed potius ex illis, in quibus docemur, nobis inesse justitiam, Nam justitia non est, quæ vera & perfecta non est; cui scil. ad rationem justitiæ,* (ut paucis ante versibus perfectionem Vasques explicaverat) *nihil prorsus desit, quo minus ea verè justi constituamur.* Fateor certè justitiam, quâ de loquimur, ejusmodi esse, ut ad ipsam quod attinet, nihil ei desit, quo minus nos justos constituat: Sed (ut antea respondi cap. 16.) nego eam ita à Deo nobis communicari, ut animos nostros penitus informet, ejusque omnes potentias, & iis vires operandi suppeditet secundum totam ipsarum capacitatem: &

Thomas
Vasques.

denique de facto disponat hominem ad omnes etiam supernaturales leges servandas; ut d. c. 16. luculenter ostendi.

4. Ad ¶ Sextum testimonium; hoc modo rationem instituit Bellarminus.

Si similes & imagines Christi esse debemus, justitiam veram & inhærentem habere nos necesse est.

At homines justi similes & imagines Christi esse debent. Rom. 8. 1. Corinth. 15.

Rom. 8. 1. Cor. 15.

Ergo homines justos justitiam veram & inhærentem habere necesse est.

Nihil plane causæ video, quare de hac conclusione laborandum sit. Etenim neque illud quod quæritur, *Justificationem fieri per inhærentem justitiam*, hac complexione continetur; & quod concluditur, id nos libenter concedimus; nimirum, *Justitiâ verâ & inhærente opus esse iis, qui regni cœlestis participes futuri sunt*, Quamobrem tres illos Bellarmini prosyllogismos ad ea verba,

1. Christus autem non est justus,
2. Nam si reipsâ injusti,
3. Præterea terreni hominis.

quibus consequentia propositionis confirmatur, sciens ac ac volens prætereo.

5. Deinde concessa hac Bellarmini conclusione, dico nihil ex eâ sequi, quo res, de quâ agitur, probari queat, nisi ad hunc modum disseratur.

Quibus necesse est habere justitiam inhærentem, ij per justitiam inhærentem justificantur.

Immò ne ista quidem propositione quicquam effeceris, nisi concedatur (quod faciendum non est) justitiam inhærentem & justificationem se mutuò ponere, quod falsum esse deinceps ostendetur cap. 27. n. 15. 16.

6. Venio nunc ad syllogismi Bellarminiani partes expendendas. Si hic sit sensus antecedenris partis in propositione. Nos

in justificatione Christi similes & imagines esse debere, tum ita disputandum est.

Si in justificatione nostrâ similes & imagines Christi esse debemus, tum necesse est, ut inhærentem justitiam ad justificationem, vel ut justificemur, habeamus.

Hujus propositionis consequentiam nego, quia videtur sumere pro concesso, Christum justificatum esse, & in justificatione suâ inhærentem justitiam habuisse. At hoc de illo nusquam in scripturis affirmatur. Nam in iis solus peccator justificari dicitur eâ justificatione, de quâ disseritur. Christũ certè justum esse dicunt sacræ literæ, nempe subjectum esse justitię. Hoc verò longè aliud est, quum de Christo loquimur, quam justificatũ esse eo sensu, quo scripturæ impium justificari prędicant, ut in Assumptione perpendẽdâ perspicuũ fiet.

Assumptio, quæ ex eâ, quam institui propositione, sumenda est, sic habet.

Homines justificati in justificatione Christi similes & imagines esse debent.

At istud planè falsum est. Nam in justificatione remissionem peccatorum consequimur; & per eandem justificationem idonei reddimur, quos Deus sententiâ juridicâ secundum allegata, & probata justos pronunciet, quum rei facti simus. Ista verò Christo nullâ ex parte conveniunt. Neq; enim peccator est, ut veniâ opus habeat; nec justitiam ejus ad eum usum accommodari opus est, ut reus factus sententiâ Dei juridicâ absolvatur.

7. Cæterum concedamus, si placet, id unum hac assumptione agi, ut probetur in eâ. Homines justos in justificatione sive per Justificationem Christi similes & imagines reddi oportere, id est, perfectè sanctos. Dico assumptionem, ut id solùm significet, tamen esse falsam. Non negamus, nos sanctos esse oportere, idque perfectè pro naturæ nostræ ratione. Ac neque in hac vitâ mortali, id nobis largiri Deus voluit,

quum de facto nulli largiatur, ut cap. 16. 17. 18. 19. pluribus ostendi: neque eam Justitiam, sive sanctitatem, quam ipsum nobis concedere voluisse perspicuum est, per Justificationem, sed per sanctificationem adipiscimur.

8. Porrò, quæ Bellarminus adfert Scripturæ testimonia, de Justificatione non loquuntur, nedum hoc quod agitur, per Justificationem fieri confirmant. Sed illud Rom. 8. 29. de perpessionibus, quibus Christi conformes fiant homines justificati, rectè potest explicari. In quam sententiam ad eum locum Vatablus, *Deus ante mundum conditum ordinavit suos ad exempla, quæ futura erant in Christo, ut in cruce & glorificatione similes essent.* De gloria exponit Cajetanus, quæ fuit etiam Haymonis & Sedulij sententia. Vatablo assentitur Catharinus, quum ita exponat hanc conformitatem, *ut qui primò secundum finem destinantur, ad gloriam, etiam primo secundum tempus destinentur ad laborum tolerantiam, & mundi ignominiam.* Catharin. ad Rom. 8. 29.

(Rom. 8, 29. Vatablus, Cajetanus, Haymo. Sedulius, Cathatinus)

Alter verò locus 1. Cor. 15. 49. ad Corporis gloriam videtur pertinere, quæ toto illo capite pluribus argumentis arguitur & illustratur: vel si animorum puritatem (de quo propter autoritatem Patrum multorum non valde contenderim) significet, *eam certè dicit Apostolus* (ut rectè Cajetanus interpretatur) *quam in resurrectione consequemur.* Quod etiam vox Græca declarat, quum sit futuri temporis, φορέσομεν, *gestabimus*, ut Vatablus & Pagninus exponunt. *Malè* etiam *Latinus interpres Portemus pro Portabimus*, ait Cajetanus; quam etiam versionem è Græco agnoscit Catharin. ad eum locum.

(1. Cor. 15, 29. Cajetanus, Vatablus, Pagninus, Cajetanus. Catharinus)

Septimum Bellarmini argumentum ¶ Septimum testimonium. ita concluditur.

9. Qui per justificationem Christi mortem & resurrectionem repræsentant, ij per eandem verè moriuntur peccato, & resurgunt ad justitiam. Nam Christus verè mortuus est & verè resurrexit.

(Bellarmin.)

At

At justificati per justificationem, Christi mortem & resurrectionem repræsentant.

Ergò justificati per justificationem verè moriuntur peccato & resurgunt ad justitiam.

Assumptio à veritate aliena est. Justificati, per justificationem, Christi mortem & resurrectionem non repræsentant, quoniam Christi mors & resurrectio non sunt exemplar justificationis, sed vitæ novitatis, quæ in actionibus versatur; ut docui cap. 12. n. 2. 3. 4: & seqq. Nihil autem est in iis, quæ Bellarminus protulit, Scripturæ testimoniis, quod vel assumptionem, vel ullam syllogismi partem confirmet; ut verba ipsa declarant.

De conclusione nihil dico, quamvis manifestum sit, eam, quod institutum est, non continere; quum de justitia habituali non loquatur, sed de actuali.

10. Bellarmin. Ultimum Bellarmini argumentum ¶ Octavum testimonium, ad hunc modum instituitur.

Si adoptio filiorum Dei; quoad corpus, verissima erit, & inhęrens in corpore: tum eorum adoptio, quoad animam, verissima est inhærens in animâ. Alioqui sicut expectamus redemptionem corporis, ita quoque expectaremus redemptionem animæ.

At adoptio filiorum Dei, quoad corpus verissima erit & inhærens in corpore. Rom. 8. Phil. 3.

Ergo adoptio ipsorum, quoad animam, verissima est & inhærens in animâ.

In hoc argumento adoptio quoad animam in consequenti propositionis parte, & in subjecto minoris, idem esse fingitur, quod justificatio. secus enim nihil probatur hac conclusione adversus nostram sententiam, quoniam aliud esse dicimus Adoptionem, aliud justificationem.

Hoc posito, scil. Adoptionem idem esse cum justificatione, nego consequentiam propositionis; quoniam hoc fun-

da-

damento nititur; Eam esse animæ conditionem (utriusque naturâ spectata) in hac vitâ per justificationem, quæ futura est corporis in cœlesti gloria.

At illud omninò falsum est: quum neq; ex rerum ipsarum naturâ, hoc ex illo pendeat; nec usquam dicatur in sacris literis Deum constituisse, ut hæc ita se haberent. Omninò quis existimaverit, immortalitatem & impassibilitatem corporis in vitâ futurâ arguere, Justificationem in hac vitâ in justitiâ inhærente consistere, nisi Deum id statuisse compertum habuerit?

11 Rom. 8, 15, 10, 23.

Hoc igitur probandum erat Bellarmino, Deum statuisse. At illud ne conatur quidem; tantum testimonia quædam è Scripturis proponit, quæ apud Apostolum ita habent. Roman. 8. 15. *Accepimus spiritum adoptionis.* Et v. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum: Spiritus autem vita est propter justitiam.* Et vers. 23. *Ipsi, qui primitias spiritus habemus, nos ipsi* (inquam) *apud nos ipsos suspiramus, adoptionem expectantes, id est, redemptionem corporis nostri.* Phil. 3. 20. 27. *Servatorem expectamus Dominum Jesum Christum, Qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut fiat conforme ejus corpori glorioso.* Ex his scripturis particulas quasdam Bellarminus collegit, è quibus malè conjunctis argumentum hoc, à disputatione quam instituit, alienum proposuit.

Phil. 3, 20, 21,

CAPUT XXIV.

Respondetur ad ea, quæ ex Patribus adferuntur, de justificatione per inhærentem justitiam.

1.

DIxi de argumentis à Scripturis & ratione deductis. Quæ à Pontificiis è Patrum scriptis, ad sententiam suam de justificatione per inhærentem gratiam confirmandam adferuntur, ex iis hic disputandum est.

Si omnes Patres unâ voce consentiant, justificationem fieri per inhærentem justitiam, tum justificatio fit per inhærentem justitiam.

At omnes Patres unâ voce consentiunt, justificationem fieri per inhærentem justitiam.

Ergo justificatio fit per inhærentem justitiam.

Bellar min, Bellarminus de justif. l. 2. c. 8. dicit se allaturum *testimonia Patrum pro inhærente justitiâ.* Omnes autem Patres ab illo significari perspicuum est; quia in titulo capitis *Traditionem Veterum Patrum appellat.* Præterea nisi omnes Patres hac in re consentiant, non minus eorum autoritate, qui secus existimaverunt, frangeretur; quam illorum, qui in eâ fuerunt opinione, robaretur. Visum est igitur faciendum, ut ista quemadmodum feci, generatim de omnibus proponerem.

2. Jam, quod hoc argumentum attinet, in illo pro concesso sumitur, Patres de illâ justificatione loqui, de quâ nos disputamus. Id quam verum sit, deinceps videbimus. Interim respondeo de propositionis consequentiâ. Si pars ejus consequens ex antecedenti necessariò consequatur, ex hoc pendet hujus consequentiæ necessitas, quod Testimonia Patrum pro non scriptâ traditione habenda sint, & salutaris veritas etiam in non scriptis traditionibus comprehendatur, ut confirmat Concilium Tridentinum sess. 4. decreto de Canonicis Scripturis. At hoc falsissimum esse multis & perspicuis argumentis demonstravit (ut alios omittam) vir doctissimus & integerrimus Guilielmus Whitakerus nostras, de scripturâ controv. 1. q. 6. Quamobrem nulla est hujus consequentiæ necessitas; ut propter autoritatem patrum id affirmantium, Justificationem fieri per inhærentem justitiam sentire nos necesse sit.

3. Sin autem connexionis illius vis probabilis tantum esse dicatur, non necessaria, conclusionem etiam solâ probabilitate niti sentiendum est: ac proinde hæretici esse, qui aliter

ſentiunt, non ſunt exiſtimandi. Neque enim probabilitate fides nititur, ſed divinâ veritate, *cui falſum* (ut loquuntur) *ſubeſſe non poteſt.* Porrò, ſi non minori probabilitate conſtet, Juſtificationem non fieri per inhærentem juſtitiam, ne peccare quidem cenſendi ſunt, qui nos juſtitiâ inhærente juſtificari negent. Parem verò eſſe, immò majorem probabilitatem videtur, quoniam nihil à Pontificiis è Scripturis adfertur, quo illam ſuam opinionem confirmare poſſint, ut ex iis, quæ ad argumenta ipſorum reſpondi, manifeſtum eſt. Accedit eodem, quod Juſtificationem remiſſione peccatorum totam comprehendi probaverim. Quapropter nihil cauſæ eſt, cur nobis homines mitiſſimi ſuccenſeant, quod hæc non credamus, quæ ſolâ Patrum autoritate confirmari exiſtimantur.

4\. Quid igitur? dicet fortaſſe aliquis, An omnes Patres tot ſæcula, ejus, quæ ad juſtificationem poſtulatur, juſtitiæ naturam ignoraſſe, & alienos à veritate fuiſſe ſentiendum eſt? Ego verò id nec dico, nec ſentio; In eâ tamen opinione ſum, ut putèm, minori cum periculo, hac in re Patres à veritate aberraſſe judicari; quam illorum teſtimoniis eam autoritatem tribui, ut ab iis provocare ad Scripturas nullo modo liceat. Atque hæc quidem fuit Patrum ipſorum perpetua & conſtans ſententia, qui ſolis Scripturis eum honorem deferendum eſſe judicaverunt, ut quod in iis traditur, de illis dubitare flagitium ſit.

5\. *Iuſtinus, διδάγμασιν,* Teſtis eſt Juſtinus Martyr & Philoſophus: *Non humanis doctrinis* (Lango traditionibus) *juſſi ſumus à Chriſto ipſo credere, ſed eis; quæ beati Prophetæ provulgaverunt, & Chriſtus ipſe docuit.* in Dialogo cum Tryphone.

Irenæus. Quare has Scripturas Irenæus à Paulo doctus appellavit fundamentum *& columnam fidei,* de hæreſ. l. 3. c. 1.

Tertullian. *Scriptum doceat, Hermogenis officina* (inquit Tertullianus

contra Hermogenem cap. 22.) *si non est scriptum, timeat væ illud adjicientibus, aut detrahentibus destinatum.*

Origenes, Multa sunt in hanc sententiam apud Origenem: *Scias Jesum semper in montibus & collibus apparere, ne usquam eum nisi in legis & prophetarum montibus quæras.* in Cantic. homil. 3. *Necesse est nobis Scripturas sacras in testimonium vocare. Sensus enim nostri & enarrationes sine iis testibus, non habent fidem.* in Jerem. homil. 1. Et in Matth. hom. 25. *Debemus ad testimonium verborum, quæ proferimus, proferre sensum scripturæ confirmantem, quem exponimus sensum. Sicut enim omne aurum, quod fuerit extra templum, non est sanctificatum: sic omnis sensus, qui fuerit extra divinam scriptionem, quamvis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur in sensu Scripturæ, quæ solet eum sensum sanctificare, quem habet in se, sicut templum proprium aurum.*

Athanasius Unde Athanasius: *Scripturæ sanctæ & divinitus inspiratæ sufficiunt ad veritatis enunciationem.* contra Gentes. Et in Synopsi dicit, *Libros Canonicos, utpote ab ipsis Apostolis Christi conscriptos & expositos esse fidei nostræ certas anchoras, & sustentacula.*

Gelasius, *Libri Evangelici & Apostolici, & priscorum Prophetarum oracula nos evidenter docent, quid de re divinâ sentiendum sit. Itaq; omissâ discordiâ, quæ nil nisi contentionem parit, sumamus ex divinitus dictis solutionem eorum, quæ disceptantur.* Gelasius Cyzicenus in Actis 1. Conc. Nic. cap. 5. ex Theod. hist. Eccl. l 1. c. 7.

Basilius. *Manifestus est fidei lapsus, & liquidum superbiæ vitium, vel respuere aliquid eorum, quæ Scriptura habet, vel inducere quidquam quod scriptum non est; quam Dominus noster Jesus Christus dicat, Oves meæ vocem meam audiunt; & præmiserit, Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab illo.* Basilius de fide.

Si quid dicatur absq; scripturâ auditorum cognitio claudicat: ubi è scripturâ divinæ vocis prodiit testimonium, & loquentis sermonem & audientis animum confirmat. Chrysost. ad Esai. c. 2.

Chrysost. Infinitus essem, si singula Hieron. & Augustini testimonia reccenserem: pauca proponam, digitum ad alia intendã.

Quæ absq; autoritate & testimoniis scripturarum quasi traditione Apostolicâ sponte reperiunt, percutit gladius Dei. Hieron. in Haggæum ad cap. 1.

Hieronym,

Videte quid dicat. Qui fuerunt, non qui sunt, ut exceptis Apostolis, quodcunq; pòst dicatur, abscindatur, nec habeat postea autoritatem: Quoniam Dominus narrat in scripturâ populorum & principum horum qui fuerunt in eâ. in Psalm. 86. Vide eundem Hieron. in Michæam l. 1. c. 1. Et in Matth. cap. 23.

Augustinus

Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus, quod volumus & quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes, Hoc grave hoc leve est, sed afferamus divinam stateram de scripturis sanctis, tanquam de thesauris Domini, & in illâ quid sit gravius appendamus; immò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Augustinus contra Donatistas lib. 2. cap. 6.

Ego solis eis scripturæ libris didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum autorem scribendo aliquid erràsse firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quanta-libet sanctitate doctrinâq; præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos autores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Epistola 19. ad Hieronymum. Et pòst:

Tantummodò scripturis Canonicis hanc ingenuam debeo servitutem, quâ eas solas ita sequar, ut conscriptores earum nihil in iis omninò erràsse, nihil fallaciter posuisse non dubitem.

Ego hujus Epistolæ autoritate non teneor, quia literas Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis divinarum scripturarum autoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus respuo. Contra Cresconium lib. 2. cap. 3. 2.

Ne Conciliorum quidem autoritatem tanti facit Augustinus, ut ea se teneri ne aliter sentiat, existimet. *Nec ego* (inquit) *Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus autoritate, nec tu illius detine-*

ris scripturarum autoritatibus non quorumcunque propriis, sed utrisq; communibus res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Contra Maxim. l. 3. c. 14. Vide etiam Augustin. in Joan. tract. 2, Et de unit. Eccles. c. 3. & c. 6.

6. Præterea nullam esse hujus consequentiæ vim Pontificiorum ipsorum judicio liquidò constat: quod hoc argumento probatur.

Si justificationem fieri per inhærentem justitiam sentiendum sit, quia omnes Patres uno consensu id affirment, tum remissionem peccatorum esse actum Dei externum, non interiorem & physicam in homine mutationem existimandum est, quia omnes patres id uno consensu affirmant, ut mox ostendam.

At (Pontificiorum judicio) non est existimandum remissionem peccatorum esse actum Dei externum, non interiorem & Physicam in homine mutationem, quia omnes Patres uno consensu id affirmant. Etenim communi omnium Pontificiorum fide creditur, tanquam articulus fidei Catholicæ, & Concilij Tridentini decretum, ut ostendam cap. 30. Remissionem peccatorum esse physicam & interiorem in homine mutationem.

Ergo (Pontificiorum ipsorum judicio) non est sentiendum, Justificationem fieri per inhærentem justitiam, quia omnes Patres uno consensu id affirmant.

7. Patres autem in eâ fuisse sententiâ, ut Remissione peccatorum, externum Dei actum, veniam scil. sive condonationem significari putarent, multis ipsorum testimoniis manifestum faciam.

Tertullian. *Remissam peccatorum* (sic enim antiqui sæpe loquebantur) Tertullian. interpretatur *veniam,* contra Marc. l. 4. c. 18. Et in lib. de pud. c. 2. *Alia peccata remissibilia* esse dicit, *alia irremissibilia: secundùm quod* (inquit) *nemini dubium est, alia castigationem mereri; alia damnationem:* ut Tertulliano nihil aliud

sit

sit *Remittere*, quam *Non damnare*; unde sequitur apud eum: *Omne delictum veniâ expungi, aut pœnâ: veniâ ex castigatione, pœnâ ex damnatione.*

Cyprianus de peccatorum remissione verba faciens lib. de ablut. ped. n. 10. dicit *Christum nos semper lavare, quotidiana peccata donando.* Et n. 9. *Non difficile nobis esse debet, si sicut ille nobis donavit, & nos invicem condonemus.*

Cyprianus.

Eadem est Irenæi sententia. *In oratione dicere nos docuit, Et remitte nobis debita nostra; utiq; quoniam hic est pater noster, cujus eramus debitores transgressi ejus præceptum,* Et paulò pôst illud Psalm. 32. 1. *Quorum remissæ sunt iniquitates*, explicans, ait *Davidem, eam, quæ per adventum Christi est, remissionem pronuntiare, per quam delevit Chirographum, debita nostra, & affixit illud cruci: uti quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus debiti nostri remissionem*, contra hæres. lib. 5. cap. 17.

Irenæus,

Basilius etiam in Regulis contractior q. 11. *Remissionem peccatorum*, idem facit, quod *condonationem*. Est enim quæstio de peccatis condonandis: & respondetur, *Misericordiam Dei ad peccatorum remissionem plenè impendi.* Et ad Psal. 84. *Remittere iniquitatem* interpretatur *Peccatis ignoscere.*

Basilius.

Beatos vocat (ait Theodoretus) *qui citra laborem peccatorum veniam Dei benignitate adepti sunt.* ad Psal. 31.

Theodor.

Locum illum celebrem Matth. 6. 12. *Dimitte nobis debita nostra*, de *Venia* seu *Condonatione* Patres interpretantur. *Post tantorum abolitionem & ineffabilem gratiæ largitatem iterum peccantibus dignatur ignoscere:* ait Chrysostomus hom. 20. ad Matth. Et paulò pôst: *Orant ministerio consecrati, ut eis peccata donentur.* Et iterum: *Commonefacit peccatorem, & jubet postulare veniam.*

Chrysost.

Cum quâ spe orat (ait autor operis imperfecti ad Matth. homil. 14.) *qui inimicitiam servat adversus alterum, à quo forsitan læsus est. Sicut enim ipse orans mentitur, dicit enim Remitto, & non remittit: sic à Deo petit indulgentiam, & non illi indulgetur.*

Opus imp.

Cyprianus.

Post subsidium cibi, petitur & venia delicti; ut qui à Deo pascitur, in Deo vivat: nec tantum præsenti & temporali vitæ, sed & æternæ consulatur: ad quam venire potest, si peccata donentur, quæ debita Dominus appellat. Cyprian. in orat. Dom. n. 16.

Tertullian, Origines, Cyrill, Al: Nyssenus, Hilarius, Augustinus Gregor, I, Theophyl, Haymo.

Ac ne longior sim, idem sentiunt, Tertullian. de orat. cap. 7. Origenes in Exod. hom. 2. Cyrillus in Levit. l. 2. Gregorius Nyssenus lib. de orat. in exposit. illius petitionis. Hilarius in Matth. can. 4. August. epist. 127. ad Probam cap. 11. Et contra Epist. Parm. l. 2. c. 10. Gregorius Roman. Moral. in Job. l. 12. c. 11. & l. 9. c. 28. Et in Registro l. 8. c. 16. Theoph. ad Matth. 6. Haymo in hom. de sanct. serm. de orat. Dom. Luc. 11.

Hieronym.

Huc etiam pertinet illud Hieronymi ad Esai. c. 40. *Non est idem solvi peccata & dimitti. Cui dimittitur, solutione non indiget, audiens in Evangelio, Confide fili, dimittuntur tibi peccata. Cui autem solvuntur, propterea solvuntur, quia purgata & soluta sunt per pœnas.* Et plurima apud Augustinum de fide & symbolo, cap. 10. de Ecclesiast. dogmat. cap. 8. In qq. ex novo Testamento p. 1. q. 12. Et hom. 29. *Remittere,* Rom. 4. è Psal. 32. autori commentar. ad Rom. 4. apud Ambrosium idem significat, quod *non imputare*, ut ostendi cap. 21. n. 8. *Non imputari autem veniam procul dubio significare*, dicit Suarez de grat. p. 3. lib. 7. cap. 10.

8.

Ac nullum quidem veterum patrum hoc Romanæ Ecclesiæ commentum, de remissione peccatorum, ut maculæ nescio cujus physicam ablutionem, & deletionem indicet, suâ sententiâ comprobasse, vel ex eo satis constat, quod nullus unquam Pontificiorum, quos mihi hactenus videre licuit, unum verbum, syllabam aut literam, è quoquam Patrum protulerit, quo illam de hujusmodi in homine mutatione physicâ opinionem confirmaret. Cur autem ab iis producendis abstinuisse existimemus? Certè multos jam annos, minimum quingentos, hæc de remissione peccatorum opi-

nio in Romanâ Ecclesiâ versata est, ut causam conferre in tempus non liceat. Quid igitur? Noluerunt fortasse libros suos, homines modesti & humiles, Patrum testimoniis complere scilicet. Quibus etiam, quum nihil opus est, in re non dubiâ sæpe testibus utantur non necessariis. Jam verò res ipsa ejusmodi est, ut operam ipsorum magnopere flagitare videatur; quum non minorem dubitationem habeat, quam ea, quâ de loquimur, infusa, & inhærens justitia. Quid, quod ex illâ de remissione peccatorum sententiâ, necessitatem justitiæ infusæ & inhærentis ad justificationem concludunt Pontificij? ut ostendam cap. sequente.

Quamobrem quum hæc ita se habeant, liceat nobis contra Pontificios ad hunc modum disputare. 9.

Nullo cujusquam è patribus testimonio Remissionem peccatorum esse interiorem & physicam in homine mutationem per deletionem maculæ ex actu peccati remanentis, quisquam Pontificiorum ostendere conatus est.

Ergò nullus è Patribus Remissionem peccatorum esse ejusmodi in homine mutationem judicavit.

Antecedens hujus Enthymematis ipsorum scripta confirmant: consequentiam n. 8. probavi luculenter.

Respondi hactenus de propositionis consequentiâ, ejusq; veritatem contingentem esse non necessariam declaravi. Pergo nũc ut ostendam etiam de assumptionis veritate posse dubitari, concessâ propositionis consequentia. Immò in Pontificiorum gratiam conclusionem ipsam non invitus concesserim. Nam patres quidem de alia justificatione loquuntur, quam est illâ, de quâ nos disserimus: quod ita confici videtur. 10.

Justificatio, De quâ loquimur, ea est, secundum quam nos Deus pronunciat justos. Justos enim facit, ut justos pronunciare possit: quemadmodum ostendi. pag. 1. l. 2. c. 1. Et c. 19. n. 2. 3.

Justificatio de quâ patres, non est ea, secundum quam

DEUS nos justos pronunciat. Negant enim (ut statim perspicuum faciam) justitiam nostram infusam & inhærentem ejusmodi esse, ut nos justos sistat apud Deum.

11 Jam Patres in eâ fuisse sententiâ, ut justitiæ suæ apud Deum judicem confidere non auderent, luculentissimis ipsorum testimoniis demonstrabitur.

Hieronym. *Deus Abraham, Deus Isaac; Deus Jacob: Deus viventium & non mortuorum. Ergo nec ipsi Patriarchæ justificabuntur in conspectu Dei. Stellæ enim non sunt mundæ in conspectu ejus.* Hieronymus ad Psal. 142. Et ad Psalmum 129. *Si transgrediens leges tuas generis humani fragilitas ultione tuâ protinus feriatur, quis evadere poterit?*

Augustinus *Nostra justitia, quamvis vera sit, propter veri boni finem, ad quem tendit: tamen tanta est in hac vitâ, ut potius peccatorum remissione constet, quàm perfectione virtutum. Testis est oratio totius civitatis Dei, quæ peregrinatur in terris. Per omnia quippe membra sua clamat ad Deum, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nec pro eis est efficax hæc oratio, quorum fides sine operibus mortua est, sed pro eis, quorum fides per dilectionem operatur.* August. de Civ. Dei lib. 19. cap. 27.

Lud. Vives Ad quem locum Augustini Ludovicus Vives Pontificius: *Magnâ ex parte sumus boni, non quod benè vivimus, sed quod commissorum scelerum nobis fit à Deo gratia.*

Augustinus *Non dicit, Ego non sustinebo, sed quis sustinebit? Vidit enim propè totam vitam humanam circumlatrari peccatis suis, accusari omnes conscientias cogitationibus suis, non inveniri cor castum præsumens de suâ justitiâ. Si ergo cor castum non potest inveniri, quod præsumat de suâ justitiâ, præsumat cor omnium de misericordiâ Dei, & dicat Deo, Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* August. ad Phil. 129.

Coram te non justificabitur omnis vivens. Noli ergo intrare mecum in judicium Domine Deus meus. Quantumlibet rectus mihi

vi-

videar, producis tu de thesauro tuo regulam, cooptas me ad eam, & pravus invenior. ad Psal. 142.

Hilarius,

Quid spei est, si justificari nos secundum se Deus velit, si ad comparationem sui vitæ nostræ innocentiam postulabit? Justificari autem in conspectu Dei quis viventium potest: cui ira, cui dolor, cui cupiditas, cui ignoratio, cui oblivio, cui casus, cui necessitas vel per naturam corporis, vel per motum animæ semper fluctuantis admista sunt? Hilarius ad Psal. 142.

Prosper,

Expavesco discuti, metuo judicari; quia nemo in hac mortali carne viventium, veraciter potest dicere, se peccati contagia non habere; quum etiam ipsi præcipui arietes ovium Christi, sic orare jubentur, ut dicant, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Prosper ad Psal. 142.

Idem Prosper in Epigramm. 88. de Veniâ, illud Augustini de Civitate Dei l. 19. c. 27. illustrat, concluditque necesse esse

Ut Dominus miserando lavet delicta suorum,
Et dans virtutum munera, det veniam.

Gregorius,

Apud Deum districtè judicati, ipsi quoq; maculas inquinationis habent, qui per munditiam sanctitatis lucent. Gregor. Moral. in Job. lib. 8. cap. 9.

Quantalibet justitiâ polleant, nequaquam sibi ad innocentiam vel electi sufficiunt, si in judicio districtè requirantur. Moral. lib. 27. c. 2[illegible].

Sciunt sancti, quia omnis humana justitia injustitia esse deprehenditur, si divinitus districtè judicetur. lib. 27. cap. 15.

Bernardus,

Quid potest esse omnis justitia nostra coram Deo? Nonne juxta Prophetam, velut pannus menstruatæ reputabitur: & si districtè judicetur, injusta invenietur omnis justitia nostra, & minus habens? Propterea obnixè cum Prophetâ clamantes: Non intres in judicium cum servo tuo Domine, in totâ humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest salvare animas nostras. Bernardus serm. 1. in Festo omnium Sanctorum.

Quis melior, quam Propheta, cui Dominus ipse tàm insigne testimonium perhibet, dicens, Inveni virum secundum cor meum? Veruntamen & ipse necesse habet dicere Non intres in judicium cum servo tuo Domine. Nemo itaq; se seducat: quia si benè cogitare voluerit, inveniet, quod nec cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se, Serm. 1. in Annunc.

12. Quæret aliquis, de quâ tandem justificatione loquutos esse patres existimem, quum, eos de justificatione peccatoris loqui perspicuum sit. Respondeo Justificationem peccatoris aliam esse atque aliam pro ratione diversâ, ex quâ peccator dici potest.

Thomas

Ea vero duplex est. Nam (ut ait Thomas p. 3. q. 61. ast. 4. c.) *Aliquis potest dici peccator dupliciter. Uno modo propter maculam & reatum præteritum. Alio modo potest dici aliquis peccator ex voluntate peccandi, & proposito persistendi in peccato.* Jam hæc de quâ agitur, justificatio, ad priorem modum, quo quis dicitur peccator, pertinet. Est enim justificatio à maculâ & reatu, vel potius (si verè loqui volumus) ab actu peccati præterito, ut ostendam, si Deo placuerit cap. 28.

Illa autem, de quâ patres differunt, justificatio, ad posteriorem modum spectat: estque justificatio à voluntate peccandi, & proposito persistendi in peccato: quæ reverâ ex gratiâ infusâ & inhærente conficitur, nec alio modo fieri aut constitui potest. Sola enim gratia habitualis voluntatem peccandi immutat & tollit.

13. Jam verò istos duos justificandi hominis modos reipsâ & naturâ suâ distingui, ex diversis, ad quos tendunt finibus, manifestum est. Nam per illâm priorem idonei sumus, qui sententiâ judicis absolvamur, quum in judicium vocati rei facti fuerimus. Hæc verò posterior ad hoc inservit, ut Deo adæquemur. Qui quidem finis ab illo finis ab illo priori multùm discrepat. Neque enim, quum apud Deum judicem accusamur cujusquam sceleris, id quæritur, utrum per interio-

rem

rem habitum Deo ſimus adæquati; ſed an Facti, de quo accuſamur, ſimus rei. Reus autem fieri non poteſt, ac multo quidem minus peragi; quem Deus, condonatis, quæ deſignavit, flagitiis, à culpâ & pœnâ abſolverit. Remiſſio igitur, ſeu venia peccatorum eſt illa juſtitia, quâ fit, ut ſententia judicis & reatu culpæ & ſupplicij metu liberemur, ne in judicium vocati condemnemur.

Ac de juſtificationis formâ, quâ propriè naturam ejus comprehendi ſentiunt Pontificii, nō eſt neceſſe plura dicere.

CAP. XXV.

Pontificiorum de Remiſsione peccatorum ſententia explicatur.

SEquitur ut de remiſſione peccatorum diſſeramus. Ad cujus rei explicationem, ſciendum eſt, *Peccati nomine cum originale, tum actuale peccatum contineri*; ut monet Suarez de gr. part. 3. l. 7. c. 10. n. 3. Quorum utrumque in juſtificatione remitti, & peccati nomine ſignificari, nos libenter concedimus.

1. Suarez.

Jam remiſſionem peccatorum ita deſcribunt pontificij, ut ſit *non ſolùm condonatio pœnæ, ſed etiam ablutio & emundatio culpæ.* Bellarm. de Juſtif. l. 2. c. 12. ¶ Quod verò. Et c. 13. ¶ Reſpondeo jam ſæpe. *Remiſsionem dicit eſſe non ſolùm liberationem à debito luendi pœnam, ſed eſſe ipſius iniquitatis & maculæ in animâ reſidentis per infuſionem gratiæ & juſtitiæ mundationem.* Cui aſſentitur Suarez d. p. 3. l. 7. c. 10. n. 3. ubi dicit, *Deum hominibus juſtis verè & propriè remittere peccatum, ita ut poſt remiſſionem nihil, quod veram rationem culpæ habeat, in ipſis maneat.* Quo ſenſu n. 7. affirmat. *Peccata verè tolli per remiſsionem,* & *Remittere nihil aliud eſſe, niſi tollere ſeu deſtruere id, quod manet ex*

2. Bellarmin. Suarez.

Suarez. *actu peccati. Hanc assertionem* (inquit Suarez d. loco) *ferè sub his verbis definit Concilium Tridentinum* sess. 5. *per gratiam baptismi tolli totum id, quod propriam & veram rationem peccati habet.* Se-Con: Trid. cundum Concilij sententiam Vasques in 1. 2. disp. 202. n. 22. ait, *Peccata nostra verè tolli & eradicari.* Et clariùs n. 34. *In justificatione non tolluntur peccata ipsa actionis secundum se, sed tollitur status pecati, quo homo injustus erat.*

3. Quæ de essentiâ remissionis peccatorum disputant pontificij, illis nostri Theologi assentiuntur. Sic enim de remis-Calvinus. sione peccatorum Calvinus Institut. lib. 2. c. 16. n. 3. *Deus, ut sublatâ omnis simultatis materiâ, nos sibi reconciliet, quicquid in nobis mali est, abolet, ut justi in ejus conspectu & sancti appareamus, qui antea immundi eramus ac impuri.* Et n. 5. dicit: *Christum abolitis peccatis, dissidium inter nos & Deum sustulisse.* Libro autem tertio cap. 11. n. 21. clarissimè loquitur, *Deum nos ex peccatoribus justos facere.* Et addit: *Illud fieri per remissionem peccatorum.* Et paulò pòst ait: *Nos abstersis pecatorum remissione maculis* Eccl. Angl. *purificari.* In eandem sententiam Ecclesia Anglica homil. tom 1. serm. de salvat. homin. part. 1. *Infantes baptizati mortem oppetentes, Christi sacrificio à peccatis abluuntur, & qui actu peccant, eodem sacrificio & modo à peccatis purgantur, ita planè, ut nulla supersit peccati macula, quæ ad damnationem imputabitur,* Iuellus. Juellus etiam in Apolog. part. 2. cap. 19. dist. 10. affirmat, *Christi sanguine omnes peccatorum nostrorum maculas penitus ablui.*

Atque hæc quidem Theologi nostri ex Spiritus sancti autoritate pronunciant, qui sæpè dicit, *Peccata nostra tolli per Christum. Eum exhibere sibi Ecclesiam non habentem maculam nec* Ioan. 1, 29, 36. Ephes 5, 27 *rugam.* Ephes. 5. 27. Quare falsum est quod significare voluit Bellarminus de justificat. lib. 2. cap. 7. ¶ Secundo refutatur, Nos dicere, *hominem post remissionem pecatorum adhuc esse verè peccatorem.*

In quem errorem Bellarmini autoritas etiam Vasquem

induxit, qui eam nobis opinionem tribuit, etsi libros nostrorum Theologorum nunquam legerit. Vasques in 1. 2. disput. 202. 22. Suarem quoque idem Bellarminus fefellit, ut nos accusaverit, quod *talem remissionem peccati confingamus, ut ea sola remissio pœnæ, non culpæ censeri debeat.* de grat. part. 3. l. 7. c. 10, n. 2. Quo modo id quod diximus fiat per remissionem peccati suo loco videbimus.

Vasques.

Suarez.

4. Nullàne igitur est nobis cum Pontificiis de remissione peccatorum controversia? Est sanè vel maxima, eaque his ferè rebus continetur. 1, *Quid peccati nomine significetur:* vel *quid illud sit, à quo homo peccator denominetur.* Alterum est, *Quo Dei peccatum remittatur:* vel *Quo modo Deus peccata remittat:* quæ profectò sunt res duæ magni momenti. Illud namque indicat, Quid sit, quod remissione opus habeat: Ex hoc intelligimus, Quando peccatorum remissionem simus consequuti. Quibus rectè perceptis & cognitis facillimum erit judicare, utrum infusione gratiæ ad remissionem peccatorum opus sit, quod tàm vehementer urgent pontificij. Thomas Scholasticorum facilè princeps ita loquitur, 1. 2. q. 113. art. 2. c. *Non posset intelligi remissio culpæ, si non adesset infusio gratiæ.* Eum tota Scholasticorum natio sequuta est.

Thomas.

5. *In peccato autem duo possunt considerari* (ait Thomas 1. 2. q. 87. art. 6. c. & ad 1.) *1. Actus culpæ: Et 2. Aliquid remanens cessante actu peccati,* scil. *Macula & Reatus.* Et part. 3. qu. 67. art. 2. ad 2, Ad hæc adjungit qu. 71. art. 6. ad 5. & q. 113. art. 2. 3. *Offensam.* Thomæ assentitur Bellarminus de amiss. grat. lib. 5. cap. 17. ¶ Sciendum igitur. *Peccati nomine significatur & libera transgressio præcepti, & id quod remanet in animâ peccatoris, post actionem illam transgressionis præcepti.* Cæterum, quæ remanere dicunt, ea sic minutè concedit Bellarminus, ut faciat octo muner. dict. l. 5. c. 19. ¶ Remanet. *Remanet* (inquit) *in animâ peccatoris, 1. primo loco, Respectus quidam ad actum*

Thomas.

Bellarmin.

præ-

præcedentem; sive Privatio innocentiæ, 2. Secundò, Reatus culpæ, sive Meritum pœnæ. Tertio, 3. Reatus pœnæ, sive Obligatio ad luendam pœnam: Quarto 4. Offensa sive inimicitia ejus, qui per peccatum læsus est. Quinto 5. Dispositio, vel Habitus vitiosus infusus. Sexto, 6. Aversio sive obliquitas voluntatis manens per modum habitus. Septimo, 7. Privatio gratiæ sive justitiæ à Deo infusæ. Octavo 8. Macula atq; fœditas, quæ ex privatione divini nitoris ac luminis oritur. Postrema duo, Privatio scil. & Macula re non differunt ab Aversione habituali. ¶ Porrò.

6. Jam hæc peccati distributio quatuor quibusdam proprietatibus explicatur, & illustratur. Quarum prima est, *1. Id quod remanet post actionem, etsi sit aliquo modo effectus ejusdem actionis: tamen est etiam aliquo modo idem cum ipsâ actione: & ideo non per figuram metonymiæ, sed propriè dicitur peccatum.* Bellarmin. d. l. 5. c. 17. ¶ Quamvis. Secunda est. *2. Duplex illa significatio peccati non est significatio duarum rerum, sive duorum peccatorum, sed unius & ejusdem alio atq; alio modo se habentis.* d. ¶ Quamvis. Tertia est, *3. Hæ variæ significationes tam ad originale, quam ad actuale peccatum extenduntur.* d. c. 17. ¶ Sciendum est. Quarta est, 4. *Ex omnibus, quæ remanent in animâ peccatoris, transeunte actu peccati, nihil est, quod propriam peccati rationem habere possit, nisi Privatio justitiæ, sive Aversio, & Macula: quæ unum & idem sunt,* d. l. 5. c. 19. ¶. Probatur. *A quâ maculâ peccatores propriè & formaliter vocamur,* d. c. 17. ¶ Et ad hoc. Quod etiam Vasques significat in 1. 2. disp. 202. n. 34. quum *maculam* vocet *statum peccati.*

Bellarmin.

Vasques.

7. De his autem quæ sunt à Thomâ & Bellarmino disputata, sic existimandum est; quæ Thomas breviter & summatim proposuit, ea Bellarminum copiosius & quasi per partes explicâsse. Nihil enim in illis octo membris reperitur, quod ad tria illa, quæ Thomas recensuit, non possit revocari. In hac verò distributione parùm cautè loquutus est Bellarminus, qui manere in animâ dicat, quæ particulatim recitavit. Eorum

rum enim pleraque in animâ non inhærent, ſed exterius illi accidunt. Quamobrem miſſo Bellarmino Thomam potius ſequar, qui non affirmat hæc eſſe in animâ, ſed ait conſideranda eſſe in peccato, 1. 2. q. 86. art. 6. c.

8. Jam ex his, quæ dicunt, illud verum eſſe concedimus, *Eſſe in peccato aliquid, quod tranſeunte actu peccati maneat.* Nam deſinente agere, qui agit, actus tranſiviſſe intelligitur. Etiam illud fatemur, *Eſſe aliquid peccati nomine inſignitum, quod actu jam finito, manere tamen ſentiatur.* Hinc eſt illud Dei ad Cainum, Gen. 4, 7. *Si non benè egeris, ad fores peccatum cubat.* Et hac causâ Divides multos poſtquam diliquiſſet menſes, Deũ oravit, ut *Deleret iniquitatem ipſius, & à peccato ipſius mundaret ipſum.* Pſal. 51. 11. Tum verò illud quoque agnoſcimus, *Manere aliquid peccato tranſeunte, quod quodam modo idem ſit cum actu ipſo:* non ſolum quoniam alterum eſt eorum, quæ in peccato ſpectanda eſſe, Thomâ autore diximus, ſed etiam quia ipſum actum peccati continuat. Poſtremò illud non negamus, *Manere aliquid poſt illum actum tranſeuntem, à quo homo propriè denominetur peccator*; at Illud formaliter in animâ manere, aut formaliter peccatorem denominare pernegamus. Verum iſtud, quod manere dicimus, à quo peccator denominetur, quid ſit, deinceps perſpicuum fiet cap. 27. 28.

Gen: 4, 7.

Pſal: 51. 11.

9. Supereſt, ut de ſingulis, quæ Bellarm. recenſuit, pauca verba faciam. Concedo igitur accidere homini per actum peccati, quinque ex iis octo, quæ ſunt à Bellarmino propoſita. 1. *Privationem* ſcil *innocentiæ*, 2. *Reatum culpæ*, 3. *Reatum pœnæ*, 4. *Offenſam*. 5. & *Maculam*. Tria verò reliqua quod attinet, nempe 6. *Diſpoſitionem*, vel *Habitum vitioſum acquiſitum*, 7. *Obliquitatem voluntatis manentem per modum habitus*. 8. Et *privationem gratiæ*; dico me nihil cauſæ videre, quare Diſpoſitionem ab actu peccati tranſeunte proficiſci ſentire debeam.

Deinde obliquitatem illam & privationem gratiæ (ſi eſſe aliquid ejuſmodi concedendum ſit) idem eſſe cum Ma-

cula & ſentit & profitetur Bellarminus. De illis igitur ea dicere exiſtimandus ſum, quæ de maculâ deinceps diſputabo. Neque ſanè opus erat, ut iſta Bellarminus particulatim enumeraret. Cæterum non negamus, illa quinque priora, poſt actum peccati tranſeuntem, manere, & quodam modo ejus effecta poſſe nuncupari. Illud verò pernegamus, Ullum ex iſtis (ne Maculam quidem excipio) idem eſſe quocunq; modo cum ipſo actu tranſeunte, quanquam Bellarmino placuit hoc affirmare; quum tamen probare non poſſet.

10. Denique in illo etiam Bellarmino adverſamur, quod *Maculam propriam peccati rationem habere* dicat, & *ab eo nos propriè & formaliter vocari peccatores.* Atque hæc quidem non ſine ratione à nobis negare manifeſtum eſt. Primùm quoniam macula nuſquam in ſacris literis peccatum vocetur, nec homines propter maculam peccatores, quod ſingulis ſcripturæ locis perlectis, & diligenter examinatis auſim affirmare. Deinde, quia nihil eſt ab ullo Pontificiorum è ſcripturis propoſitum, quo vera eſſe, quæ de maculâ diſſerunt, liquere poſſit. Tertio, quia Bellarmini argumentum, (quod etiam unicum eſt, & illi proprium) nihil habeat momenti, ad id, de quo agitur, confirmandum. Poſtremò, quia Maculæ natura ita latere in abſtruſo videatur, ut nullâ cujuſquam Scholaſtici diligentiâ è tenebris adhuc erui potuerit & explicari.

11 Bellarmini autem argumentum ſic habet lib. 5. de amiſſ. grat. cap. 19.

Aut privatio innocentiæ, aut reatus culpæ, aut reatus pœnæ, aut offenſa, aut macula eſt id, quod veram & propriam peccati rationem habet, & à quo propriè ac formaliter peccatores denominamur.

At nec privatio innocentiæ, nec reatus culpæ, nec reatus pœnæ, nec offenſa eſt id, quod veram & propriam peccati rationem hábet, & à quo propriè ac formaliter peccatores denominamur.

Ergò

Ergo maculâ est id, quod veram & propriam peccati rationem habet, & à quo propriè ac formaliter peccatores denominamur.

De Assumptione hujus Syllogismi non laboro: propositionem majorem nego; utpote quæ ex insufficienti partium enumeratione consistat. Est enim aliud quiddam post actum peccati præteritum, quod veram peccati rationem habeat, & à quo propriè peccatores denominemur; ut deinceps Dei auxilio manifestum faciam cap. 27.

CAP. XXVI.

Quid plerique omnes Pontificii sentiant de maculâ.

DIXI de Bellarmini argumento: Reliquum est, ut maculæ naturam investigemus & expendamus. De quâ nihil apud Pontificios certi, aut explorati reperies: ne Concilium quidem Tridentinum quicquam de maculæ naturâ definitum reliquit, immò eam ne nominavit quidem, nedum explicavit: etsi tàm multa sess. 6. de justificatione disseruerit. Quod profectò mirum videri necesse est. Quid enim? An non potuit tàm celebre Concilium in Spiritu sancto (sic enim gloriantur) legitimè congregatum, quid in hac re veri esset, dijudicare? An dijudicatione opus non habere existimavit? Neutrum certè concedent Pontificij. Nam si id dixerint, Ecclesiam non esse universalem fidei regulam largientur. Certè opus non fuisse, ut dijudicaretur, affirmare non licet, quoniam (ut Vasques scribit in 1. 2. disp. 139. n. 1. 3.) & *Scholastici de hac re variè sentiunt*, (quod illum verè scribere statim perspicuum faciam) & magni est momenti controversia.

1.

Con: Trid:

Vasques.

Vasques,

Nam *ex eâ* (ut d. l. Vasques) *pendet vera intelligentia status peccati, à quo per justificationem purgamur.* Plurimùm verò interest rectè nôsse, quo pacto, præterito actu peccati, in peccato manere dicamur, ut sciamus quid scit à peccato purgari & justificari: & quâ formâ talis emundatio & justificatio fieri debeat. Quidnam causæ fuisse dicemus, quod Synodus Trident. de maculâ nihil dixerit? Omninò, si divinare nobis liceat, illud erat, quòd nihil divinitùs revelatum, nihil à patribus antiquis traditum, nihil â Conciliis definitum esse intelligeret, ex quo de maculæ naturâ quicquam certi statuere liceret. Ex quo emergit id, quod volumus, Maculam non esse id, quod constituat hominem in statu peccati, à quo propriè ac formaliter peccator denominetur.

2.

Lombard9.

Quod autem dixit Vasques, *Scholasticorum Theologorum varias fuisse de maculâ opiniones,* illud ex ipsorum testimoniis liquidò constabit. Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus, quem Magistrum sententiarum appellant, Maculam ad hunc modum describit in 4. sent. dist. 18. cap. ult. *Ipsa dissimilitudo, quæ inest animæ ex peccato, & est à Deo elongatio animæ, Macula intelligitur. Nam post actum peccati ita polluta remanet anima, sicut fuerat, dum peccatum ageret.*

Bonavent:

Alexander Halensis paulò aliter in summâ p. 1. qū. 14. memb. 6. art. 4. *Macula dicit carentiam spiritualis pulchritudinis, cum debito habendi.*

Alexander,

Magistri sententiam sequutus est Bonaventura; eamq; exponit ac tuetur in 4. dist. 18. dub. 2. *Deordinatio manens in animâ est culpa ipsa & peccatum. Hoc autem habet considerari & secundum rationem aversionis, & secundum rationem conversionis, & rationem utriusq;. Quantum autem ad aversionem, sic dicitur Macula & Fœtor. Et hoc similiter secundùm duplicem comparationem illius conjunctionis cum delectabili terreno, aut in se, & sic est Macula, aut ad vim cognitivam, & sic est Fœtor.*

Thomas Bonaventuræ coævus idem cum illo & magi-

ſtro ſentit: *Macula* (inquit) *eſt detrimentum nitoris ex peccato proveniens.* 1. 2. q. 86. art. 1. c. & art. 2. c. Thomas.

Cui aſſentit Conradus ad eum locum Thomæ; Capreolus in 4. diſt. 14. q. 1. ad 6. arg. Soti. Dominicus Sotus in 4. diſt. 15. q. 1. art. 2. ¶ Ex his. Et Bellarminus de amiſſ. grat. l. 7. c. 14. Reſpondeo. Et l. 5. c. 19. ¶ Remanet. Conradus, Capreolus, Sotus. Bellarmin.

Ab iſtis deſcivit Cajetanus in 1. 2. q. 86. 1. *Macula* (inquit Cajetanus) *ſumitur dupliciter. Primo modo pro privatione conjunctionis ad Deum ex peccato. Secundo modo pro privatione nitoris. Et ſi dicitur ſecundo modo, non eſt id, quo formaliter, poſt actum dicitur quis peccator, ſed effectus ejus. Sed primo modo eſt id, quo formaliter dicitur peccator.* 3. Cajetanus,

Durandus aliter ſentit de maculâ. *Eam* ſcil. *conſiſtere in deordinatione actus; ſicut in deordinatione membri corporalis conſiſtit turpitudo corporis.* in 4. diſt. 21. q. 1. n. 5. & diſt. 16. q. 2. n. 6. & diſt. 18. q. 2. n. 6. Et quanquam lib. 3. diſt. 19. q. 1. n. 7. dicat, *Carentiam gratiæ dici Maculam*, tamen cum Thomâ & aliis conſentire non eſt exiſtimandus, quoniam n. 6. dixerat *Privationem gratiæ habitualis* (in quâ illi maculæ naturam ponunt) *non eſſe culpam, ſed pœnam.* Durandus.

Scotus ab his omnibus diſſentit in 4. diſt. 14. q. 1. ¶ Dico ergo. *Nihil aliud* (inquit Scotus) *eſt poſt actum peccati, ceſſante offenſa, Macula, & Reatus, niſi relatio rationis, ſcilic. ordinatio ad pœnam, ut eſt diſconveniens ipſi animæ, dicitur ejus macula.* Scotus,

Scoto Gabriel Biel ſuffragatur in 4. diſt. 14. qu. 1. n. 2. *Dicitur homo peccator ab ordinatione divinâ, quâ propter peccatum præteritum ordinatus eſt ad pœnam æternam,* Quæ eſt etiam Medinæ & Guilielmi Pariſienſis ſententia, ut ait Vaſques in 1. 2. diſp. 159. n. 5. Biel. Medina, VVil. Pariſ.

Maculæ naturam Vaſques alio modo, quam ſuperiores Thomiſtæ deſcripſit. *Privatio gratiæ* (ait Vaſques d. diſp. 139. n. 13. 14.) *eſt vera macula & animæ immunditia. Sed hac ſolâ privatione non ſufficienter totus ſtatus peccati & maculæ, in quo pecca-* 4. Vaſques.

tor manere dicitur, vel quod constituit hominem peccatorem, exponitur, Quid verò id sit, quod deest, declarat n. 23. his verbis: *Asserimus Maculam, quâ homo verè dicitur pollutus sorde peccati esse denominationem peccatoris, injusti apud Deum, & inimici illius. Hæc autem provenit ex præterito peccato, quatenus est peccatũ.* In quam sententiam n. 24. dicit *Justificatione tolli in nobis non solùm privationem gratiæ, sed aliquid etiam positivum*, sc. *extrinsecæ solum denominationis.* Et n. 22. *Forma, a quâ sumitur denominatio maculati & peccatoris, est præteritum peccatum non retractatum.* Atque *in hac* (ut titulus cap. quinti indicat) *consistit propria ratio maculæ ex peccato relictæ, à quâ per justificationem emendamur.*

5. Cum illo sentire Suarez videtur in 3. tom. 4. disput. 8. sect. 3. num. 11. *In maculâ prout nunc est, duo possunt considerari; ùnum physicum, quod est privatio gratiæ; aliud morale, scilicet respectus ad præteritum peccatum, quod moraliter manere censetur, quamdiu non remittitur.* Et tom. eodem disput. 9. sect. 4. n. 24. *Habituale peccatum non solùm includit id, quod morale est, sed etiam privationem internæ sanctitatis.* Et d. dis. 8. sect. 3. num. 4. ¶ Secundò quia, dicit *Omne aliud præter privationem gratiæ, quod in peccatore manet, postquam peccatum actu transiit, esse solùm quid morale, vel respectum ad præcedens peccatum.* Et de grat. p. 3. l. 7. c. 11. n. 23. *Peccatum, etiam quoad habitualem maculam, quæ transacto actu manet, non est mera privatio physica gratiæ, sed includit aliquam moralem deordinationem, quæ formaliter constituit rationem peccati.* Quæ verò sit hæc moralis deordinatio, intelligi opinor, non potest, nisi eandem esse, quam extrinsecam denominationem appellat Vasques, sentiamus.

6. Ex hac opinionum varietate, ita licet nobis disputare. Si vera maculæ, quam sibi Pontificij confinxerunt, natura posset inveniri, ab aliquo illorum, quorum testimonia recitavi, jampridem fuisset inventa, Erant enim summo in-

genio & judicio viri, qui omni ſtudio in illam curam incumbebant, ut quid in eâ re verum eſſet, perſpicerent. De cujus inveſtigatione à Petri Lombardi temporibus uſque ad hodiernum diem, annos plus minus quingentos, in ſcholis elaboratum eſt. Quid igitur tantâ contentione, & tàm diuturnâ inquiſitione actum eſt? Illud profectò, ut & qui de maculâ ſcripſerunt, eos in ſummâ varietate, & diſſenſione conſtitutos, quid Macula ſit, reperire non potuiſſe, & omnes à veritate aberrâſſe manifeſtum ſit. Quod è ſingularum opinionum examinatione, & refutatione liquidius apparebit.

7. Scotus. Vaſques.

Ac de Scoti quidem opinione, quam multi refellendam ſibi propoſuerunt, ad hunc modum Vaſques in 1. 2. diſputat. 139. num. 5. *Hæc opinio Scoti* (ait Vaſques) *mihi non probatur*; quam deinde num. 6. & 8. rationibus quibuſdam refellit. Sic etiam Cajetanus & Capreolus ubi ſupra; Durandus *deordinationem actus* maculam eſſe vult. At non videtur intelligi poſſe, quo pacto deordinatio actus manere, ſi actus ipſe non maneat, ſentiatur.

Cajetanus. Capreolus. Durandus.

Cajetanus.

Cajetani ſententiam refutavit ille, de quo modo, Vaſques d. diſp. 139. num. 11. quod diſtinctione quadam nitatur, quam nemo præter ipſum probaverit; & quam planè falſam eſſe Vaſques affirmat.

8. Vaſques. Suarez.

Vaſquis autem ipſius & Suaris (ſi uterque idem ſenſerit) hæc eſt ſententia; Maculæ naturam non ſolùm in privatione nitoris, ſed etiam in extrinſecâ demonſtratione conſiſtere; ut oſtendi pluribus n. 4. 5. Illud autem falſum eſſe his argumentis conficitur.

Peccatum quod in juſtificatione dimittitur, & debitum noſtrum. Matth. 6. 12. *Dimitte nobis debita noſtra.*

Extrinſeca denominatio non eſt debitum noſtrum.

Ergo extrinſeca denominatio non eſt peccatum, quod in juſtificatione dimittitur.

Dein-

Deinde ſic licet arguere.

Quod ſupponit & ſequitur peccatum illud in homine, à quo juſtificandus eſt, non eſt ipſum peccatum à quo juſtificandus eſt.

Externa denominatio peccatoris ſupponit & ſequitur peccatum illud in homine, à quo juſtificandus eſt. Nam hæc denominatio eſt ſecundum veritatem. Veritas autem hæc, eſt rei & denominationis adæquatio, ideoque radicaliter in reipsâ ſita eſt, & à re ad denominationem transfertur.

Ergo externa denominatio peccatoris non eſt peccatum illud, à quo homo juſtificandus eſt.

CAPUT XXVII.

Quæ Lombardus, Thomas, aliique eos ſequuti, de maculâ tradiderunt, expenduntur, & refelluntur.

1. DE Lombardi, Alexandri, Thomæ, eorumque, qui illos ſequuti eſſe videntur, opinione, primam dico, Dubitatione non carere, utrum omnes idem ſenſerint. Quod etiam Vaſques ſignificavit dict. diſput. 139. n. 11. quum non auderet affirmare, ſed tantum diceret, *ſe exiſtimare illorum omnium eandem eſſe ſententiam.* Sed his omiſſis ad explicationem maculæ accedamus.

2. Maculam privationem eſſe nitoris propter peccatum aliquod præteritum tradunt illi, quos ſupra nominavi, pontificii. Nitoris autem voce gratiam ſignificant, eamque habitualem, non actualem. Naturam maculæ in privatione poſitam eſſe, ſic confici poſſe exiſtimant. *Ut gratia* (inquiunt) *eſt pulchritudo animæ, ſic ejus abſentia eſt macula ejuſdem ſeu turpitudo.* Sciendum tamen eſt Maculæ naturam non in ſolâ privatione ab iis conſtitui, ut deinceps manifeſtum fiet, n. 12.

Immò verò non omninò in privatione consistere locup:les autor est Joannes Capreolus, qui quum Thomæ opinionem de maculâ defendendam adversus Petrum Aureolum suscepisset, nec illâ privatione naturam ejus comprehendi ausus est affirmare, nec quâ in re ponenda esset, potuit constituere. *Id quo quis dicitur formaliter peccator* (ait Capreolus in 4. dist.14. q. 1. ad primum Aureoli primo loco inductum) *est peccatum præsens aut præteritum, manens tamen in suo effectu, putà inæqualitate, vel offensâ. vel maculâ, aut alio simili.* Et d. q. 1. Ad ea quæ secundo loco inducit Aureolus, ita loquitur: *Ille qui peccatum commisit, transeunte actu peccati, peccato nondum remisso per gratiam vel gratiæ sacramentum, in illo intermedio dicitur, formaliter peccator, per præcedens peccatum aliquo modo manens in suo effectu derelicto ex parte conversionis vel aversionis.*

3. Capreolus, Aureolus,

Cæterum quod hanc maculæ descriptionem attinet, quam isti mordicùs tenent, monendum est, in eo pro concesso sumi, Illum, qui propter pecatum maculatus esse intelligitur, habitu gratiæ aliquando præditum fuisse, eumq; per peccatum præteritum amisisse. Atq; hoc quidem, si de Adamo, omnibusque in illo hominibus intelligeretur, nos non repugnaremus. Verùm non de hac solâ maculâ, aut hoc peccato loquuntur, sed etiam (& id quidem præcipuè) de illâ saltem maculâ, quæ homini adulto propria est. De illâ enim maculâ disputationes ab iis multa & frequenter institui solent, quæ nobis adhærere dicitur, quoniam obicem ponimus gratiæ. Quæ quidem crescit, & quodammodo augetur numero in dies singulos pro numero singulorum peccatorum mortalium.

4.

De hac verò maculà primum id respondemus; Hominem adultum, qui habitu gratiæ aliquando imbutus fuit, eo nunquam privari per quodcunque peccatum. Quare quod nos negamus, id illis probandum erat, non sumendum. Provocabunt fortasse ad Concil. Trid. quod *Amitti posse gratiam*

5.

luculenter affirmat sess. 6. de justif. cap. 15. & can. 23. 27. 28. At nos Synodum illam conjurationem fuisse dicimus assecla-rum Pontificis Romani ad veritatem obscurandam & opprimendam, non legitimum ad eam illustrandam & constituendam Concilium. Quæ autem ipsi (Bellarminus sc. aliiq; Theologi papistici) in disputationibus suis ad hoc confirmandum argumenta proposuerunt, ea nostri satis perspicuè & consentienter veritati refutârunt. Secundò loco quod probare non possunt, disputationis gratiâ largiemur, Hominem adultam, cui gratia aliquando à Deo donata fuit, illam per peccatum à se patratum amisisse. Hoc autem concesso, negamus tamen Maculæ naturam ea descriptione explicari, quod ita constat.

6. Si privatio gratiæ propter peccatum aliquod præteritum sit macula seu peccatum, quod in justificatione tollitur, tum unum tantum est peccatum in justificatione tollendum. Nam unum peccatum hominem gratiâ privat, & unum tantum esse potest privatio gratiæ: quia totâ penitus sublatâ (quod in ejus privatione accidit) non potest alia deinceps fieri privatio, quum nihil supersit, quod privatione auferri queat. In quam sententiam Bassolis ad hunc modum disputavit. *Si macula sit talis privatio, unus non potest dici major peccator quam alius: quia ita benè privatur gratia, & in se, & quantum ad omnem, sui gradum per unum peccatum mortale, sicut per centies mille.* Bassol. in 4. dist. 14. q. 2. arg. 1. ¶ Contra istas tres opin.

Bassolis.

At non unum tantum, sed multa sunt peccata in justificatione tollenda. Sic enim Dominus noster Luc. 7. 47. *Remissa sunt ei peccata multa.*

Luc. 7, 47.

Ergò privatio gratiæ propter peccatum præteritum, non est macula seu peccatum, quod in justificatione tollitur.

Consequentiam propositioni negant Pontificij. Ad ejus probationem respondet Thomas 1. 2. q. 86. art. 1. ad 3. Et in 4. dist. 18. q. 1. art. 2. ad 1. arg. pro prima quæstione. *Multa pec-*

Thomas.

cata

cata multos maculas aspergere, quoniam singula obicem ponendo, quominus, gratiam accipiamus, impediant.

Sic ergo videtur Thomas distinguere.

Privatio gratiæ fit vel tollendo gratiam, quæ inest; vel impediendo illam, quæ conferenda erat.

Prior illa privatio una tantum est: posterior hæc multiplex; quoniam gratiâ privatur homo, quoties peccatum mortale committit.

7. De hac distinctione respondemus: vocem illam Privatio in ea duo membra non ineptè distribui posse. Etenim aliquid, quod reipsâ non existit, & esse & adesse dici potest (secus enim quomodo affirmari posset Deum effectus nondũ creatos præscire?) & nos dici possumus illo privari, etsi id non simus consequuti. Cæterum hoc tum solum fieri potest, quum illius rei causę plenè ac penitùs dispositæ sint ad efficiendum, & ad producendum rem illam in realem existentiam.

Privationem verè gratiæ ita posse distingui pernegamus. Non possumus enim verè affirmare, voluntatem divinã (quæ gratiæ causa est præcipua) ita determinatam esse ad gratiam in quempiam conferendum, qui nunquam illa patiatur actu. Nam hæc quidem Dei voluntas (ita sc. determinata) est ipsius voluntas efficax, per quam omnia creata operatur, cuiq; nulla creatura potest resistere; ut rectè propheta Psal. 115. 3. *Deus noster omnia quæcunque voluit fecit.* Et in eandem sententiam Apostolus Rom. 8. 19. *Voluntate ejus quis restitit?*

Psal. 115, 3. Rom. 9, 19

8. Verùm fingamus, si placet distinctionem illam aliquâ ratione veram esse. Quo concesso dicimus, obicem aut impedimentum ponere gratiæ, nihil aliud esse, quam objicere id divinæ voluntati, quo moveatur, ne quod facere instituerat, id pergat facere. Atq; hoc sensu, peccatum obicem ponere gratiæ confitemur, quoniam id affirmant prophetæ. Sic n. Esaias 59. 2. *Peccata vestra diviserunt inter vos & Deum vestrum.* Et Jerem. 5. 25. *Peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis.* Quæ ut rectè intelligantur, sciendum est.

Esai. 59, 2. Jer. 5, 25.

Peccatum posse obicem ponere vel de facto, vel de jure, sive dispositivè.

Ac posteriori quidem sensu concedimus Peccatum obicem ponere, eodemque sensu loquutos esse prophetas affirmamus, quasi Deum ita loquentem introducerent; *Nihil omninò causæ est, cur de me conqueramini, quod bona, quæ tantopere cupitis, consequuti non sitis. Nam si peccatorum vestrorum multitudinem & gravitatem cogitetis, facilè animadvertetis, satis esse causæ, cur ea vobis non largiar, quæ ad vitam hanc benè & feliciter degendam pertinent.* Id igitur dicunt prophetæ, Peccata Israëlitarum de jure, sive dispositivè, & quantum est de se, inter Deum & populum divisisse.

9. Con: Trid: Urgebunt nos fortasse Papistæ Concilij Tridentini autoritate, quod *Homines de facto obicem ponere gratiæ* contendit, sess. 7. can. 6. ita planè, ut sacramenta eam non conferant. Quod quidem, etsi ab illis Patribus Trident. dicatur: tamen falsum esse hac ratione conficitur, ut de gratiâ conferendâ prophetas loqui, quamvis non faciant, concedamus.

Si peccatum obicem poneret gratiæ de facto, tum Deus de facto nulli gratiam largiretur, in quo est peccatum, & ratio aliqua reddi posset ex parte hominis, cur Deus gratiam huic daret, illi non daret; nimirum, quod in altero sit peccatum, in altero non sit.

At Deus de facto gratiam iis largitur, in quibus est peccatum, nec ratio ulla reddi potest ex hominis parte, cur Deus gratiam huic donet, illi non donet.

Ergo peccatum non ponit obicem gratiæ de facto.

Priorem assumptionis partem quotidiana confirmat experientiâ, quam Deus in dies singulos peccatoribus gratiam impertiatur. Nam secus profectò nemini gratiam largiretur, quum omnes naturâ sint peccatores.

Præterea, gratia præveniens in eum qui peccat, confertur, Apostolo & Prophetâ id testantibus, *Inventus sum à non quæ-*

ren-

rentibus me, conspicuus factus sum iis, qui de me non interrogabant. Rom. 10. 20. Esai. 65. 1. Justificationem verò hominis à præveniente gratiâ ortum ducere declarat Conc. Trident. sess. 6. cap. 5, his verbis. *Declarat Synodus ipsius justificationis exordium in adultis à Deo per Christum præveniente gratiâ sumendum esse.* Igitur habitus gratiæ in eos confertur, qui peccant. Nam illa certè prævenientem gratiam sequitur ex ejusdem Concilij sententia, quæ affirmat d. sess. 6. c. 7. *Habitum gratiæ cuiq; infundi secundùm dispositionem ipsius, per gratiam*, sc. *prævenientem*, de quâ c. 5. loquuta fuerat Synodus. Neque fieri quidem potest, ut peccator priusquam gratiâ imbutus fuerit, à mortalibus peccatis perpetrandis abstineat: quia sola gratia animam sanat.

Rom. 10. 20
Esai. 65. 1.
Con: Trid.
Con. Trid.

Posterioris membri veritas ex eo elucet, quod si ratio quare hic gratiam consequatur, sit, quia hic non peccat, ille peccat, salus hominis ab ipso initium sumeret, & ipse causa esset differentiæ, quoad gratiam justificationis & salutis, inter se & alios homines. Quorum utrumque à Theologiâ alienum esse & nostri & pontificij Theologi omnes confitentur.

Alia ratio, quâ Privationem gratiæ non esse peccatum in justificatione tollendum probetur, sic institui potest.

Peccatum quod in justificatione tollitur habet existentiam manentem. Peccatum enim, quod physicè præteriisse agnoscitur: manet tamen moraliter, ut ostendi è Suare c. 25. n. 6. & deinceps ostendam cap. 28. n. 18.

Con. Trid.

Privatio gratiæ non habet existentiam manentem; ne moraliter quidem. Nam privatio est defectus sive absentia existentiæ.

Ergo privatio gratiæ non est peccatum, quod in justificatione tollitur.

12.

De Assumptione respondent Pontificij, maculam non esse tantum privationem, ut monui n 2. sed etiam *aliquid positivum*; quanquam non reale: nempe Relationem ad præteri-

Thomas. Conradus, Suárez.

tum peccatum: ut ait Thomas 1. 2. qu. 86. art. 2. ad 3. Et ibi Conradus. Suarez in 3. tom. 3. disp. 9. sect. 3. n. 11. Hanc autem manere dicunt, quasi *Habitum*, vel *Aversionem*, aut *Obliquitatem voluntatis per modum habitus*. Sic enim Conradus in 1. 2. qu. 86. art. 1. Sed contra *Privationem* dicit esse *Quasi habitualem animæ aversionem à Deo*. Et Bellarm. de amiss. grat. l. 5. cap. 19. ¶ Remanet; dicit esse *obliquitatem voluntatis manentem per modum habitus*, & de justif. l. 2. c. 15. ¶ Quartò, Ita Vasques in 1. 2. disput. 139. n. 24. *Manet macula ex peccato præterito non solum per modum habitus in universum, sed etiam peculiari ratione*.

Bellarmin, Vasques,

13, Cicero,

Nos autem dicimus, ne intelligi quidem posse, quid ista sibi velint, *Quasi habitus. Per modum habitus*. C. Vellejum Epicureum ridet apud Ciceronem lib. 1. de natur. Deorum. C. Cotta Academicus, quòd quum Deos suos corporeos esse non auderet affirmare; diceret tamen Habere illos quasi corpus, & quasi sanguinem. *Corpus* (inquit Cotta) *quid sit, sanguis quid sit, intelligo: quasi corpus, & quasi sanguis, quid sit nullo prorsus modo intelligo*. Homerus certè, à quo istas facetias mutuati esse videntur Epicurei, quum Venerem â Diomede vulneratam finxisset, sanguinem, quem è manu ejus profluere fecit, communi voce αἷμα appellari noluit; sed novo nomine ἰχῶρ nuncupavit. Ita planè faciendum erat pontificiis, ut quum rem novam Philosophis & Theologis ignotam tam subtiliter excogitassent, novum etiam vocabulum, quo pro dignitate suâ insigniri posset, confingerent.

Homerus, αἷμα. ἰχῶρ.

14,

Cæterùm ut ista quæ dicunt, *Quasi habitus, Per modum habitus* intelligentiâ comprehendi posse concedamus: negamus tamen vim & naturam maculæ sive peccati, quod in justificatione tollitur, illâ descriptione explicari. Nam quod est quasi habitus, tantum similitudinem quandam habitus significat: similitudo autem rei naturam, & quid sit non declarat, sed tantùm quale quid. At verò quale quid rei naturam non continet, sed accidens rei adjunctum denotat.

Neque

15. Neque habitus quidem vox maculæ naturam videtur exprimere. Habitus enim non potest esse peccatum, quod in justificatione deletur: quoniam quod in eâ tollitur, est peccatum propriè, ut ait Bellarm. de amiss. grat. l. 5. c. 10. Rursus. Peccatum verò propriè dictum est *Actus à lege divinâ aberrans, qui nos æternæ morti obnoxios facit*; ut fatetur idem Bellarminus lib. 5. c. 13. ¶ Ad tertium.

Bellarmin. Bellarmin.

16. At esse habituale peccatum, quod tollitur, probat Bellarminus, est habitualis justitia, quâ tollitur. Verum, si habitus justitiæ & peccati sint contraria, tum peccatum sumitur pro dispositione, quâ homo ad malum fit idoneus. Hanc verò peccatum esse negat Bellarminus. Sin autem vox Peccatum propriè sumatur, (quo sensu à nobis de illâ disputatur) infirma est, quam Bellarminus proposuit, consequentia. *Justitia* namque *habitualis non est propriè, sed metaphoricè justitia*; ut docet Thomas 1. 2. q. 114. art. 1. c. Et ibi Conradus.

Bellarmin. Thomas. Conradus.

Sed neque illud quidem verum est, Justitiam habitualem & peccatum esse contraria: quia peccatum, quum propriè sumitur in Scripturis solum actum significat; quem propriè esse peccatum docet Bellarm. d. l. 5. c. 15. ¶ Ad tertium.

Bellarmin.

17. Postremò relationem ad causam privationis gratiæ aliquid positivum manens concedimus: idq; non reale, sed rationale: quia est relatio inter causam & effectum; quâ effectus arguitur à causâ suâ: nempe Hæc privatio gratiæ ab aliis omnibus privationibus gratię differre ostenditur per causam suam, quæ ipsi propria est. Verum relatio ad peccatum præteritum, ut ad causam suam, peccati naturam inducere non potest. Peccati enim natura in eo tota posita est, quod sit defectus, aberratio, vel (ut ita loquar) inconformitas legi divinæ. Nullus autem peccati effectus, quatenus relationem habet, ad peccatum ut causam suam, inconformitatem legi Dei continere, vel cogitari potest.

Sequitur tertium argumentum.

18. Si privatio gratiæ sit illud peccatum, quod in justificatione tollitur, tum remissio peccatorum in eo posita est, quod defectum suppleat. Nam privatio quidem defectum sive absentiam significat, quæ tolli non potest, nisi per accessionem ejus rei, quæ abesse aut deficere intelligitur.

At remissio peccatorum in eo posita non est, quod defectum suppleat. 1. Nunquam enim in sacris literis eo sensu adhibetur. 2. Si ea esset remissionis peccatorum natura, nullus ad eam condonationis; aut non imputationis usus esset. Esse autem perspicuum est: quia interdum Spir. S. in descriptione remissionis peccatorum, ad ejus naturam explicandam, condonationem, sive non imputationem adjungit. verbi gratia, Rom. 4. 7. 8. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta peccata. Beatus vir, cui Dominus non imputavit peccatum,*

Rom. 4, 7, 8

Ergo privatio gratiæ non est illud peccatum, quod in justificatione tollitur.

Postremum argumentum ita instituo.

19. Si privatio gratiæ propter peccatum præteritum sit illa macula, vel peccatum, quod in justificatione tollitur, tum omnia peccata, etiam hominum diversorum, in justificatione sublatâ, uno nomine sunt appellanda. Nam privatio gratiæ, quotiescunque fiat, uno tantum nomine vocatur; sc. Privatio gratiæ. Privatio autem gratiæ, quatenus à præterito peccato proficiscitur, peccati, à quo orta est, nomen sortiri non potest; quum naturam ejus induere non possit: quoniam non est legis violatio, quæ illo peccato facta est.

At peccata, saltem hominum diversorum diversa sunt, nec uno nomine appellanda, juxta illud Apostoli 1. Cor. 6. 10. *Tales quidem fuistis scortatores scil. Idololatræ, adulteri, fures, &c. Sed justificati estis,*

Ergo privatio gratiæ propter peccatum præteritum non est peccatum in justificatione tollendum.

Expositâ jam & disceptatâ illâ maculæ descriptione, quam Lombardus, Alexander, quiq; illos sequuti sunt, tradiderunt; reliquū est, ut quæ sit revera illius maculæ natura, quę in justificatione tolli dicitur, explicemus. Eā verò (si qua sit) & mihi ignotam esse ingenuè fateor, nec à quoquā exponi posse, quæ tandem sit, existimo. Dicam breviter cur ita sentiam. Ac primum illud occurrit, Theologos Pontificios, quum in hujus maculæ naturâ investigandâ quingentos propemodum annos (ut cap. 25. n. 3. significavi) summo studio & diligentia elaboraverint, nihil reperire potuisse, quod verum esse ullâ ratione demonstraverint, aut demonstrare conati fuerint. Accedit eòdem, quòd quum ejus natura (si qua sit) è solâ divinâ revelatione peti debeat (quoniam est veritas Theologica) ex ea verò nihil erui possit, quo de illâ, quid sit, judicium, fieri queat, profectò in ejus ignoratione versari homines necesse sit.

21.

Unum est, quod de maculâ sacræ literæ tradiderunt: Eam scil. munditiæ & puritati opponi. Quod etiam vox ipsa è communi usu sumpta satis indicat. Et id quidem significat Apostolus Eph. 5. 26. quum dicat *Christum tradidisse seipsum pro Ecclesiâ, ut exhiberet eam sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Utrum autem *Habitus* sit, vel *quasi habitus*, utrum *privatione*, an *positione comprehendatur*: utrum *Actualis peccati effectum* sit, an *ipsum peccatum actuale*, è sacris literis constare vix, aut ne vix quidem potest. Quamobrem à naturâ maculæ indaganda, videtur esse abstinendum. Illud potius investigemus, quid sit, quod nos eâ conditione esse faciat, ut ab illâ peccatores nuncupemur. Nam illud certè in justificatione deletur, quæ nos Deo sistit immunes ab illâ maculâ, qualis qualis sit, propter quam æternæ pœnæ nobis erant persolvendæ.

Eph. 5. 26.

CAPUT XXIIX.

Quid illud ſit, à quo peccatores nominemur.

1. QVoniam igitur maculæ illius, quam Papiſtæ ſibi opinionis errore confinxerunt, naturâ ſic abſtruſa eſt & abſcondita, ut nullo modo à quoquam erui, & in lucem educi poſſe videatur, ad explicandum quod illud ſit peccatum, quod in juſtificatione tollitur, hoc unum ſupereſt, ut à quâ re peccatores nominemur, poſt peccatum præteritum, intelligamus. De quo ad hunc modum Joannes Baſſolis in 4. diſt. 14. q. 2. art. 1. ¶ Quantum ad præſentem articulum. *Peccator dicitur non ſemper, quia peccat in actu, ſed quia aliquando peccavit; & ſic puto, quod peccator actualiter dicitur quis, poſt actum peccati, vel poſtquam actu peccavit, non manere peccato; non ab aliquo quod inſit actu; putà nec à reſpectu reali vel obligatione ad pœnam, ſeu à reſpectu rationis: ſed à peccato vel peccatis, quæ infuerant ſibi, de quibus non pœnituit, vel quæ ſunt deleta per aliam viam. Et ſecundum quod plura incurrerat peccata, vel majora, vel minora (dato quod non maneant in ſeipſis, ſed tranſeant) ſecundùm hoc dicitur major vel minor peccator, & quod majorem vel minorem pœnam meruit.*

Baſſolis.

2. Huic ſententiæ Baſſolis ego me libenter adſcribo: quoniam Spiritus ſanctus in ſcripturis peccatores, vel ab actu peccati, vel ab originali, quam vocant, pravitate, nec à re quâvis alia, eo nomine appellare ſolet: ut ſingulorum locorum, in quibus ea vox uſurpatur, conſideratio & facilè & perſpicuè oſtendit.

Jam hæc Baſſolis ſententia vera eſſe his rationibus probari videtur.

Pro-

Propter quod homo obnoxius est morti æternæ, ab eo denominatur peccator: quoniam soli peccatores, & illi, quia peccatores, morti æternæ sunt obnoxij.

At propter actum peccati homo obnoxius est morti æternæ. Sic enim Salomon Ecclesi. 11. 9. *Ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, at scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium,* Et Apostol. 2. Corinth. 5. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi; ut ferat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Etiam Dominus noster Matth. 25. 41. *Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* vers. 42. *Esurivi enim, & non dedistis mihi,* &c.

Eccles. 11, 9.

2. Cor. 5, 10

Matt. 25, 41

Ergo ab actu peccati denominatur quis peccator.

Alteram rationem ad hunc modum propono.

4.

A peccato propriè dicto denominatur quis peccator.

Actus malus sive actus peccati est peccatum propriè dictum.

Ergo ab actu malo, sive ab actu peccati denominatur quis peccator.

Propositio major dubitationem non habet: Nam si ab eo, quod non sit propriè peccatum denominaretur peccator, non esset quidem propriè peccator.

Majorem confirmat Spiritus S. apud Davidem, Ps. 51. 5. *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*; ut Peccare & Malum facere idem sit. Unde Thomas 1. 2. q. 71. art. 6. c. *Peccatum nihil est, nisi actus humanus malus.* Et Bellarm. de am. gr. l. 5. c. 19. § Rursus. affirmat, *peccatum propriè dictum esse actum à lege divinâ aberrantē.*

Psal. 51, 5.

Thomas

Bellarmin.

Atque hæc quidem peccatoris appellandi ratio, ut ab actu peccati peccator insigniatur, optimè convenit divinæ sapientiæ. Quum enim ad nostrã institutionem in scripturis loqui Deum perspicuum sit, eo modo loquutus esse existimandus est, quo illos, quos instituere cupit, in ejusmodi reb.

5.

uti solere compertum habuit. Quis autem nescit homines, à flagitiis, quæ designaverunt, flagitiosos, improbos, impios, iniquos, peccatores, injustos nuncupari? Quare si à malè factis Deus peccatores nominari significet, quid sit esse peccatorem & certò & facilè intelligemus. Sin autem à Maculâ nescio quâ, peccatores nomen sortiri, novo quodam modo atq; admodum obscuro, & à communi loquendi consuetudine prorsus alieno, intelligi voluerit, quemque ipse nusquam exposuerit, divinatione profectò ad ea, quæ dicit, intelligenda, non Grammaticâ, Dialecticâ, Rhetoricâ opus erit.

6. Ab actu igitur peccatores, fures scilic. à furto facto, ab adulterio commisso adulteros, ab homicidio perpetrato homicidas vocari existimemus. Neque hoc cuiquam mirum videri debet, aut sanè potest, si cogitet, ipsum actum satis justam illius appellationis rationem continere, & quasi fundamentum, in quo possit consistere. Quod verum esse cap. sequenti ostendam.

CAP. XXIX.

Quomodo ab actu peccati peccator nominetur.

1. Essentia sive natura peccati dupliciter potest considerari, physicè nimirum & moraliter. Physicè considerata, nihil aliud est, quàm Motus peccantis, sive Terminatio animi & corporis ejus, aut solius animi, ad externum aliquod objectum. Eadem verò essentia moraliter considerata, est idem motus, sive eadem terminatio, quatenus ab intellectu apprehenditur.

2. Quin sit in peccati essentia hujusmodi terminatio dubitari à quoquam non potest, neque solet: quoniam ea divinorum præceptorum in Decalogo ratio est, ut terminatio-

nem

nem ad certa quędam objecta prohibeat. Atq; hoc quidem in singulis pręceptis, & peccatis, quibus pręcepta violantur, perspicuum est. Apponam exemplum. Quid erat Achanis peccatum, sive furtum, nisi terminatio animi ipsius ad aurum illud & vestem Babylonicam concupiscenda, & corporis etiam ad ea, quę concupierat, surripienda? Quod divino mandato prohibitum erat. Sic enim Achan Jos. 7. 21. *Vidi inter spolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos siclos argenti, regulamq; auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli.* At illud fieri vetuerat Deus, Jos. 6. 17. *Sit civitas hæc Anathema, & omnia quæ in illa sunt Domino.*

Jos. 7, 21. Jos. 6, 17.

3. Quare si quæratur, quid illud sit, quod in peccato transire dicitur, respondemus esse Terminationem illā physicam animi & corporis, vel solius animi, ad particulare aliquod objectum, quæ cum ipso motu finem habet, nec illo cessante, manere potest. In homicidio Terminatio animi & corporis ad particulare objectum, est actus ipse, quo ille homo trucidatur. Illo igitur occiso, terminationi ad illud objectum impositum esse finem necesse est. Idem planè de adulterio, perjurio, aliisque peccatis sentiendum est; in quibus terminatio ejusmodi cum ipso actu nasci & interire perspicitur.

4. Jam verò essentiam peccati sive peccatum ipsum, id est, actum malum ab intellectu apprehendi, eaq; ratione manere satis manifestum est. Ac de intellectu hominis celebre est illud Davidis, Ps. 51. *Peccatum meum assiduè mihi obversatur.* Peccatum quum dicat, ipsam peccati essentiam significat, terminationem scil. physicam ad externa illa objecta, à quibus abstinere ipsum oportebat; per adulterium cum Bethseba, & homicidium in Uriæ interfectione. Obversari autem sibi peccatum assiduè quum dicat, id perpetuò in conscientiâ quasi infixum manere intelligit. Nec minus perspicua sunt, quæ de divino intellectu in sacris literis traduntur, Hos. 8: 13. *Nunc recordabitur iniquitatis eorum.* Et 2. 7. *Neq; cogitant in corde*

Psal. 51, 4. Hos. 8, 13. & 7, 2.

suo, quod ego memor sum malitiæ ipsorum. Apoc. 8. 5. *Pervenerunt peccata ejus usq; ad cœlum, & recordatus est Deus iniquitatum ejus.* Jerem. 17. 1. *Peccatum Judæ scriptum est stilo ferreo.* Quibus verbis propheta & ab intellectu divino apprehensa esse peccata significat, quum dicat scripta esse; & manere, quum stilo ferreo scripta esse affirmet, significare judicandus est.

Apoc. 8, 5. Ierem. 17, 1.

5. Jam ut ista, quæ de intellectu divino differuntur, melius intelligantur, sciendum est, non agi de illo, ut naturalem actum significat, qui est aut scientia simplicis intelligentiæ, aut scientia visionis, sed de illius actu libero, qui providentiæ pars esse censetur. Ad eam enim memoria pertinet; in quâ manere peccatum scripturæ testimoniis, quæ adduxi probatur. *Memoria autem præteritorum, & intelligentia præsentium, prout ex præteritis memoratis, & præsentibus intellectis conjectamus, de futuris providendis, est principalis pars providentiæ*; ut egregiè Thomas p. 1. q. 22. art. 1. c. Ac si intellectus quidem hoc modo spectatus, non consideratur absolutè, sed quatenus cum voluntate conjungitur, ut ex eo Thomæ loco manifestum est: in quo (ut dicitur in initio quæstionis) *de iis agitur, quæ simul ad intellectum & voluntatem pertinent*: cujusmodi ait esse providentiam. In quam sententiam Suarez affirmat *utriusq; facultatis actus ad providentiam requiri*, De Deo p. 1. l. 3. c. 10. n. 1.

Thomas. Suarez.

A peccato itaque ad hunc modum manente; nimirum in Dei intellectu & hominis conscientiâ, peccatorem dicimus nuncupari: & hoc esse illud peccatum, quod in justificatione tollendum est: idque sic ostendo.

Propter quod homo judicandus est à Deo ut peccator, ab eo denominatur peccator, & id est peccatum in justificatione tollendum.

6. Priorem propositionis hujus partem confirmavi cap. 28. n. 3. posteriorem cap. 27. n. 20.

At propter peccatum, quod manet in divino intellectu & hominis conscientiâ, judicandus est homo à Deo, ut pec-

cator. *Deum* enim *judicaturum esse mortuos, ex iis, quæ scripta erant in libris*, de quibus agitur Apoc. 20. 12. affirmat Spiritus sanctus. Libros autem eos, quos tandem esse dicemus, nisi Dei scientiam, & hominis conscientiam? Quod quidem ex eo constare videtur, quod scientia Dei liber appelletur Psalmo 139. 15. *In libro tuo universa membra descripta fuerunt, quæ deinceps multis diebus formarentur.* Et Psal. 56. 8. *Nonne in libro tuo scripta sunt?* Neque sanè aliud quicquam, opinor, reperietur, quod in eo loco Apocalypsis librorum nomine significari existimare possimus.

Apoc. 20. 12.

Ergo à peccato, quatenus manet in divino intellectu, & hominis conscientiâ, homo denominatur peccator, & id est peccatum in justificatione tollendum.

CAPUT XXX.

Quo DEI actu peccatum remittatur, secundum Pontificios.

1.

E Duobus illis, quæ cap. 25. n. 4. disceptanda proposui, alterum, nempe quid illud sit, à quo peccatores nuncupemur, superioribus capitibus explicavi: alterum superest, nimirum Quo Dei actu peccatum remittatur, quod hoc & sequenti capite differetur.

2.

Item de actu illo, quo Deus peccatum remittere dicitur Pontificiorum sententia sic habet: Deum per gratiæ infusionem peccatum remittere. Quod his verbis à Concilio Tridentino significatur sess. 5. de peccato originali can. 5. *Per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatus originalis peccati remittitur, & tollitur totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet. Quæ autem de originali peccato, eadem ratio est de omni peccato, quod divinâ gratiâ privat, & mortem animæ adfert*; ait Suar. de gr. p.3. l.7. c.12. n.4.

Con: Trid:

Suarez.

Atque

Atque eam esse Concilii sententiam docet d. l. 7. c. 10. n. 30. *Loquitur autem Concilium* (ut idem Suarez d. n. 4.) *de justitiâ inhærente, quum dicat, gratiam illam nobis per baptismum conferri, & Particula Per causalitatem formalem significat.* In quam sententiam n. 3. dicit: *Remissionem peccati mortalis esse effectum formalem inhærentis gratiæ seu justitiæ, ita ut simpliciter dicendum sit, Per inhærentem justitiam, & ad ejus introitum excludi peccatum; quia illa duo sunt quasi duæ formæ simul incompossibiles in anima.*

3. Bellarmin. Ita etiam Bellarm. de justif. l. 2. c. 16. ¶ Reatus pœnæ. *Primus effectus formalis justitiæ, id est, caritatis habitualis, est de medio tollere & delere peccatum. Eumq; solum habitum caritatis formaliter tollere, quod in homine peccatore maximè propriè habet rationem peccati,* affirmat d. c. 16. ¶ Porrò aversio. In eadem opinione est Vasques in 1. 2. disp. 204. n. 23. *Mihi semper necessarium visum fuit asserere* (inquit Vasques) *Maculam peccati ipsa justitiâ inhærente, tanquam formâ contrariâ, nullo accedente favore & condonatione deleri.* Et n. 34. *Gratia & peccatum, unum aliud physicè & tanquam forma contraria expellit.* Unde Suarez in tertiam tom. 4. disp. 9. sect. 4. n. 11. negat *perfectam peccati remissionem, quoad omnia damna, quæ infert, posse fieri sine mutatione Physicâ.* Et Domin. Sotus, qui Concil. Trid. interfuit, apertè loquitur de nat. l. 2. c. 18. *Gratia* (inquit) *gratum faciens ex diametro opponitur peccato, atq; adeò formaliter per modum contrarietatis expellit ipsum.*

Vasques. Suarez. Sotus.

4. In hac Papistarum de remissione peccatorum doctrinâ, pro concesso sumitur. Peccatum, quod in justificatione tollendum est, manere in animâ hominis per modum formæ. At illud falsum esse ostendi c. 25. & sequentibus. Quod quum ita sit, fieri certè non potest, ut peccatum per gratiam eo modo, quem fingunt Pontificij, remittatur. Nam quum gratia supernaturalis sit habitus in animam à Deo infusus, quo modo per eam expelli id intelligamus, quod sedem in animâ non habet? Multò igitur minus, ut formam contrariam, ab

ea extrudi sentiendum est, Neque enim peccatum in justificatione tollendam rationem habet formæ in animâ, sed hominis actio sive effectus est, & ab illo, ut efficiente proficiscitur, quod cap. 25. pluribus declaravi.

At eam Concilii sententiam à se expositam *testimoniis quibusdam Scripturæ confirmari, & eas Synodum virtute declarasse*, ait Suarez d. c. 12. n. 5. Sunt autem duo testimonia, Eph. 5. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. 2. Cor. 6. 14. *Quæ societas luci ad tenebras?* Ex his verò testimoniis quomodo ex Suarii sententia institui debeat disputatio, nec ipse significavit, nec quisquam, opinor, facilè explicaverit. Quamobrem ab iis Syllogismo complectendis sciens ac volens me abstinui.

5. Con. Trid. Suarez, Ephes: 5, 8. 2, Cor: 6, 14

Verùm de ipsis testimoniis nonnulla habeo explicare. Quorum illud est primum. Lucem in illis locis non significare justitiam, quâ justificamur. Nam lucem Suarez ipse interpretatur gratiam. Gratia verò, habitualis scil. inhærens, quam ad justificationem flagitari dicunt, non est justitia illa, quâ justificamur, ut pluribus declaravi in tota de illâ disputatione. Deinde nec tenebrarum vocabulo peccatum significatur, nisi peccati nomine absentia gratiæ, quam maculam vocant, notetur. Maculam autem, quam fingunt, non esse peccatum, quod in justificatione tollitur, necesse quidem in animâ, multis argumentis probavi cap. 27.

6.

Denique ut Lucis voce Gratiam, Tenebrarum vocabulo Peccatum metaphoricè significari largiamur: tamen inde non consequetur, aliam ab aliâ, tanquam formam contrariam à formâ sibi contraria, expelli. Sed in eo vis comparationis horum similium sita est, quod similis sit effectus gratiæ, & peccati animâ atque est lucis & tenebrarum in rebus corporeis, ut hæc illuminare, illâ obscurare intelligatur.

Porro ita etiam disputat Suarez: *Sicut sanitas formaliter excludit ægritudinem; ita gratia peccatum. Sicut in Christo resur-*

7. Suarez,

rectio expulit mortem; ita in nobis justificatio peccatum. Hæc autem ita sunt concludenda.

Si gratia expellat peccatum, ut sanitas ægritudinem, tum id formaliter expellit. Nam sanitas formaliter expellit ægritudinem, ut habitus privationem.

At gratia expellit peccatum, ut sanitas ægritudinem.

Ergo gratia formaliter expellit peccatum.

Ad assumptionem adjungenda sunt hæc verba (in justificatione) Expellit peccatum in justificatione. Secus enim non probaverit Suarez quod quærebatur. Ea vero si addantur, falsa est assumptio; quæ sumit pro concesso, Nos justificari gratiâ infusâ & inhærente, quod totâ hac disputatione quæsitum est, nec adhuc ab illis probari potuit.

Deinde, etsi concedatur, nos gratiâ infusâ & inhærente justificari; tamen assumptionem veram esse non concesserim: quia nec per se manifesta est, nec ullâ ratione à Suarez confirmata. Immo vero falsam esse contendo. Quum enim peccati nomine id, quod remanere censetur ex actu peccati præterito, denotetur, negamus peccatum gratiâ inhærente expelli: quoniam non manet in animâ hominis per modum habitus, ut in maculæ naturâ indagandâ pluribus ostendi c. 26. 27. 28. sed tantum in divino intellectu, & hominis conscientiâ, quod cap. 29. perspicuum feci.

8. Eadem est ratio alterius similitudinis à resurrectione Christi. Nam justificationem in nobis expellere peccatum; sicut in Christo resurrectio mortem expulit, affirmatur, non probatur. Sed concludemus quod adfert.

Si in nobis justificatio ita expellit peccatum, ut in Christo resurrectio expulit mortem, tum justificatio formaliter expellit peccatum.

At in nobis justificatio ita expellit peccatum, ut in Christo resurrectio expulit mortem.

Ergo justificatio in nobis formaliter expellit peccatum.

Assumptionem falsam esse dico: primum, quia sumit pro concesso quod falsum est; nimirum, Esse in ipsâ justificationis essentiâ & quidditate aliquid expellens, & aliquid expellendum. At id secus est, nec quod dicit, ullâ ratione confirmat Suarez.

Suarez.

Verum hanc assumptionem tribus Scripturæ testimoniis probavisse videri vult Suarez, Rom. 4.25. *Christus mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Et cap. 5.20. *Sicut regnavit peccatum in mortem, ita gratia regnat per justitiam.* Et cap. 6.3. *Quicunq; baptizati sumus in Christo Jesu in mortem ipsius baptizati sumus: ut sicut Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris; ita nos in novitate vitæ ambulemus.*

Rom, 4, 25, Rom, 5, 20, Rom, 6, 3,

At ista testimonia nullo modo assumptionem probant. Nihil enim in illis aut singulis aut omnibus reperitur, quo Christi resurrectio mortem expulisse dicatur: aut (quod hîc satis confidenter à Suare affirmatur) in nobis justificatione expelli peccatum: multò minus dicitur, *Ita in nobis expelli peccatum, sicut resurrectione mors Christi expulsa est. His igitur modis* (ut Suaris verba usurpem) *sufficienter probatur*, & Conc. Trid. errâsse, quum hoc commentum de peccato in justificatione formaliter per gratiam expellendo proponeret: & de illo altum esse in scripturis silentium; quum nihil ex iis à Suare adduci potuerit, quo sententia Concilij corroboretur.

Suarez.

Ratione igitur pugnandum censuit, quoniam autoritate nihil agi potuit. Eam vero ad hunc modum concludit d. cap. n. 6.

9.

Illa forma, quæ hominem filium Dei constituit adoptivum, & hæredem regni cœlestis, necesse est, ut expellat peccatum formaliter.

At justitia inhærens constituit hominem filium Dei adoptivum, & hæredem regni cœlestis.

E. justitia inhærens formaliter expellat peccatū necesse est.

Major propositio hujus syllogismi sumit pro concesso, & Id quod constituit hominem filium Dei adoptivum, & etiam peccatum esse formas in animâ hominis inhærentes, inter se oppositas & repugnantes. De filiatione per adoptionem nunc non disputo, quoniam ad alium locum pertinet. Peccatum autem, nempe quod manet pòst actum peccati præteritum, non esse formam ejusmodi, in maculæ, quam confinxerunt, naturâ expendenda, luculenter ostendi.

CAP. XXXI.

Respondetur ad illa, quæ Vasques actu Dei in peccatis remittendis disseruit.

1. HAbitis de Suare, nunc de Vasquis disputatione cognoscite: quæ ab illo ad hunc modum est instituta, *Maculam & fœditatem relictam in homine, ex peccato actionis non posse à Deo tolli solâ voluntate Dei, seu condonatione, sine mutatione ipsius hominis. Maculæ autem seu fœditatis nomine id significat, quod manet post actum peccati, à quo homo injustus & fœdatus nominatur & constituitur in statu peccati,* ut sententiam suam ipse explicat disp. 206. n. 12. *Mutationem* verò dicit eam, *quæ fit per gratiam infusam:* ut ipse loquitur in disputatione proponendâ. Habentur autem ista apud Vasquem in 1. disp. 206. n. cap. 1. 2. 3. Jam quod disputandum proposuit, hoc argumento probare conatur n. 12.

Aut homo præteritâ jam actione peccati semel commissi manet injustus ex naturâ actionis peccati semel commissi, aut ex solâ lege & voluntate Dei peccatum imputantis.

2. At homo, præteritâ jam actione peccati semel commissi non manet injustus ex solâ lege & voluntate Dei peccatum imputantis.

Ergo homo præteritâ jam actione peccati semel com-

missi manet injustus, ex naturâ actionis peccati semel commissi.

Primùm dico; Hanc Vasquis conclusionem, quod ab ipso propositum erat n. 1. id non complecti. At id erat ex ipsius instituto probandum.

Cæterum, quoniam ex hac conclusione deduci potest argumentum, quo res ipsa, quâ de agitur, probari posse videatur; primum illud proponam & expendam, deinde ad illum Vasquis syllogismum aggrediar.

Sic autem institui potest argumentum.

3.

Quod homini accidit ex naturâ actionis peccati, & non ex solâ voluntate Dei, id tolli non potest à Deo ex solâ ipsius voluntate sive gratia infusa.

At fœditas & status peccati accidunt homini ex naturâ actiunis peccati, non ex solâ Dei voluntate.

Ergo fœditas & status peccati tolli non potest à Deo ex solâ ipsius voluntate, sine gratiâ infusa.

Si qua sit propositionis veritas, ex hoc totâ pendet, quoniam id quod homini accidit ex naturâ actionis peccati tolli non possit, nisi per id, quod ipsi contrarium est, id verò sit gratia infusa. At hoc planè falsum est. Quum enim multa nobis accidant ex natura actionis peccati, quæ in justificatione tolluntur, de quibus nunc disseritur, nihil est eorum cui gratia infusa contraria esse intelligi possit. Nam hæc gratia infusa, quum habitualis sit, & manet in homine per modũ formæ, & eum constituit principium actionum supernaturalium. Nihil autem est hujusmodi ex naturâ actionis peccati relictum in homine, quod tollendũ sit in justificatione. Nam si esset aliquid ejusmodi, id esset macula. Eam verò non manere per modum formæ, nec homines constituere peccatores multis rationibus ostendi.

De assumptione in responsione ad Vasquis Syllogismum, quem n. 2. proposui ipsius verbis, videbimus.

Quoniam in illo Vasquis syllogismo *Manere injustum, & in statu peccati*, significat reipsâ & de facto manere injustum & in statu peccati, de disjunctione in propositione non laboro. Verùm si aliter intelligeretur, responderi posset, Actionem peccati præteritam eâ esse naturâ, ut idonea sit ad constituendum hominem injustum & in statu peccati: sed tamen de facto hominem non constituere injustum, nisi ex voluntate peccatum imputantis Dei.

Assumptionem falsam esse contendo. Manet homo injustus ex solâ Dei voluntate, non ex naturâ actionis peccati. Nam peccatum, quod nos in statu peccati constituit, & injustos esse facit, in solâ Dei voluntate cum intellectu conjuncta manet, quam providentiam Scholastici, omnesque Theologi appellant; ut ostendi cap. 29. n. 5.

CAPUT XXXII.

Quo DEI actu peccatum reverâ remittatur.

1. REmissione peccatorum *Aboleri, Tolli, Abstergi* peccatum cap. 25. n. 3. & cap. 3. ex nostrorum Theologorum sententiâ significavi ac probavi: non ita tamen, ut id fieri illo actu, quem Pontificij sibi confinxerunt, concesserim. Reliquum est, ut quis revera sit illi Dei actus, quo id præstet, explicemus.

Is autem actus à Spiritu sancto his vocibus declaratur in scripturis. *Avertam faciem,* Psal. 51. 11. *Non recordabor.* Esai. 42. 25. *Non imputabo.* Psal. 32. 2. Rom. 4. 8. *Projiciam in profundum maris.* Mich. 7. 19. *Projiciam post tergum.* Esai. 38. 17. Sic igitur Syllogismum instituo.

2. Quos actus Dei spiritus sanctus significat, quum de remissione peccatorũ loquitur, per eos actus Deus remittit peccata

At actus Avertendi faciem, Non recordandi: Non imputandi: Projiciendi in profundum maris. Projiciendi post tergum, Spiritus sanctus significat, quum de remissione peccatorum loquitur.

Ergo actus avertendi faciem: non recordandi: non imputandi: projiciendi in profundum maris: projiciendi post tergum, Deus remittit peccata.

De propositionis veritate nulli dubium esse potest, nisi fortè quis Spiritum sanctum aut ignorasse putet, quo Dei actu peccatu remittatur, aut ipsum nos celare voluisse existimet. Quare igitur de illo non tacuit? Nam cupivisse ipsum nos in errorem inducere, aut id dixisse, quod falsum erat, affirmare, non minus absurdum est, quam impium.

Assumptionem & illa, quæ proposui, & alia multa Scripturæ testimonia confirmant; in quibus illum Dei actum, iis quas recensui, vocibus, complexus est. At alias etiam, dicet fortasse quispiam, ad eum actum significandum adhibuit. Certè. Verum ejusmodi sunt omnes, ut eandem vim & significationem comprehendant, quod singulorum vocabulorum explicatione declarabo.

3. Ac quanquam in rebus Theologicis Hebræarum & Græcarum vocum expositione contenti esse possemus, nec de Latinis, quales quales fuerint, valdè sit laborandum. quoniam nulla Spiritus sancti autoritate nituntur: tamen, quia & Patres Ecclesiæ occidentalis eas frequenter usurparunt, & tanto studio ac contentione à Pontificiis, adeoq; ab ipsâ Tridentinâ Synodo vetus illa & vulgaris interpretatio Latina urgetur & celebratur sess. 4. decreto de edit. & usu sacrorum librorum. ¶ Insuper. earum quoque examinationem & explicationem adjungendam esse decrevi. *Con: Trid.*

4. Primum igitur de vocibus Hebræis dicendum est. Earum verò prima & maximè propria remissioni peccatorum vox est SALACH, quâ frequenter utitur Spiritus Sanctus

quum

quum de illâ loquitur. Num. 14. 19. Deum orat Moses, *ut dimittat peccatum populi, Dixitq; Dominus* v. 20. *Dimisi.* Jer. 33. 8 *Propitius ero cunctis iniquitatibus eorum.* Psal. 103. 4. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis.* Esai. 55. 7. *Dominus multus est ad ignoscendum.* Significat parcere.

Num. 14, 19 · Jer. 33, 8. · Psal. 103, 4 · Esai. 55, 7.

Hæc vox Græcè redditur à septuaginta duobus Judæis interpretibus, interdum ἵλεως εἰμι *propitius sum*, Num. 14. 20. 1. Reg. 8, 30. interdum ἱλάομαι, *propitior.* 2. Reg. 5. 18. & 24. 4. interdum εὐιλατεύω. *propitior*, Deut. 29. 20. Psal. 103. 3. semel. Jerem. 33. 8. οὐ μὴ μνησθήσομαι, *non recordabor.*

Num 14, 20 · 1 Reg 8, 30 · 2, Reg. 5, 18 & 24, 4. · Deu: 29, 20 · Psal: 103. 3 · Jer: 33, 8.

Pagninus Latinè ubique vertit *Parco.* si unum locum excipias, scil. Levit. 4. 20. ubi Græcè ἀφεθήσεται; de quo suo loco, *dimittetur.* Id autem facit Deus parcendo. Unde has voces, Hebræam nempe & Græcam, Esai. 55. 71. Pagninus vertit *ad Parcendum.* Vatablus eodem sensu *ad Ignoscendum.* Pagnini autem versionem Ariæ Montano maximè placuisse, ex eo constat, quod eam Bibliis interlinearibus inseruerit Vatablus semper reddit hanc vocem *Propitius sum*, vel *propitior*, præterquam in illo loco Esaiæ; & Psal. 103. 5. ubi vertit *Condonat.*

Lev: 4, 20, · Esai: 55, 7.

5. Huic affinis est Machal, & per metathesin Hebræis familiarem Chamal. *Clementiâ usus est, Indulsit*, Græcis φείδομαι *parco.* Gen. 19. 16. *Eo quod parceret illi Dominus.* 1. Sam. 15. 3. *Percute Amalec, nec Parcas illi.* 2. Paral. 36. 15. *Quod parceret populo suo*, semel redditur ἐλεέω, *misereor.* Ezech. 5. 11. Eam semper vertunt *Parco.* Vetus interpres Pagn. & Vatabl. nisi quod hic semel 1. Sam. 15. 3. reddat *Misericordiâ movearis.* Cæterum hæc vox ad personam ubique accommodatur, cui Deus peccatum remittit, culpam illi condonando & pœnam. Atque hæ quidem ferè sunt apud Hebræos voces propriæ: sequuntur tropicæ.

Gen: 19, 16 · 1, Sam, 15, 3, · 2, Paral, 36, 15, · Ezech. 5, 11 · 1, Sam. 15, 3

6. Earum prima est Chas. *Oculis connivendo pepercit*, ut Anglicè dicimus *to vvink at.* Septuaginta vertunt φείδομαι, *parco.* Unicus credo est locus, in quo ad Deum refertur, Joel. 2. 17.

Joel 2, 17,

Parce populo tuo; ut vet. Pagn. & Vatabl. Ad personam pertinet, ut de Medis Esai. 13.8. *Super filios non parcet oculus eorum.*

8. Duo sunt vocabula, quæ significant *Operire*, sed alio atq; alio modo. Quorum prius Casab propriè significat operire, imponendo aliquid quo tegas, tanquam operculo aut veste. Ita Nehem. 4. 8. *Ne operias iniquitatem eorum*; ait vetus interpres Pagninus, ut Hebrææ vocis naturam exprimeret aliquo modo, vertit: *Ne operias super.* Eadem vox reperitur in illo celebri loco Psal. 32. 1. *Quorum tecta sunt peccata*; nempe justitiâ vel meritis Christi. Et Psal. 85. 2. *Operuisti omnia peccata ipsorum. Obtiges*, ait Vatablus. *Operuisti*, inquit idem Vatablus, *ne pateant, aut conspici possint, ut supplicium de iis sumas.* Græcè verti solet καλύπτω, ἐπικαλύπτω.

9. Alterum ejusdem penè significationis vocabulum Caphar, significat operire cæmento, pice, vel re aliquâ simili, quæ ad id, quod operitur, adhærescat, nec facilè abstergi aut avelli queat. Et de peccato, & de peccatore dicitur. De re Psal. 78. 42. *Propitius fiet peccatis eorum.* De personâ, Deut. 21 8. *Propitius esto populo tuo.* Hanc vocem Septuag. vertunt, ἵλεως γίνομαι, *propitius fio*, Deut. 21. 8. ἱλάσομαι, ἱλάσκομαι, ἐξιλάσομαι, *propitior*, Psal. 65. 4. & 79. 9, 1. Sam. 3. 14. Ezech. 16. 16. Psal. 38, 38. & frequentissimè in libris Exod. Levit. Num. Eam reddunt Latini interpretes *Expio, propitior, propitius sum.* Vulg. etiam, *Placo*, Prov. 16. 15. Ezech. 16. 63. *Dimitto*, Esai. 22. 14. & 27. 9. semel, *Deleo*, Dan. 9. 24. *Ut deleatur iniquitas.* Pagninus & Vatablus, *ad expiandum iniquitatem.*

10. Ad has proximè accedit Tzaphan, occultavit, quemadmodum polus Australis terrâ interpositâ occultatur, ut à nobis conspici non possit, Septuaginta vertunt κρύπτω, ἐγκρύπτω, *occulto*, Jerem. 16. 17. *Non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis.* Hos. 13. 12. *Absconditum peccatum Ephraim*, ut Vulgar. & Pagnin. *Reservatum peccatum*, ait Vatabl. id est, ut ipse exponit *Absconditum, subaudi apud Deum, id est, Deus memor erit pec-*

cati ejus. Ita Vatablus. Nimirum hoc est illud, quod habetur Psalm. 32. 1. *Tecta sunt peccata*, ut idem sit Operire seu Tegere peccatum, & abscondere, sive occultare. In quam sententiam Joan. de Turr. crem. exponit locum illum Psalmi 32. 1. *Remissas esse iniquitates & tecta peccata, ut à Deo non puniantur amplius.*

Turr. Cre.

10. Cæterum nulla ferè vox Hebræa ad remissionem peccatorum significandum sæpius adhibetur, quàm Nasa, levavit, vel sustulit, scilic. ut portaret. Unde Dominus noster, Esai. 53. 4. Dicitur *Peccata nostra tulisse*, Græcè φέρειν. Ea vox à Septuag. frequentissimè redditur ἀφίημι, *remitto*, vel *dimitto*, & interdum ἀνίημι, quod idem prorsus significat *Dimitte eis hanc noxam*, ait Moses, Exod. 32. 32. *Remitte hoc peccatum eorum*, Vatablus. *Auferas peccatum eorum.* Pagninus, qui maximam partem hanc vocem reddit, *Parco*: ut Gen. 18. 24. 26. & 50. 17. Num 14. 19. Jos. 24. 19. 1. Sam. 25. 28. Psal. 25. 17. Vertitur etiam ἵλεως γίνομαι, *propitius sum.* Num. 14. 19. Hujus generis, & ab hac radice est locus ille celeberrimus Psal. 32. 1. Nesui Peshang. *Levati peccato*, vel iniquitate. Nam qui peccavit, quod fecerat Davides adulterio commisso, & homicidio perpetrato, quum peccatorum suorum conscientia torqueatur, videtur sibi, nec id quidem sine causâ, onus Ætnâ gravius sustinere. Hac autem molestiâ tum demum levatur, quum peccatorum veniam consequutus, & reatus onere, & supplicij metu fuerit liberatus. Quod propheta ipse non obscurè indicavit, quum v. 3. 4. 5. quanto dolore de peccatis commissis cruciaretur, explicaret: quo non antea liberari potuit, quam Deus ipsum onere peccati levasset. Vatablus igitur Davidis verba ita vertit: *Beatus is est, qui exoneratus est transgressione*, scil. levatus onere peccati, quo conscientia ipsius premebatur, veniâ nimirum impetratâ, ut jam reus nec peragi possit, nec fieri. Idem Vatablus hæc sic explicat: *Beatus cui condonatum est scelus, & cujus obtecta est transgressio*; id est, ut eodem in loco Vatablus, *Cujus peccatum dissimulatur. Ad cujus peccatũ connivet Deus*,

Fre-

11\. Frequens etiam est Machah, *Delevit manu, abluit aqua,* Eam Septuag. vertunt ubique ἐξαλείφω, *Deleo* oblinendo, vel illinendo, Psal. 51. 2. *Dele iniquitates.* Id verò quid sit, declarat v. 10. ubi orat Deum propheta, ut *Avertat faciem à peccatis ipsius & omnes iniquitates deleat, Avertere* vel (ut Vatablus) *Abscondere* faciem est, ut ipse interpretatur, *Tradere oblivioni peccata, quoniam eorum, quæ semper sunt ob oculos, oblivisci non possumus.* Unde interdum dicitur *Delere à facie.* Nehem. 4. 5. *Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum à facie tuâ non deleatur,* ut Vulgar. & Pagnin. *Ante conspectum tuum ne exolescat.* Vatablus. Quo sensu Christus dicitur Coloss. 2. 14. *Chirographum* ἐξαλεῖψαι, *delevisse,* quasi expungendo è tabulis. Unde hanc metaphoram sumi posse, ait Vatablus ad Psal. 51, 2. In quam sententiam dixit Tertullianus contra Marcion. lib. 4. c. 18. *Omne peccatum veniam expungere aut pœnam veniam ex castigatione, pœnam ex damnatione.* Eodemque sensu Deum orat Nehemias cap. 13. 14. μὴ ἐξαλειφθείτω ἔλεός μου. *Memento mei Deus pro hoc, & ne deleas miserationes meas,* ut Vulgar. & Pagninus. *Ne sinas aboleri beneficentiam meam,* ut Vatablus. Sic igitur peccatum deletur, quum Deus ejus non recordatur. Quod optimè explicavit Gregorius ad Psal. 6. pœnit. *Pœnitentibus ex corde ignoscit Deus, &, peccatore converso, omnium iniquitatum ejus obliviscitur. Quis jam de misericordiâ dubitet? Quis jam de veniâ desperet? Hæc etenim per Prophetam Dominus pollicetur, dicens, Ego sum, qui deleo ut nebulam iniquitates tuas, ut justificeris. Attende qualiter peccati confessio peccata obliteret, quæ justificat iniquum, tollit à Deo memoriam peccatorum. Confiteamur, ut deleantur nostra peccata.* Quid autem sit peccatum delere, docet Occhamus nostras in 4. qu. 9. art. 1. membr. 3. lit. 3. *Peccatum deleri, non est aliquam rem absolutam vel relativam à peccatore amoveri, sed est actum commissum, vel omissum ad pœnam non imputari.*

Vulgar. Pagninus. Vatablus. Vatablus. Tertullian. Vulgar. Pagnin. Vatablus. Gregorius. Occhanus.

12\. Sequituur Gnavar, Græcè παραβαίνω, *transfero, transire fa-*

facio. Dominus transtulit peccatum tuum, ait Nathan Davidi, 2. Sam. 12. 13. Modum addit transferendi verbis sequentibus, *Non morieris.* Et cap. 24. 10. Deum orat Davides, ut *transferat peccatum ipsius*, quod commiserat in populo numerando. quæ Zachariæ 3. 4, habentur, de peccato Josuæ sacerdotis transferendo, non ad illius justificationem, quam jampridem fuerat consequutus, sed ad ea, quæ sacerdotis munus impedire possent, videntur pertinere. Verùm si peccata significari contendas, illâ veniâ auferri putat Theodoretus, *Ego existimo* (inquit Theodoretus ad eum locum) *magnum sacerdotem sibi populi iniquitatem vindicasse, & attribuisse; & velut unà cum ipsis peccâsset, preces adhibuisse, & tanquam suorum, veniam populi delictorum suscepisse.* Lyra igitur per ablationem vestimentorum sordidorum, aut *Designari remissionem culpæ, de quâ pœnituit Deo* scil. *non imputante ei peccata:* ut significat Strab. in gloss. ord.

Theodor.

Strabus.

13.

Superest una vox Hesed Discedere fecit, à Sud. Hanc vocem Septuag. vertunt ἐξαιρέω, 1. Reg. 2. 31. ubi Davides dicit, cæde Joabi amotum iri sanguinem innocentem, quem Joabus fuderat Abnerum occidendo. Est etiam ἀφαιρέω, Esai. 6. 7. *Ecce* (inquit unus de Seraphim) *Tetigit hoc labia tua, ut recedet iniquitas tua, & expietur peccatum,* ut Vatablus legit. De quo idem responderi potest, quod n. 12. de Zachariæ loco respondi, prophetam non agere hîc de justificatione suâ, sed de iis rebus, quæ illi impedimento esse possent, quo minus prophetiæ munere fungeretur, ut è v. 8. colligi potest. *Et audivi vocem Domini dicentis Quem mittam?* Et quis ibit nobis? Et dixi, Ego, mitte me.

Vatablus.

Nec singulæ voces solum, sed etiam conjunctæ idem significant. Huc pertinet ille modus loquendi, quo Psal. 30, 8. utitur Spiritus sanctus. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo.* Vulgar. *Iniquitates nostras in conspectum tuum collocasti*, ait Vatablus, qui subaudiendum esse significat. *Ne tradas oblivioni, sed punias*; cui contrarium est *operire, occultare, avertere faciē.*

Vulgar.
Vatablus.

Ad

15. Ad hunc etiam locum referendum est illud, quod petit Davides Psal. 25. 6. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Ita Psal. 79. 8. Jerem. 31. 34. Ezech. 18. 22. Sed de his dixi in assumptione. Tantum illud Augustini addam in exposit. Psalmi 74. 7. *Si Deus agnoscit, non ignoscit, Melius ergo ignoscit, quam agnoscit, Quid est enim ipsum ignoscere, nisi non noscere? Quid est non noscere? Non animadvertere.* Augustinus

16. At de vocibus Hebræis satis multa: venio nunc ad Græcas; eos autem præcipuè tractabo, quæ à Spiritu sancto in novo Testamento adhibentur. Harum prima est, & maximè propria χαρίζομαι, *Condono,* vel ut, ut Vulgaris Interpres, *dono,* Ephes. 4. 33. *Donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis.* Coloss. 3, 13. *Donante vobismet ipsis.* Vulgar. *Condonantes vobis mutuò.* Vatablus. *Si quis adversus alterum habuerit querelam, sicut Dominus donavit vobis, ita & vos.* Et Coloss. 2. 13. *Donantes vobis omnia delicta.* Vide Luc. 7. 42. 43, 2. Cor. 2. 10, & 12. 13. Vulgar. Vulgar. Vatablus.

17. Succedit huic voci alia non valde dissimilis: ἱλάομαι, ἱλάσκομαι, *propitius sum.* Luc. 18. 13. *Deus propitius esto mihi peccatori,* ait Publicanus. Et Hebr. 2. 17. Christus dicitur ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας, *Repropitiare delicta,* ut Vulg. *expiare peccata.* ut Vatablus Vulgar. Vatablus.

18. Atquè hoc ipsum est, quod Hebr. 9. 26. ἀθέτησιν vocat Apostolus, quum Christum semel passum esse ad *abrogationem* peccati. Vulgar. ad *destructionem.* Ad *profligationem,* ait Vatablus, *per immolationem sui ipsius.* Vulgar, Vatablus.

19. Sequuntur tres voces, quæ negandi adverbium adjunctum habent; μὴ λογίζεσθαι, *Non imputare.* Rom. 4. 8. de quâ prius. *Beatus vir, cui Dominus non imputat peccatum.* Quod Vatablus ita exponit: *Cui non solet pravitatem imputare Dominus, id est, Quem Deus propter peccatum non punit. Cui non imputat peccatum ad æternaliter puniendum:* ut exponit Psal. 3. 2. Joann. de Turr. crem. Brun. de peccato originali locum interpretatur, *quod Deus non imputat.* Vatablus. Turr. Cre. Bruno.

20. Alterum vocabulum est μὴ ἵστημι, *non statuo*, Act. 7. 60. *Domine*, inquit Stephanus, *ne statuas illis hoc peccatum.* Ne facias illos hujus peccati reos. Idem precatus est Dominus noster, Luc. 23. 34. *Pater dimitte illis.* Vulgar. *Ignosce.* Vatablus in margine, *Remitte.* Ἄφες αὐτοῖς, In quam sententiam glossa interlui, *Christum imitatur dicentem, Pater ignosce. Ne statuas* verò ita exponit, *ut sit insolubile; sed pœnitentibus demitte. Ne statuas, Reservando eis pœnam æternam,* ait Lyra.

Vulgar. Vatablus, Gloss. int. Lyra.

21. Tertium est οὐ μὴ μνάομαι, *Nullo modo recordor.* Hebr. 8. 12. & 10. 27. *Propitius ero iniquitatibus eorum; & peccatorum eorum jam non memorabor. Quia propitiatio dici posset* (ait Bruno) *si absq; ultione dimitteret in præsenti, ideo addit: Ita propitius ero, quod jam ultra non memorabor peccatorum eorum in futuro.*

22. Quoniam autem nulla est vox, quâ frequentius utantur Evangelistæ & Apostoli, ad remissionem peccatorum significandam, quam vocabulo ἀφίημι, quod ab illis septies & vigesies adhibetur, ut ex illo de reliquis judicium faciamus, paulò pluribus de illo differam. Est autem ἀφίημι (quod institutum nostrum attinet) *Remitto*, vel *Dimitto*, id est, *Condono.* Nam ita hanc vocem exponunt, qui Lexica Græca conscripserunt. Unde Hesychius, & qui ex illo descripsisse videtur omnia, Phavorinus, ἄφεσιν *Remissionem* interpretantur συγχώρησιν, *Condonationem.* Idem sentiunt Eustathius, Suidas, Budæus, Stephanus. Quid, quod vox ἀνίημι ejusdem derivationis, eandem etiam condonationem significet? Sic enim Septuagin. Jos. 24. 19. οὐκ ἀνήσει τὰ ἁμαρτήματα. *Non parcet sceleribus*, ut Pagninus. *Non ignoscet*, ut Vulgar. *Non feret prævaricationem*, ut Vatablus. Et Gen. 18. 24. Quum Abrahamus Deum de Sodom. precatus, dixisset οὐκ ἀνήσεις τόπῳ: respondit Deus v. 26. ἀφήσω πάντα τὸν τόπον, *Dimittam omni loco*, ut Vulgaris interpres, qui v. 24. verterat, *Parces loco.* Pag. *Parcam toto loco.* Vatablus, *Universo huic loco parcam.* Hinc apud Plutarchum in Publ. dicitur ἄνεσις τῶν χρεῶν, Æris alieni, i. e. debitorum remissio.

Hesichius, Favorinus, Eustathius. Suidas, Budæus. Stephanus, Vulgar. Vatablus. Pagninus, Vulgar, Pagninus. Vatablus, Plutarchus

Dein-

Deinde quid illa sibi volunt, quæ tàm sæpè occurrunt apud Evangelistas? Matth. 9. *Remittuntur tibi peccata?* Marc. 2. 5. Luc. 5. 20. An parùm clarè condonationem peccatorum loquuntur? Certè Pharisæos ita esse interpretatos hæc verba perspicuum est Luc. 5. 21. Illud autem Matth. 12. 13. manifestum est; *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, blasphemia autem spiritus*, id est, in spiritum, *non remittetur.*

Deniq; si omnes omnium gentium ac temporum Christianos interroges, quid petant à Deo, quum in oratione Dominicâ precentur ἄφες ἡμῶν τὰ ὀφειλήματα, Dimitte nobis debita nostra; Omnes & singuli unâ voce respondebunt, se de veniâ impetrãdâ Deo supplicare. Quod etiam Dominus ipse Jesus significat; quum neget Matth. 6. 15. Deum *dimissurum nobis peccata nostra, nisi nos hominibus dimiserimus.* Etiam nos ipsi Deum rogamus, ut *Dimittat*, vel, ut Vatablus, *Remittat nobis debita nostra, sicut nos remittimus debitoribus nostris*, Matth. 6. 12. In quam sententiam multa reperiuntur eodem loco apud Matthæum, & 18. 27. 25. Mar. 12. 25. Luc. 11. 4. Dubitari igitur non potest, quin ἄφεσις ἁμαρτιῶν, Remissio peccatorum veniam seu condonationem eorum, quæ deliquimus, significet.

De aliis vocibus idem est judicium: quæ etiam rarò à Spiritu sancto ad remissionem peccatorum denotandam usurpantur. Nam quæ frequentissimè ex illis adhibentur sc. αἴρω, ἀφαιρέω, καθαρίζω, bis tantum singulos reperies. Αἴρω tollo, Joan. 1. 29. ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν. *qui tollit peccatum*, 1. Joan 3. 5. *ἵνα τὰς ἁμαρτίας ἄρῃ, ut peccata tolleret.* Quę si remissionem tantum peccatorũ indicent, veniam significant. Quâ ratione peccata nostra Dominus Christus expiavit, Esai. 53. 6. *Posuit Deus in eo iniquitatem omniũ nostrum*, ut Vulg. *Effecit ut incurreret in ipsum*, ait Vatabl. *omnium nostrũ iniquitas.* Atq; hoc sensu v. 4. dicitur, *peccata nostra ferre* Heb. Nasa, *Levare*, vel *Portando tollere.* Vocẽ verò hanc condonationem denotare, declarant Sept. quum

23.

Vulg.
Vatablus,
2. Sam. 15. 28.

Abi-

Abigailem faciunt orantem Davidem, ut condonet ipsi. Ἆρον τὸ ἀνόμημα, *Aufer iniquitatem famulæ tuæ.* ut Vulgar. *Remitte transgreßionem,* ut Vatablus, *Parce prævaricationi,* ut Pagninus. Id igitur videtur dicere Baptista, Christum morte & obedientiâ suâ peccatum sustulisse. ut nec supplicio affici, nec rei fieri possimus, Deo nobis, quæ deliquimus, ignoscente. Unde Apostolus, Eph. 4. 32. ait *Deum in Christo condonasse nobis.* Et Coloss. 2. 3. *Convivificasse nos in Christo, condonando nobis omnia delicta.*

24. Ejusdem significationis est ἀφαιρέω, aufero, Rom. 11. 17. ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν, *quum abstulero iniquitates ipsorum.* Quem locum Vatablus ad Esai. 27. 9. unde illum sumpsit Apostolus, ita exponit. *Quia Deus est clemens, & mediocriter punit, hac ratione remittetur iniquitas, & hic erit fructus, Remotio peccati ejus.* Alter verò locus in quo adhibetur: Hebr. 10. 4. ad remissionem sive condonationem videtur propriè pertinere. *Fieri non potuit, ut taurorum & hircorum sanguis peccata auferret,* Quòmodo autem auferatur peccatum, declarat Apostolus ipse v. 2. nimirum, ut *Peccatorum amplius sibi non sint conscij. Nullam jam habuissent* (inquit) *conscientiam peccatorum, qui sacrificassent,* ut legit Vatablus. Atque hoc sensu apud Septuag. usurpatur hæc vox Exod. 34. 9. ἀφελεῖς τὰς ἁμαρτίας *auferes iniquitates nostras.* Vulgar. *Propitius fies iniquitati nostræ.* Vatablus. *Parces,* Pagninus. Et Num. 14. 18. ἀφαιρῶν τὰς ἀνομίας, καὶ ἀδικίας, *Auferens iniquitatem & scelera.* Vulgar. *Condonans iniquitatem & transgreßionem.* Vatablus.

Vatablus, Vatablus, Vulgar. Vatablus. Pagninus,

25. Περιαιρέω idem planè significat Heb. 10. 11. περιελεῖν ἁμαρτίας *auferre peccata,* eodem sensu, quo ἀφαιρέω v. 4. Sic apud Septuag. 2. Sam. 24. 10. περίελε τὴν ἀδικίαν, *transfer peccatum.* Vulgar. & Vatablus; qui exponit: *Condona hoc peccatum servo tuo.*

Vulgar, Vatablus,

26. Vocabulum καθαρίζω *mundo, purgo.* remissionem significare docet Apostolus, Hebr. 9. 22. ἐν αἵματι πάντα καθαρίζεται,

in

in ſanguine mundantur: ad quod explicandum adjungit, *ſine ſanguinis effuſione non fit ἄφεσις, remiſſio.* Nam ea quidem erat purgatio, quam ſanguinis effuſione Judæi ſe adepturos ſperabãt: non maculæ, neſcio cujus, à Papiſtis nuper confictæ mundatio. Hic vocabuli uſus Septuag. Interpp. judicio confirmatur, qui & illud & alia ejuſdem generis ac derivationis eodẽ modo uſurpant Num. 30. 6. 9. 13. καθαριεῖ, *purgabit Dominus:* nempe abſolvet filiam, uxorem, viduam reatu, quo ex voto tenebantur. *Propitius erit;* ut Vulgaris Interpres vertit ver. 9. 13. & Vatablus etiam v. 6. Pagninus reddit *Parcet.* Ita περικαθαριεῖ, Eſai. 6. 7. Vulgar. *mundabitur,* Pag. *expiabitur,* Vatab. *expietur,*

27. Ejuſdem generis eſt καθαρισμὸν ποιῶ, *purgationem facio.* Hebr. 1. 3. *Purgatione peccatorum factâ;* eâ nimirum purgatione, quâ & culpa & pœna deletur, ſive remittitur. de quâ totâ illâ epiſtolâ diſſerere videtur Apoſtolus.

28. Semel tantum in N. T. uſurpatur vox ἐξαλείφω, *deleo,* cum peccatis conjuncta, Act. 3. 19. ἐξαλειφθῆναι ἁμαρτίας, *ut deleantur peccata.* Hanc vocem exponit Apoſtolus, quum dicit Chriſtum *deleviſſe Chirographum. Metaphora* (inquit Vatablus ad Pſal. 51. 10.) *ab iis qui delent, quæ prius in rationes ſcripſerant.* Ita Dominus noſter Apoc. 3. 5, *Delebo nomen ejus è libro.* Septuag. eodem modo hac voce utuntur, Nehem. 4. 5. Pſalm. 51. 2. de quibus dixi ad Hebræam vocem Machah. Sic Jer. 18. 23. *Deleas à facie peccatum:* ut Pagninus, *Ne propitieris iniquitati, & peccatum eorum, à facie tuâ non deleatur.* ut Vulgar. reddit, Sed de iſtis ad vocem Hebræam plura dixi.

29. Reliqua eſt una vox, quâ etiam ſemel utitur Spiritus S. ſecundum interpretationem Septuag. Interpretum ἐπικαλύπτω. Pſalm. 32. 1. ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι, *quorum tecta ſunt peccata.* Verbo ſimplici eodem ſenſu Septuag. utuntur Neh. 4. 5. μὴ καλύψῃς ἐπὶ ἁμαρτίαν *Ne operias iniquitatem eorum.* Pſal. 85. 2. *operuiſti peccatum,* ſc. ne appareat ad pœnam de illo ſumendam, ut Jer. 20. 17. ἐκρύβη τὰ ἀδικήματα, *abſconduntur;* vel, ut Vulg. *occultantur iniquitates.*

30. De Latinis vocibus pauca habeo dicere: ſatis erit, quod pleraq; attinet, eas recenſere: ita perſpicuæ ſunt, & tàm multa de ipſis, in Græcis & Hebræis explicandis ſunt diſputata, quæ repetere non eſt opus. Hujus generis ſunt *Condono*, ſive *Dono*, Eph. 4,32. Col. 2.13. & 3.13. *Ignoſco*, Dan. 4,24. *Forſitan ignoſcet Deus delictis tuis.* Joel 2.14. *Quis ſcit, ſi convertatur & ignoſcet Deus?* Jon. 3.9.

Propitius ſum, Paralip. 4. 17. *Propitius ero peccatis eorum*, Pſal. 79. 9. Jer. 33. 8. Hebr. 8. 12. *Propitior*, 2. Paral. 6. 25. *Propitiare peccato populi tui Iſraël.* Pſal. 25. 12. & 64. 3.

Parco, Job. 14. 16. *Parce peccatis meis.* Joel 2. 17. 18.

Una vox eſt *Remitto* omnium frequentiſſima, quam vehementer urget Suarez de grat. p. 3. l. 8. c. 10. n. 11. de quâ, ne ſe negligi vir doctus conqueratur, neceſſe habeo nonnulla dicere. *Verbum remittendi & proprium eſt* (inquit Suarez) *& in rigore ſignificat ablationem peccati:* phyſicam ablationem intelligit, pro quâ, tanquam pro aris & focis, dimicat. Hæc quàm vera ſint expendemus; eoq; magis, quia voce ab hoc verbo deductâ, & Latinè & Anglicè crebrò utimur. Remiſſio peccatorum, *Remiſsion of ſinns.*

31. *Remitto* vocem eſſe compoſitam è præpoſitione *Re* & verbo *Mitto* (ut ἀφίημι, ad quam interpretandam & exprimendã frequenter adhibetur, ab ἀπὸ & ἵημι) nemo eſt, qui neſciat, quum & aures propemodum & oculi id teſtatum faciant. Eſt autem *remittere*, quod acceperis quaſi *retrò mittere*; vel (ut Ambroſ. Calepin.) *rurſus eò mittere, unde quid accepiſti.* Ita Gen. 34. 10. *Deus omnipotens det, ut gratiam impetretis coram viro illo, ut remittat vobiſcum fratrem veſtrum alium, & hunc Benjamin.* utrunque ſcil. in Ægyptum miſerat Jacobus, eoſq; ad ipſum remitti cupiebat. Et Exod. 18. 2. Moſes dicitur uxorem ſuam Ziporam, quam è Jethrone acceperat, *ad ipſum remiſiſſe.* Verùm infinitus eſſem, ſi ſingulos locos recenſerem. Unum & alterum è novo Teſtamento proponam, Luc. 23. 7. *Ut cognovit Pilatus*

Jesum ditionis Herodianæ esse, remisit eum ad Herodem. Illum verò v. 11. Herodes ad Pilatum dicitur *remisisse*. Sic Onesimum Paulus, qui à Philemone aufugerat, ad dominum suum *remisit*. Hac igitur significatione *Remitto*, verbum est proprium; in aliis ab eâ sumptis Tropicum.

32. Qualis verò sit tropus, quum ad peccata tollenda vel condonanda accommodetur, declarat Hugo Grot. de satisfact. Christi c. 2. qui Remittere peccata interpretatur *Missa facere peccata*, ut metaphora esse intelligatur, ab iis sumta, qui quod retinere possent, dimittunt. Cæterum hæc verbi explicatio, ut mihi quidem videtur, ad Dimittendum potius, quam ad Remittendum pertinet. Ego igitur (bonâ me veniâ audiant, qui ista profitentur) remissionem peccatorum, tanquam relaxationem eorum existimo denotare: Remittere namque idem est interdum & quidem sæpè, quod Relaxare. Unde est illud Ciceronis in Lælio de amicitiâ. *Quam laxissimas habenas amicitiæ habere, quas aut adducas aut remittas, quum velis.* Sic igitur sentio, Peccatorum vinculis, propter reatum culpæ, constrictam teneri peccatoris conscientiam, & ipsum ad pœnas persolvendas obligatum: quasi mox ad tribunal judicis, & inde ad supplicium rapiendus esset, qui peccavit. Veniâ itaque impetrata, quasi remittuntur, seu laxantur habenæ, quas reatus ex conscientiâ scelerum adduxerat, & leges peccatori injecerant, ut jam metu supplicii & actionis liberatus, nec peragi nec fieri possit reus. In quam sententiam dixit Iren. cont. hær. l. 4. c. 45. ¶ ubi igitur, *Christum abluere & emundare hominem, qui peccato fuerat constrictus.* Quare in principum nostrorum indulgentiis, pro synonymis usurpantur *Remittere* & *Relaxare. Perdonamus* (ajunt reges nostri) *remittimus, relaxamus.* Et hæ indulgentiæ tàm à culpâ, quam à pœna liberant, ut qui eas sit consequutus, quamvis antea furtum fecerat, aut homicidium; deinceps nec fur nec homicida nominandus sit, sed eâ planè sit conditione, ac si omninò se illis sceleribus nunquam contaminasset.

33. Atque hanc quidem fuisse veteris illius Interpretis (quisquis fuerit) mentem, ut Remissione peccatorum condonanationem eorum significare voluerit, si non exploratum, tamen persuasum habeo. Quod eo certè verisimilius videtur, quia remissio frequenter apud ipsum relaxationem indicat. Mitto quæ de *anno Remissionis* crebrò reperies, Numer. 36. 4. Deut. 15. 1. 2. 9. Nec illud urgeo, 2. Cor. 8. 13. *Non ut aliis sit remissio.* Vatablus, *Relaxatio.* Quid illa significant? Luc. 10. 12. *Sodomis in die illâ remissius erit, quàm civitati illi,.* Ita Matth. 11.22. *Cum Sodomis tolerabilius agetur,* ait Vatablus. id est, leviori supplicio afficientur Sodomitæ. Deinde vox *Dimitto* idem est illi, quod *parco* Gen. 18, 24. *Non parces loco illi,* ait Abraham. Respondet Dominus v. 26. *Dimittam omni loco.* Et Gen. 50. 17. *Præcepit pater, ut hæc tibi verbis illius diceremus, obsecro, ut obliviscaris sceleris servorum tuorum: nos quoq; oramus, ut servo Dei, patri tuo, dimittas iniquitatem hanc.* Idem igitur est, interpretis hujus judicio, *Oblivisci sceleris,* & *dimittere iniquitatem.* Vatablus utranque vertit *Ignoscere*, Exod. 32. 32. *Dimitte iis hanc noxam.* Multa sunt ejusmodi in libris Levit. & Numer. & apud Matthæum 6. 12. 14. 15. & 9. 5. 6. & 18. 21. 27. 32. Et apud Marc. 2. 5. 7. 9. 10. & apud Luc. 2. 21. 23. 24. & 6. 37. Remitto igitur, quum de remissione peccatorum agitur, non est vox propria, sed Metaphorica.

34. Quare quod secundo loco affirmat Suarez, eandem vocem *in rigore significare ablationem peccati,* scil. physicam, illud falsum esse ex eo constat, quod vox modificata nihil in rigore (ut rigidè Suarez) significet. Sed quoniam hoc ex illo pendere forsan existimavit, concidere hoc cū illo necesse est. Ego verò nec in rigore, nec ullâ modificatione à quoquam adhibita, vocabulum remittere ejusmodi oblationem peccati significare contendo. Certè apud M. Tullium optimum Latinitatis autorem, nullam ferè illius vocis significationem reperies, præter illas duas quæ sunt à me propositæ. Exempla

pau-

pauca significationis metaphoricæ recitabo. In Verrem lib. 5. *Hoc quoq; vobis remitto, negligite præterita, si vultis.* Epist. ad Attic. lib. epist. *Ne existamus, qui non debita consectari soleant, eos quæ debeantur remissuros.* Vatinius Ciceroni epist. fam. lib. 5. epist. 10. *Meam animadversionem & supplicium, quo usurus eram in eum, quem cepissem, remitto tibi & condono.* Valerius autem Flaccus in Argonaut. lib. 3. dixit *Culpam remittere.*

Insontes errore luit, culpamq; remittens
Carmina turbatos volvit placantia manes.

Et *Legem remittere*, est apud Q. Curtium de rebus gestis Alexandri lib. 6. sed de voce hac Latina, in rebus Theologicis, fortasse nimis multa.

CAP. XXXIII.

Respondetur ad ea, quæ Bellarminus disputat contra illa, quæ p. 1. l. 2. c. 7. disserui.

EX iis, quæ ad formalem justificationis causam explicandam putavi pertinere, unum superest, ut quod p. 1. l. 2. c. 7. n. 1. è Calvino disserui, id contra Bellarmini disputationem defendam. Est autem hujusmodi.

1.

Quâ justitiâ tota justificatio à Spiritu sancto describitur Rom. 4. 6. 7. 8. ea est tota justitia, quæ ad justificationem flagitatur.

At remissio peccatorum, est illa justitia, quâ tota justificatio à Spiritu sancto Rom. 4. 6. 7. 8. describitur. Calvin. Instit. l. 3. c. 11. n. 4. 11.

Ergo remissio peccatorum est tota justitia, quæ ad justificationem flagitatur.

Atq; hoc quidem esse Calvini argumentum ex ipsius verbis, locis quos citavi, propositis, perspicuum est.

2. Verùm Bellarminus aliam quandam disputationem instituit de justif. lib. 2. c. 9. ¶ Tertio. Sic enim Calvinum facit disserere. *Quærit* (iuquit) *hoc loco Calvinus, an hæc sit plena definitio justificationis, an dimidia: si dimidia, quomodo beatus dici poterit, qui non erit, nisi mediâ ex parte justificatus?* At nulla est apud Calvinum ejusmodi disputatio. Id certè quærit Calvinus d. n. 11. *quum Paulus dicat describi à Davide justitiam sine operibus, in his verbis: Beati quorum remissæ sunt iniquitates,* &c. *sitne plena hæc definitio, an dimidia?* Quibus verbis non agit Calvinus de justificationis, sed (ut ipse loquitur) de justitiæ, quæ ad hominem justificandum concurrit, definitione.

3. Bellarminus ad disputationem illam, quam proposuit ipse, & Calvino supposuit, duo respondet. Quorum alterum est ¶ Respondeo. Ad quæstionem: *Non poni in eo loco integram definitionem justificationis.* Et paulò post: *B. Paulus ad Rom. 4. non allegat testimonium Psalmi, ut definiat integrè justificationem.* Atq; hoc responsum suum duabus rationibus confirmat; de quibus mox videbimus. Ego verò dico, hoc responsum Bellarmini ad Calvini argumentum non pertinere. Calvinus enim in hoc argumento non loquitur de integrâ definitione justificationis, sed de totâ justificatione definiendâ. Sed rationes ejus expendamus,

4. Quarum prior sic habet:

Quod Spiritus S. aliis in locis definit per alia, quam per remissionem, id non definitur integrè Rom. 4. 6. 7. 8. per remissionem.

At justificationem aliis in locis Spiritus S. definit per alia, quam per remissionem Psal. 111. *Beatus vir, qui timet Dominum.* Ps. 118. *Beati immaculati in viâ.* Mat. 5. *Beati pauperes spiritu, &c.*

Ergo justificatio non definitur integrè, Rom. 4. 6. 7. 8. per remissionem.

Hujus Syllogismi Bellarminiani minorem nego. Neque enim iis in locis, è quibus testimonia proferuntur, loquitur

Spiritus ſanctus de juſtificatione. Nam *timere Dominum, Immaculatum eſſe in viâ, Ambulare in lege Domini*, ad formam juſtificationis non poſſunt pertinere; etſi concedamus quod illi affirment, & nos negamus, juſtificationem habituali gratiâ infusâ & inhærente contineri. Hæc namq; omnia actus ſunt, qui ab illo habitu proficiſcuntur & eliciuntur, ut ab interiori ſuo principio. Quid quod iiſdem in locis nihil deſcribat Spiritus S. ne Matthæi quidem quinto; nec ullâ rei cujuſquam inſtituatur deſcriptio. Etenim ubi eſt deſcriptio vel definitio, ibi etiam eſt res definita, & id, per quod definitur, vel deſcribitur. Quæ duo Rom. 4. 6. 7. 8. diſtinctè propoſita ſunt: *Beatitudo* ſc. ut definitum v. 6. & *Remiſſio peccatorum*, per quod declaratur, tanquam per id, quod naturam ipſius omnem comprehendat. In illis autem teſtimoniis nec definitio, nec definitum reperitur; ſed adjuncta beatitudo, de ſubjectis quibuſdam prædicatur.

Alia Bellarmini ratio ſic inſtituitur:

5. Ubi Apoſtolus ſolùm probat juſtificationem eſſe Dei donum, nec poſſe propriis viribus obtineri, ibi non definit integrè juſtificationem.

At Apoſtolus Rom. 4. 6. 7. 8. ſolum probat juſtificationem eſſe Dei donum, nec poſſe propriis viribus obtineri.

E. Apoſt. Rom. 4. 6. 7. 8. non definit integrè juſtificationem.

Major propoſitio planè falſa eſt. Nihil enim impedit, quo minus Apoſtolus probet definiendo, quia nulla eſt præſtantior probatio, quam definitio, quum ſit demonſtrationis fundamentum, ut docet Ariſtoteles Anal. poſt. lib. 1. cap. 39. part. 1. & lib. 2. c. 3. p. 10. ſecundum Pacium.

6. Vaſques Bellarmini reſponſum confirmat in 1. 2. diſp. 202. n. 32. 33. Reſpondet enim ad Calvini argumentum his verbis: *Reſpondeo primum, Illam Rom. 4. non eſſe definitionem juſtificationis*, Et pòſt: *Illa non eſt definitio juſtificationis, ſed illis verbis explicatur aliquid, quod ſit & convenit iis, quorum remiſſa ſunt peccata.*

Atque

Atque hoc certè Vasquis responsum Assumptionis Calvinianæ contradictionem ponit. Quod autem dicit, ad hunc modum probat: ad ea verba *alioquin & multa alia, &c.*

Si illa sententia, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. sit definitio justificationis, tum multæ essent aliæ ejusdem definitiones, in quibus nulla fiat mentio remissionis peccatorum, Matth. 5. Psal. 111. & 118.

At non sunt aliquæ definitiones, in quibus nulla fiat mentio remissionis peccatorum.

Ergo illa sententia, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. non est definitio justificationis.

Assumtionem veram esse concedimus. Justificatio enim, sine remissione peccatorum definiri non potest. Propositionis consequentiam nego; ad ejus probationem respondeo, ut prius Bellarmino n. 3. in illis locis neq; agere Spiritum S. de justificatione, nec ullam institui rei cujusdam definitionē.

7. Alterum Bellar. responsum habetur d. c. 9. ¶ potest etiam. *Potest etiam responderi* (inquit Bellar.) *his verbis definitionem integram, seu implicitè contineri.* Cæterum hic etiam idem peccat Bellarminus, quod prius. Nam assumptio Calvini in illo syllogismo à me proposita, non loquitur de integrâ definitione, sed de totâ justificatione. At ista multum discrepant. Justificatio enim est subjectum sive res definienda definitio verè prædicatum quo res illa describitur. Verùm decedam de meo jure, & Bellarmini responsum, quasi ab eo rectè accommodatum esset ad id quo de agitur, examinabo. Hoc igitur dicit, Integram definitionem justificationis assignari, sed implicitè. Integra verò definitio, nihil aliud significat, nisi ejusmodi definitionem, quæ totam definiti naturam complectatur. Itaque id respondet Bellarmin. Totam justitiam, quæ ad justificationem constituendam postulatur, proponi: sed ita tamen ut ea partim exprimatur, partim in iis, quæ sunt expressa, implicitè comprehendatur. Nos autem nega-

mus Apostolum quicquam illis verbis involutum & implicitum continere. At Bellarminus probat quod dicit hoc argumento: *quia remissio peccatorum fieri non potest sine justitia infundatur.* Hoc autem à veritate abhorrere ostendi c. 25. & seqq. in quibus remissionis peccatorum natura explicatur, probatur, & defenditur.

8. Ad hæc respondere videtur Bellarminus, Apostolum manifestè indicare remissionem sine justitiâ infusâ non posse comparari, quoniam, *Ex non imputatione peccatorum colligit imputationem justitiæ, ac per hoc docet, non posse duo ista separari, remissionem peccati & donationem justitiæ.* Primum, accipimus quod dat, Non imputationem peccati idem esse quod remissionem peccati. Secundo loco negamus, Apostolum ex non imputatione peccatorum colligere imputationem justitiæ. Id potius agit Apostolus, ut doceat, Remissionem peccatorum esse justitiam imputatam; uti ostendi d. l. 2. c. 7. n. 2. Postremò sumit Bellarminus pro concesso, quod falsum est, Imputationem justitiæ apud Apostolum idem esse, quod justitiæ & inhærentis donationem.

CAPUT XXXIV.

De reliquis Justificationis causis, quatenus à nobis Pontificij dissentiunt, ac primùm de efficiente.

1. Expositâ Justificationis formâ, reliquum est, ut alias ejus causas, Efficientem scil. Materiam & Finem explicemus. De quibus non habeo necesse quicquam dicere; quoniam, quæ de his disputant Pontificij, ea justificationem idem esse cum sanctificatione pro concesso sumunt omnia, ac per infusam & inhærentem justitiam fieri. At ista falsa esse totâ hac disputatione manife-

ſtum feci. Concidere ergo hoc perſpicuum eſt. Neque profectò de iſtis Pontificij laboraſſent, ſi juſtificationem veniâ peccatorum contineri exiſtimaſſent: ut deinceps in earum explicatione & tractatione liquidò conſtabit. Nam etſi ex eo de juſtificatione errore, quod eadem ſit cum ſanctificatione, iſta pendeant, tamen quia multis Theologorum noſtrorum & Pontificiorũ diſputationibus quotidiè de illis decertatur, dabo operam, ut ipſe etiam de iis pauca & ſuccinctè diſſeram.

2. Jam Hominem quoque ipſum Pontificij juſtificationis efficientem eſſe cauſam, exiſtimant. Sic enim Concil. Trid. ſeſſ. 6. de juſtif. cap. 5. & can. 4. *Liberum hominis arbitrium operari aliquid & agere ad juſtificationem* dicit, & *non eſſe veluti inanime quiddam, nihil omninò agens, mereq; paſſivè ſe habens: ſed neceſſe eſſe eum aliquâ ex parte ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi.* Quo etiam ſpectant illa Thomæ 1. 2. q. 113. art. 3. Sed contra. *Nullus venit ad Deum per gratiam, ſine motu liberi arbitrij.* Et art. 4. c. *Motus liberi arbitrij requiritur ad juſtificationem impij.*

3. Hinc autem cauſam efficientem principalem eſſe dicunt, Nam Didacus Alvares de Auxiliis div. grat. diſp. 68. n. 7. concluſ. 1. & n. 12. concluſ. 2. diſertis verbis appellat *liberum arbitrium cauſam efficientem principalem ad producendos actus ſupernaturales.* Cauſam verò principalem vocant, *quoniam aliquid confert per propriam formam ad productionem effectus; ſeu quod operetur à principio intrinſeco activo:* quâ ratione ab inſtrumentali causâ differt, *quæ nihil confert ſecundùm propriam formam, ne radicaliter quidem ad productionem effectus, ſed ſolùm ſe habet, tanquam deferens virtutem principalis agentis.* Secundam verò dicunt, quia *non operatur particularem effectum, niſi moveatur à Deo.* d. diſp. 68. n. 5.

4. Quod antea monui n. 1. Hæc omnia, quæ pontificii diſſerunt, ex eo pendere, quod juſtificationem idem eſſe atque ſanctificationem putent, id ex hoc manifeſtum eſt, quia præ-

parationes esse & dispositiones ad formam sentiant, hominemque affirment ad Deum per gratiam sanctificantem venire. Hæc verò prorsus falsa esse jampridem docui. Verum ut multorum expectationi aliquâ ex parte satisfaciam, ista cum pontificiis, semotâ omni de justificationis formâ cogitatione, breviter disputabo. Quod quidem eò libentiùs faciam, quoniam Spiritus sanctus in sacris literis perpetuò ita de justificatione loquitur, quum dicat *Hominem justificari ex fide per fidem.* Roman. 3. 30. *Deum justificare hominem.* Roman. 8. v. 33.

5. Hanc verò efficientem causam quod attinet, primùm hoc libenter concedimus; *Hominem non habere se merè passivè in justificatione:* quoniam dicitur credere, ut justificetur, sicut ostendi p. 1. l. 2. c. n. Credere autem hominis actio esse cognoscitur: humanæ scil. voluntatis, quum sit fiducia in Deum de peccatis per & propter Christi merita, sive justitiam & obedientiam remittendis, ut docui d. l. 2. c. 13. Neque id quidem negamus, *Causam esse principalem* illius actionis, quoniam à principio interiori activo operatur, sive credit. Deinde *secundam* esse *efficientem causam* fatemur; quia ad eum effectum producendum à Deo primùm movetur.

6. In hoc tamen ab illis dissentimus, quod Hominem justificationis suæ causam esse efficientem tradant. Nam fides, per quam, vel ex quâ homo justificatur, *non suâ naturâ aut vi, sed eâ solùm ratione justificat, quia in communicationem justitiæ Christi* (ut loquitur Calvinus) *nos inducit*, ut ostendi part. 1. l. 2. c. 18. nec per se, aut virtute suâ, sed tantum ut conditio, & ex virtute Christi. Accedit eodem, quod hic modus loquendi à scripturis alienus sit, quæ nunquam dicunt, Hominem justificare seipsum ullâ ratione aut modo. Deinde illud etiam negamus, *Hominem venire ad Deum per gratiam justificantẽ*, & multo quidẽ magis venire per motum lib. arbitrij: Sed conjungi cum Deo affirmamus, & ab eo in gratiã recipi per remissionẽ

peccatorum, ut ille, de quo modò Calvinus. Ne id quidem largimur, Eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi ad justificationem. Quæ omnia ex iis, quæ de præparationibus mox disputabuntur, Deo adjuvante, clarius illucescent.

CAPUT XXXV.

De præparationibus ad Justificationem; ac primùm de fide.

1. MOdum, quo homo ut causa efficiens se ad justificationem disponat, ac præparet, sic tradit Concil. Trid. d. sess. 6. c. 6. *Disponuntur homines ad ipsam justitiam, dum fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata sunt & promissa, & dum peccatores se esse intelligentes ad considerandam Dei misericordiam se convertunt, Deumq; diligere incipiunt, & propterea moventur adversus peccatum per odium aliquod & detestationem: deniq; dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.*

2. Hæ præparationes quibusdam Pontificiis ad materialem justificationis causam referuntur. Nam ita Bellarm. de justif. l. 1. c. 2. ¶ Causa materialis. *Pertinent* (inquit) *ad materialem causam dispositiones.* Et Suarez de grat. p. 3. l. 8. c. 5. n. 2. *Ad materialem causam gratiæ pertinent dispositiones ex parte recipientis.* Sed ista perperam ab iis differuntur, quum Synod. Tr. affirmet, *Homines per fidem aliasq; dispositiones liberè moveri in Deum.* Quis enim non intelligit, Efficiendi vim, qualis est motus in Deum, ad efficientem causam spectare, non ad materiam. Ad quam etiam multò prudentius eam retulit Thomas 1. 2. q. 112. art. 2. c. quum diceret, *Gratiam hanc, quâ quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum esse auxilium Dei moventis animam ad bonum.* Auxilium verò ab habituali gratiâ ita di-

stin-

ſtinguitur, ut illa formalis, hæc efficientis cauſæ naturã habere intelligatur, ut conſtat è Thomâ 1.2. q. 110. art. 2. ad 1. Idem eſt Alvaris judicium de Auxil. diſp. 19. n. 7. conc. 4. *Gratia præveniens* (ait Alvares) *per quam homo elevatur ad eliciendos actus ſupernaturales, ſc. timoris inferni, attritionis. & ſimilium actuum, qui regulariter infuſionem habitus tempore antecedunt, eſt auxilium actuale primum, & motio Dei virtuoſa.* Et concl. 5. *Illa motio prævia eſt cauſa efficiens.* In quam ſententiam Andræas Vega ad Concil. Trident. l. 7. c. 2. *Cauſam præparatoriam & diſpoſitivam ad efficientem reduci docet.*

3\. Jam in iis Concilii verbis, quæ n. 1. recenſui, tota hæc enunciata comprehenduntur.

I. Fides eſt, quâ creditur vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt.

II. Fides, timor, ſpes, dilectio, pœnitentia, propoſitum baptiſmi, & novæ vitæ juſtificant.

III. Fides, timor, ſpes, dilectio, pœnitentia, &c. juſtificant per modum præparationis & diſpoſitionis.

Has enunciationes eodem ordine proponit Bellarm. de juſtif. l. 1. c. 3. ¶ Primum igitur. *1. Prima quæſtio diſputanda eſt, Quænam ſit illa fides, ſive Quid ſit fides, quæ ad juſtificationem requiritur. 2. Secundo* (inquit) *diſſentimus, quod ipſi ſolam fidem juſtificare contendant; nos ei comites adjungamus in hoc ipſo officio juſtificandi, 3. Altera quæſtio eſt, an per modum diſpoſitionis ſive inſtrumenti ſola fides juſtificet.*

4\. Fidei naturam totam in aſſenſu, quâ creditur vera eſſe, quæ revelata ſunt, ponit Synodus; non illa, de quâ poſtea, fiducia. *Fidentes* (inquit Concil.) *Deum propter Chriſtum ſibi propitium fore.* Atque ita quidem Suarez Concilij ſententiam exponit de grat. p. 3. l. 8. c. 15. n. 6. *Concil, Trident. in d. c. 6. declarat & ſpem idem eſſe cum fiducia, & illam non eſſe fidem propriam, ſed in fide fundari.* Quæ verò ſit fides, expoſuit n. 3. *Fides, quæ juſtificans dicitur, eſt fides intellectus: id eſt, Aſſenſus firmus in reve-*

latione divinâ fundatus. Unde Bellarm. de justif. lib. 1. cap. 5. in initio, quæstionem de Fide disceptandam proposuit: *Fides justificans non est fiducia misericordiæ, sed solùm assensus firmus ac certus ad ea omnia, quæ Deus credenda proponit.*

5. Quod fidem Assensum divinæ revelationi appellent, omnia illis assentimur; ut declaravi p. 1. l. 2. c. 11. Sine causa igitur nos accusat Suarez d. l. 8. c. 15. n. 2. quod *fidem justificantem non esse opus intellectus, sed voluntatis sentiamus*, quam calumniam à Thomâ Stapletono (quod etiam profitetur) de justif. lib. 8. cap. 3. mutuatus est. Sed illi fortasse ignosci potest, quum idem Bellarm. etiam affirmaverit de justif. l. 1. c. 4. ¶ Itaque tribus. *Hæretici* (inquit Bellarminus) *fidem, collocant in voluntate, Catholici fidem in intellectu sedem habere docent.*

6. Primum verò, Non errare nos in fidei naturâ explicandâ, quum eam esse Fiduciam dicamus, Suarez ipse confitetur, qui & *multos Catholicos idem affirmet admittere, idq; secundum modum scripturæ; & eam sententiam errorem neget concludere, dummodo non excludatur alia significatio, in quâ assensus in scripturâ nomine fidei denotatur*, d. c. 15. n. 2. Sotus etiam de nat. & grat. l. 2. c. 6. agnoscit *quosdam Catholicos pro comperto habere fidem significare fiduciam.* Nec in eo nos errare, quod fidem sive fiduciam justificare dicamus, testes sunt ipsi pontificij. Etenim Conciliũ Tridentinum sess. 6. de justif. cap. 6. quum dicat, *Fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore*, fiduciam justificare confitetur. Verum istis omissis ad Bellarmini argumenta veniamus.

7. Bellarmin. autem de justif. l. 1. c. 5. ¶ Probatur. Fidem justificantem non esse Fiduciam, sed solum assensum, argumentis, quæ sequuntur, probat.

Si fides justificans sit in intellectu, tum est solus assensus, non etiam fiducia. Nam fides justificans est una tantùm virtus: una autem virtus non potest esse in duabus animæ potentiis genere distinctis.

At fides justificans est in intellectu.

E. fides justificans est solus assensus, non etiam fiducia.

Nego consequentiam propositionis. Etsi fides justificans sit in intellectu; tamen no est solum assensus, sed est etiam fiducia. Ad probationem respondeo. Fidem justificantem, sive quatenus justificat, non esse unam virtutem, nec ullam quidem virtutem, sed justificare omninò & solummodo ex officio & loco, quæ Deus misericors illi spontè & liberè concessit, ut dixi part. 1. lib. 2. cap. 28. Jam verò nihil impedit, quo minus Deus & munus & nomen fidei cum assensui in intellectu, tum fiduciæ in voluntate tribuat, & utrumque ad justificationem requirat. Non esse autem virtutem, ex eo constat, quod actu fidei, non habitu justificemur, ut & nostri Theologi & Pontificij confitentur; quemadmodum ostendi d. l. 2. c. 12. n. 2. 3 4. 5.

Assumptionem probat Bellarm. c. 5. ex Heb. 11. & c. 6. è 2. Cor. 10. ¶ Tertio probatur. & c. 8. ad quem locum nos mittit d. c. 6. ¶ Quinto accedant. Sed de istis non necesse habeo quicquam dicere, quum vera esse concedam: omninoq; si id solum probare voluisset Bellarminus, fidem esse assensum in intellectu, nulla mihi cum illo fuisset controversia. Verùm id etiam omni contentione agit cap. 6. ut probet, Fidem justificantem non esse Fiduciam. Ac primum quidem ita disputat ¶ Fidem igitur.

8.

Cujus est considerare & plenissimè scire, id non est fiducia, sed aliquid ad intellectum pertinens.

Fidei justificantis est considerare & plenissimè scire, Roman. 4. *Non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, &c. plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est facere.*

Ergo fides justificans non est fiducia, sed aliquid ad intellectum pertinens.

Si id velit propositio, Cujus est tantummodo considerare &

plenissimè scire, concedo eam esse veram, sed minorem dico esse falsam. Nam fides justificantis, de quâ Paulus Rom. 4. officium est, non solùm veritati assentiri, sed etiam confidere, ut ostendi p. 1. l. 2. c. 12., 13. 14.

Sin autem is sit propositionis illius sensus, quem solùm verba præ se ferunt, Cujus est scire, id non est fiduciæ, dico assumptionem esse veram, majorem propositionem falsam. Nam perinde est, ac si ita disputet.

Cujus est scire & assentiri veritati, id non est voluntas.
Animi est scire & assentiri veritati.
Ergo animus non est voluntas.

Falsa est hæc propositio major. Etenim scrre & velle, non sunt ejusmodi, ut in eodē subjecto hærere nequeunt. Eadem est majoris illiûs, de quâ loquimur, ratio. Considerare enim & scire non ita sunt opposita, ut eidem scil. convenire non possint, quo minus Deo liceat, utrumque eodem nomine insignire, & utriusq; officio ad justificationem uti: præsertim quum ex iis hæc pendeat: nec fieri possit, ut fiduciam habeat, qui Deum & Pollicitum esse justificationem illis qui credant, & Præstare posse, quod pollicitus est, non consideret, & plenissimè sciat.

9. Secundum Bellar. argumentum ita proponitur ¶ Quarto.
Fiducia est spes scil. roborata,
Fides justificans non est spes. Nam Apostolus 1. Cor. 13. *Manent fides, spes, caritas, tria hæc: major autem horum est caritas*; distinguit fidem à spe: & dicit esse duo quædam diversa.
Ergo fides justificans non est Fiducia.

Assumptionem concedo esse veram. Propositionem manifestàm esse dicit Bellarm. *Manifestum est* (inquit) *fiduciam nihil esse aliud quam spem roboratam.* Cujus rationem esse affirmat, quod *Spiritus sanctus fiduciam & spem, quasi Synonyma, ad rem eandem significandam adhibeat.* Id verò sic probat Job 8. *Spes hypocritæ peribit, & fiducia ejus.*

Ego

Ego verò Spiritum ſanctum hæc pro Synonymis uſurpare non puto. Nihil certè adfert Bellarminus, nec rationem, nec autoritatem, cur ita ſentiendum eſſe judicemus. Nec locus quidem ipſe nos cogit affirmare hæc eadem eſſe. Quamvis enim conjunctio ET hæc duo copulet: tamen inde non conſequetur, rem eandem utroq; vocabulo denotari; quum multa ſæpiſſimè ita connectantur, quæ diverſa eſſe dubitari non poteſt, eidem ſubjecto ſimul attributa. Præterea, ut hæc diſtincta eſſe concedamus, vera tamen erit Enunciatio. Etenim certum eſt, & ſpem hypocritæ, de iis, quæ ſperat, conſequendis, quum ea non ſit adepturus, & fiduciam, quum is, cui confidat, aut nolit, aut nequeat præſtare id, de quo præſtando ipſi confidit, certò eſſe perituram.

10. Porrò, idem enunciatum. Spem ſcil. & Fiduciam, quaſi ſynonyma uſurpari, ita probat Bellarm. d. ¶ Quarto. *Et pro eo, quod dixit David, Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus; dixit Jeremias cap. 17. Beatus vir, qui confidit in Domino, & erit Deus fiducia ejus.* At nec ullo argumento probare conatur Bellarm. Fiduciam apud Jeremiam nihil aliud eſſe, quam ſpem apud Davidem, nec loci indicant. Etenim quanquam nomen Domini ſpem eſſe dicat Davides, & Dominum eſſe Fiduciam Jeremias; tamen nihil cauſæ video, cur hæc ab illâ diſtincta res eſſe non intelligatur. Quid enim, ſi ad Deum utraque referatur? At alio atque alio modo. Neq; hoc quidem de Deo, qui naturâ unus eſt, malè affirmatur: quoniam etſi revera omnia Dei attributa, & cum eſſentiâ ipſius & inter ſe unum ſint ac idem: tamen in noſtri intellectus apprehenſione, & à ſe invicem, & ab eſſentiâ diſtinguuntur; ut tradunt omnes Scholaſtici. Fieri enim non poteſt, ut intellectus noſter, quũ finitus ſit, Divinam eſſentiam, ejuſque attributa uno quaſi complexu comprehendat. Modus autem Dei apprehendendi, quod ſpem & fiduciam attinet, varius eſt, pro variâ attributorum ratione, iſque hujuſmodi.

Fiducia nempe ad Deum refertur, quatenus in promissis præstandis fidelis esse intelligitur: Spes verò, quatenus potẽtiam & autoritatem habet, ea quæ pollicitus est, conferendi.

11. Tertium Bellarmini argumentum ita instituitur.

Si habemus accessum ad Deum in confidentiâ seu fiduciâ per fidem, tum Fides non est Fiducia, alioqui habemus accessum in confidentiâ per confidentiam.

At habemus accessum ad Deum in confidentiâ seu fiduciâ per fidem, Ephes. 3.

Ergo Fides non est Fiducia.

Nego consequentiam propositionis. Rationem negationis reddo à Pari.

Si mandata Dei servamus in dilectione per caritatem, tum dilectio non est caritas. Immo verò (inquam) Dilectio, in quâ servamus mandata Dei, est formalis effectus caritatis. Eodem modo posset fortasse responderi; Fiduciam, in quâ habemus accessum ad Deum esse formalem fidei effectum. omninò nihil apud Bellarminum reperitur, cur hoc falsum esse dicamus. Sed hoc responso omisso; venio ad probationem consequentiæ. Ea verò apud Bellarm. sic habet: Alioqui habemus accessum in confidentiâ per confidentiam. Hoc forsan Bellarmino absurdum videtur. Non certè magis quam illud, Mandata Dei servamus in dilectione per dilectionem.

12. Veruntamen, quoniam non puto eam esse Apostoli mentem, Eph. 3. 12. è quo loco antecedens illius propositionis & assumptio sumuntur, ostendam aliâ ratione, nõ esse absurdum, ut dicamur Accessum habere ad Deum in confidentiâ per confidentiam. Alia enim atque alia confidentia denotatur. Hæc, quæ fidei voce ab Apostolo significatur, est ipsa fides seu fiducia in Christum, de quâ disputatur. Illa verò, in quâ accedere dicimur, est fiducia in Deum, de iis, quæ nobis quoquo modo opus sunt, consequendis. Sic igitur Apostolũ expono, Per fidem, i. e. Quoniam in Christum credendo reconciliati

su-

ſumus Deo, cum fiduciâ, i.e. confidenter ad Deum accedimus, nec diffidentes, nec dubitantes aditum nobis ad ipſum patere. In quam ſententiam Apoſtolus Rom. 8. 33. *Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quo modo non etiā cum illo omnia nobis donavit*; vel ut melius Vat. *donat*. & Rom. 5. 1, 2. *Juſtificati ex fide pacem habemus ad Deum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Per quem habemus acceſſum fide in gratiam iſtam, in quâ ſtamus.*

13. Præterea fiducia in ſcripturis opponitur & dubitationi & diffidentiæ. Dubitatio eſt, quum intellectus ad neutram contradictionis partē adhęreſcat, ſed inter utramq; quaſi fluctuet. Diffidentia eſt, quando voluntas eligit non cōfidere promittenti. De hac loquitur Spiritus S. iis in locis, quos p. 1. l. 2. c. 14. recenſui. Ad illam pertinēt alij loci, de quibus mox ſigillatim diſſeremus. Jam ſi fiducia in illo Bell. ſyllogiſmo, de priori intelligatur, concedo omnia, & addo cum Bell. fidē eſſe cauſam illius fiducię, de quâ Paulus Eph. 3. 12. ut reſpōdi n. 11. Verùm de iſtâ non agitur in hac diſputatione. Sin àutē vox fiducia adhibeatur in poſteriori ſignificatione, reſpondeo aſſumptionē eſſe falſam, Apoſt. enim loquitur de de illâ Fiduciâ, quæ diffidētiæ, ſed de illâ, quæ dubitationi opponitur, quod ſic oſtēdo:

Si vox πεποίθησις, fiducia ſeu confidentia, aut ſemper, aut maximam partem, apud Apoſtolum ſignificet illam Fiduciam, quę dubitationi opponitur, nec quicquam hoc loco reperiatur, cur aliam ſignificare ſit neceſſe, tum eandem hoc loco ſignificat. Nihil enim cauſæ adferri poteſt, quare hic à maximè communi vocis ſignificatione diſcedendum ſit, quum Apoſtoli inſtituto ſatis ipſe conveniat.

At vox πεποίθησις, fiducia ſeu confidentia, aut ſemper, aut maximam partem, apud Apoſtolum ſignificat illam fiduciam quæ dubitationi opponitur: nec quicquam hoc loco reperitur, cur aliam ſignificare ſit neceſſe.

De priori ex ſingulorum locorum explicatione conſtare poterit.

14. Primus igitur locus habetur 2. Corinth. 1. v. 15. *Hac confidentiâ volui ad vos venire.* Jam hanc confidentiam, vel Fiduciam actum esse intellectus apparet, quo ad alteram contradictionis partem sine omni dubitatione adhærescebat Apostolus, quoniam eandem v. 14. appellaverat cognitionem, *Cognovistis* (inquit) *nos, quod gloria vestra sumus, & vos nostra. Hac confidentiâ*, nempe quia de hac vestrâ cognitione mihi persuasum erat, *volui ad vos venire.*

15. Alter est 2. Corinth. 3. 4. *Fiduciam talem habemus.* Hæc etiā Fiducia illum, de quo supra, actum intellectus significat, qui scil. in alterâ contradictionis parte, sine omni dubitatione acquiescit. Est enim ea cognitio, quam Apostolus habuit de Corinthiis, *Ipsos esse & suam epistolam*, v. 2. *& epistolam Christi ab ipso subministratam*, v. 3. Ad eam autem cognitionem esse referendam vox Talis declarat. Talis namque erat Fiducia, qualem versibus prioribns descripserat.

16. Tertius proponitur eâdem epist. 2. ad Cor. 8. 22. *In multis probavimus sollicitum fuisse, nunc autem sollicitiorem confidentia multa in vos.* Quam confidentiam dicit Apostolus? Nimirum eam, quâ vel frater ille, vel ipse Paulus, ad alteram contradictionis partem amplectendam accessit. Illa verò actus erat intellectus, judicium scil. practicum, à quo omnes actus sive eliciti fuerint, sive impetrati proficiscuntur. Hanc igitur sententiam videtur habere hic locus: Misi ad vos fratrem illum, & ille quidem eò libentius profectus est, quod mihi & illi persuasum erat, sine omni dubitatione futurum, ut faceretis, quod à vobis peto. Id verò quid sit, declarant v. 8. & 13.

17. Quartus reperitur ad 2. Corinth. 10. 2. *Rogo ne præsens audeam per eam confidentiam, quâ existimor audere in quosdam.* Hoc etiam in loco de illâ Fiduciâ loquitur Apostolus, quâ alteram contradictionis partem tanquam veram probavit, nempe ut impios & sceleratos graviter reprehenderet, & summo supplicio afficeret, quemadmodum prius fecerat. Sic igitur dis-

ſerere videtur. Etſi nonnulli me ut audacem reprehendant, quod improbos quoſdam tam gravi ſupplicio affecerim, ego tamen in eâ ſententiâ permaneo, ut decreverim, idem mihi deinceps faciendum, ſi eadem homines nefarii peccent. Quare rogo vos, ut improbitate veſtrâ ne cogatis me ita facere.

18. Hactenus ex aliis Apoſtoli locis, in quibus vox Fiducia adhibetur oſtendi, Eam Fiduciam, quæ dubitationi, non eam quæ diffidentiæ opponitur, denotari. Supereſt, ut de ipſo loco pauca moneam. Ac primum quidem cogitandum eſt, hanc hujus loci interpretationem, ut illa confidentia, quæ dubitationi adverſatur, indicetur, cum verbis ipſis optimè conſentire. *Per fidem habemus acceſſum ita planè, ut non dubitemus, quin quod petimus, id conſequuturi ſimus.* Deinde ut iſta ſic exponantur; verum tamen erit, quod affirmat Apoſtolus: *Per fidem habemus acceſſum cum fiduciâ*, i. e. ſine omni dubitatione fore, ut aditus nobis ad Deum pateat. Nam hoc certè illud eſt, quod Jacobus præcipit, ut *accedamus fide nihil hæſitantes.* Ex quibus emergit, veram eſſe alteram aſſumptionis partem, Nihil apud Apoſtolum reperiri, cur fiducia confidentiam, quæ diffidentiæ opponitur, ſignificari neceſſe ſit.

19. Deinde ad hunc modum differit Bellarminus. ¶ Quartò probatur.

Ad quod excitatur, qui fidem jam habet, id nõ eſt fides.

Ad Fiduciam excitatur, quid fidem jam habet, Matt. 9. *Confide filia, fides tua te ſalvam fecit.*

Ergo Fiducia non eſt fides.

Propoſitionem mitto, etſi dubitatione non careat, quoniam excitari poteſt ad actum fidei, & ad perſeverantiam, qui fidem jam habet. Aſſumptionem nego, ad ejus probationem reſpondeo: Primum non agi apud Matth. 9. de fide juſtificante. Multiplex in ſcripturis eſt Fides, non ſolùm hæc, quâ de loquimur, juſtificans, ſed etiam (ne ſingulas recenſeam)

cum illâ, quæ ad miracula operanda requiritur, tum in illa quoque quâ opus est, ut sanari possimus, vel ut miraculum fiat in nobis, aut de nobis. De illâ loquitur Dominus noster Matth. 17. 20. *Si habeatis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc; & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* De aliâ Lucas Act. 14. 9. *Paulus vidit, quod infirmus fidem haberet, ut salvus fieret.* De hac autem fide loquitur Dominus noster hoc loco Matthæi, quâ mulier opus habuit ut sanaretur: quam etiam indicavit ipsa, quum diceret v. 21. *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* Deinde nec illa quidem est Fiducia, de quâ disserimus. Nam θαρσεῖν, quâ voce utitur apud Matthæum Dominus noster, significat in scripturis *bono animo esse*, ut audacter aliquid dicamus, faciamus, aut expectemus, non meticulosè, quod timori opponitur. Exemplum habemus apud hunc Evangelistam Matth. 14. 26. *Præ timore clamabant Apostoli*; quos ut confirmaret Dominus, *Habete*, inquit, *fiduciam, Ego sum, nolite timere.* Nec usquam in scripturis sumitur hoc vocabulum pro eâ fiduciâ, quâ promittenti cuiquam credimus. Breviter repetam, quæ disputavi. Dico assumptionem esse falsam. ad ejus probationem respondeo, Dominum nostrum apud Matthæum non loqui vel de illâ fiduciâ, quâ Deo promittenti, aut in Christum credimus, vel de fide, quâ justificandi sumus. Quamobrem his sic explicatis, non dubitaverim ipsam conclusionem Bellarmino assentiri.

20. Ergo fiducia, quâ ut per miraculum sanemur, opus est, non est fides justificans.

Pergit Bellarminus, & aliâ ratione nos urget.

Quod in fide acquiritur, non est fides.

Fiducia in fide acquiritur, 1. Timot. 3. 13. *Qui benè ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu.*

Ergo fiducia non est fides.

Fidem hîc pro fide justificante accipi pro concesso sumi-

tur

tur. Quod tamen probari non poteſt. Immò quum ſæpe in hac epiſtolâ pro doctrinâ Chriſtianæ fidei, aut ejus profeſſione vox Fides uſurpetur, quidni hoc in loco eodem ſenſu adhibeatur? Uſurpari autem ex his locis conſtat 1. Tim. 1.4. & 5.6 12. & 6.27. Jam verò nihil apud Apoſtolū reperitur, quo minus idem hoc in loco fides ſignificet. Deinde, ſi de fide juſtificante hæc interpretemur, *In fide* idem erit quod *per fidem.* At id fieri non poteſt: Quoniam eâ ratione Fides ejus libertatis vel fiduciæ cauſa eſſe per bonam miniſtrationem intelligi deberet. Sic enim Apoſtolus diſputare cenſendus eſt. *Qui benè miniſtraverint, multam fiduciam acquirunt per fidem.* Fides autem juſtificans hujus fiduciæ cauſa eſſe non poteſt per bonam miniſtrationem, aut in ædibus privatis, aut in eccleſiâ. Nulla enim virtus earum, quas vocant infuſas, qualis eſt fiducia, ex bonâ miniſtratione, tanquam ex cauſâ ſuâ pendere poteſt. Quid quod eadem ratio ſit fiduciam, & bonum gradum acquirendi? Bonus autem gradus (ſive exiſtimationem, ſive aditum ad munus aliquod ſignificet) per fidem acquiri non poteſt: quum ſit externum quiddam, ex aliorum pendens voluntate: Fides verò ſit actus immanens & interior, ſolum Deo & illi qui credit, notus, aliis prorſus ignotus. Fides igitur de quâ loquitur 1. Tim. 3. 13. non eſt fides juſtificans.

21. Idem planè reſpondeo de fiduciâ, quam in minori propoſitione, eam eſſe, pro conceſſo ſumitur, quâ Deo promittenti confidimus. Nam ſi alia ſit, ad id quod agitur, non pertinet. Probare igitur illud debuit Bellarm. non ſolum dicere, præſertim quum Apoſtolus, ſi de illâ fiduciâ loquatur, ita diſſerere ſit exiſtimandus. Qui benè miniſtraverint, acquirent multam fiduciam in Deo, de peccatis remittendis, & ſalute æternâ. At hoc ſecus eſt. nam hęc jampridē in eo eſſe judicanda eſt, qui munus aliquod in eccleſiâ, aut domo ſuâ rectè obiverit, quoniam fiducia in ſanctificatione interiori continetur. At incrementum fiduciæ ſignificari dicet aliquis; quia

multam fiduciam acquiri affirmat Apoſtolus. At iſta ſi concedantur, tamen non conſequitur, quod quærit Bellarminus. Neque enim nos incrementum Fiduciæ, ſed Fiduciam ipſam Fidem eſſe dicimus. Deinde falſa etiam erit propoſitio major; ſcil. Cujus incrementum in Fide acquiritur, id non eſt fides. Nam credendo habitum Fidei interiorem augemus, ut aliarum virtutum; Unde ſequitur, quod in Fide acquiritur eſſe Fidem, id eſt, Eundem habitum Fidei auctum.

22. Thomas ita hunc locum interpretatur ad 1. Tim. 3. *Qui benè miniſtraverint exercendo officium Diaconi, promoveri merentur ad gradum altiorem, & acquirunt multam fiduciam; ſcil. auxilij gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro: & hoc per fidem Chriſti.* Jam hac interpretatione conceſsâ, quam veriſimilem eſſe non negaverim, quis ex eâ concluſerit, Fidem juſtificantem non eſſe Fiduciam, quâ Deo promittenti, & in Chriſtum credimus? Sed de hac fiducia plura diſſerui n. 11. Cajetanus de Fiduciâ paulò aliter, nec quidem malè, *Activè & paſſivè* (inquit) *verificatur, quod acquirant multam fiduciam in fide Jeſu Chriſti: Activè quidem, quia benè miniſtrando magis ac magis confidunt & audent in iis, quæ ſunt fidei, ut patet de Stephano.* Alia igitur eſt hæc Fiducia, quam ea, quâ nos dicimus fidei juſtificantis naturam contineri. Eadem ferè eſt Theophylacti ſententia, qui *gradum* interpretatur *progreſſum, quo ad ſuperiora veniant.* Fiduciam verò & libertatem acquirere interpretatur, *Celebriores fieri in fide, quod eſt* (inquit) *in omnibus, quæ ſunt ſecundum fidem & verbis & operibus.* Quare quum de aliâ fiduciâ, quam Fidem juſtificantem eſſe diximus, hoc loco diſſerat Apoſtolus, reſpondeo Bellarmini concluſionem à diſputatione, quam inſtituit, prorſus alienam eſſe.

23. Poſtremò, ſic argumentatur Bellarm. ¶ Sexto, accedam:

Si ſcriptura per Fidem intelligeret Fiduciam, actum ejus explicaret per verbum Fidere, non per verbum Credere.

At non explicat per verbum Fidere, ſed per Credere.

Ergo

Ergo scriptura per Fidem non significat Fiduciam.

Nego consequentiam propositionis. Etsi Scriptura per Fidem significaret Fiduciam; tamen ejus actum per utrumque & Fidere & Credere satis rectè posset explicare. Nam Fides justificans & assensum & Fiduciam comprehendit, ut ostendi part. 1. lib. 2. cap. 12. & seqq.

24. Deinde, verbum Credere significat etiam Fidere; idq; frequenter cum adjunctâ præpositione εἰς vel ἐπὶ, ut docui d.l.2. c. 14. Etiam assumptionem negarent *multi Pontificij, qui* (ut Suarez de grat. p. 3. l. 7. c. 15. n. 2. confitetur) *admittunt illam significationem vocis Fides, quâ, etiam secundum morem Scripturæ, dicitur fiduciam significare.* Eadem ferè à Vasque disputantur in 1. 2. disp. 209. c. 2. Verùm nihil à Bellarm. aut à Vasque adfertur, quibus ea, quæ sunt à me disputata par. 1. l. 2. c. 14. refellantur. Quapropter non committam, ut cum iis litigem: sed ad secundum Enunciatum expendendum accedam.

CAPUT XXXVI.

An Fides sola justificet.

1. SEcundum Enunciatum, quod cap. præcedenti disceptandum proposui, hujusmodi est. *Fides, timor, spes, dilectio, pœnitentia, propositum suscipiendi sacramenti, & propositum novæ vitæ justificant.* Hanc Synodi Tridentinæ sententiam sequuti sunt Theologi Pontificij. Sic enim disputat Bellarminus de justif. lib. 1. c. 13. cui titulus est: *Fidem justificare, sed non solam; idem enim facere, Timorem, spem, dilectionem, &c.* Et cap. 14. ¶ Præterea si in extremo. *Fides non sola ipsa justificat, sed eget necessariò ad officium justificandi, non solùm præsentiâ, sed etiam ope & efficientiâ Timoris, spei, dilectionis, pœnitentiæ, aliarumq; virtutum,* Idem affirmat Vasques in 1. 2. disp. 201. cap. 2. Suarez de gr. p. 3. l. 8. c. 17. Sed omissis autoribus, ad argumēta veniamus.

2. Primum Bellarm. argumentum sic habet ¶ Prima igitur.

Quod justificat ut initium & radix justificationis, non justificat solum.

Fides justificat ut initium & radix justificationis. Concil. Trid. sess. 6. cap. 8.

Ergo Fides non justificat sola.

Ut quæ sit hujus argumenti vis facilius appareat, videndum est, quid sit esse initium & radicem. Quod ad hunc modum à Vasque explicatur in 1. 2. disp. 211. n. 44. *Initij voce generaliter è Concilio significatur, quod speciatim explicatur per fundamentum & radicem.* Suarez rem omnem ita exponit: *Concilium Tridentinum quum vocat fidem initium justitiæ, si intelligatur de integrâ formali justitiâ, necesse est etiam intelligi de initio intrinseco, quod est internum fundamentum, vel prima pars illius rei, cujus principium dicitur: sed de illâ justitiâ loquitur Concilium, quia simul vocatur fundamentum, & radix omnis, id est, totius justificationis.* Et cap. 7. dixerat, *Justitiam, quæ est nostra justificationis causa formalis, complecti Fidem, spem & caritatem. In hac ergo justitiâ Fides dicitur initium, quia in eâ fundantur reliqua: licet ipsa etiam per sese ac formaliter ad integritatem, & quasi compositionem hujus justitiæ pertineat.* De prædest. lib. 2. c. 6. n. 12. In eandem sententiam Bellarminus de justif. lib. 2. c. 20. ¶ Dicat. *Fides est initium justitiæ, quod manet & perficitur; quo modo arborum radices crescunt & roborantur, crescente arbore. Fides primam inchoat justificationem, Deinde assumptâ spe & caritate perficit.* Atque hæc illi omnes à Thomâ acceperunt, qui ad Rom. 3. lect. 3. v. 22. dicit, *Ipsam Fidem esse quasi primam partem justitiæ nobis à Deo.* Et ad cap. 4. lect. 4. v. 5. *Ipsum credere esse primum actum Justitiæ. Fundamenti verò rationem habet, quia tanquam primi lapides in ædificio reipsâ sustentant cætera, quæ superstruuntur. Radix autem appellatur, quoniam movens nos ad opera, quibus paulatim ad justificationem disponimur, succum nobis & motum aliquem subministrat*; ut Vasques in 1. 2. disp. 210. n. 47. 50. Et hæc quidem

omnia

omnia ex ipsius Concilij verbis elici possunt, ut declarant idem Vasques d. disp. 210. c. 6. n. 4. & cap. 7. n. 47.

Jam quod argumentum hoc attinet, in eo vis ejus omnis posita est, quod justificationem idem esse cum sanctificatione arbitrentur. Nam si remissionem peccatorum, aut Christi justitiam imputatam existimarent, initium, radicem, & fundamentum ejus esse fidem nunquam dicerent. Quare quum justificatio à sanctificatione reipsâ distinguatur, nihil opus est de Papistarum argumentis litigare. 3.

Idem est de reliquis virtutibus, quas ad justificationem flagitari dicunt Pontificij, judicium, timore scil. spe, dilectione, pœnitentiâ, &c. quæ sanctificationis quasi partes, non minus quam Fides ipsa, censeri debent, & ad eam constituendam non minorem, quam Fides, vim habent. Quod de spe Bellarm. affirmat, quum dicat, *Fidem assumptâ spe & caritate justificationem perficere.* de justif. l. 2. c. 20. ¶ Dicat. 4.

Ex his ad hunc modum disputatis constare arbitror, non necesse esse, ut de tertio Enunciato disseram. Illud autem sic habet: *Fides, spes, dilectio, pœnitentia, &c. justificant per modum præparationis & dispositionis.* Etenim nomine *præparationis & dispositionis,* ut exponit Vasques in 1. 2. disp. 203. n. 88. *intelligit Concilium præparationem animi, quâ paulatim procedit homo ad justitiam obtinendam.* Ita etiam Bellarm. de justif. l. 1. c. 13. ¶ Respondeo ad primum. *Deus facit justos, sed paulatim, & per certa media. Quos enim diligit, primùm vocat ad fidem, tum spem, & caritatem, & dilectionem inchoatam inspirat; postremo justificationem & perfectam caritatem infundit.* Justificationem igitur & sanctificationem idem esse pro concesso sumunt Pontificij. Quamobrem ad hæc omnia ipsius Bellarmini verbis respondebo; quæ ferè sic habent de justif. l. 1. c. 11. Respondeo: Adversarij. *Pontificij non malè ratiocinantur apud suos, quibus persuaserunt, justificationem esse sanctificationem. Hoc enim admisso principio, non est difficile probare, fidem justificantem esse ejusmodi* 5.

initium, fundamentum & radicem. At nos verè Catholici, qui videmus eos assumere quod erat probandum, ridemus ejusmodi argumenta.

CAPUT XXXVII.

De causâ efficiente per modum meriti.

1. HActenus de efficiente causâ disserui, quatenus physicè operari dicitur, qui justificatur: Reliquum est, ut quam eidem causæ tribuunt, moralem efficientiam, eam breviter & perspicuè declarem. De quâ ita olim Sorbonistæ in Articulis à facultate S. Theologiæ &c. *Certâ & firmâ fide credendum est, Peccatorem non solâ fide, sed & bonis operibus justificari.* Quid autem sit Bonis operibus justificari, exponunt quum sic disputent: *Nos damnamur propter mala opera. Ergo justificamur propter bona opera.* Et paulò pòst: *Opera merentur vitam æternam, & per consequens justificant hominem.* Ex quibus liquidò constat, Sorbonistas affirmare, *Hominem bonis operibus justificationem mereri eo modo, quo malis operibus damnationem meretur.*

2. Atque hanc quidem fuisse Romanæ Ecclesiæ fidem ante Concil. Trid. ex eo apparet, quod illos articulos *Magistralem definitionem* vocant Sorbonistæ, *quâ componant dissidentes opinionum fluctus, & quidnam circa ipsos articulos in universâ Ecclesiâ credendum sit, paucis annotent.* Accedit eodem, quòd hæc de justificatione merenda opinio, ante illud Concilium à multis tradita fuerit; nec à quoquã Pontificio refutata. Sic enim Thomas in 2. dist. 27. q. unica. art. 4. ad 4. *Quibus Deus dat gratiam, ij habent aliquam dispositionem ad merendum, ex quâ dicitur quodam modo ex congruo gratiam mereri.* Eandem opinionem tuentur (ut ait Vega in def. Conc. Trid. l. 8. c. 8. ¶ Pur-

ro.) Bonaventura in 4. dist. 15. q. 5. p. 1. art. 1. Scotus in 1. dist. 17. q. 1. & in 4. dist. 14. q. 2. Gabr. Major. Almayn. in 2. & in 4. Adrianus quodlib. 7. qu. 4. Roffensis contra Lutherum; qui *ideò putat à Paulo dictum nos Justificari fide, quia fides meretur gratiam, quâ solâ justificamur.* Et ipse Vega cum d. c. 8. tum in opuscul. de justif. q. 7. Eandem sententiam confirmat Vasques in 1. 2. disp. 208. n. 5. 6. autoritate Marsilij in 2. q. 18. art. 3. concl. 2. & 3. Francisci de Daventria in Exegesi contra Conf. Augustan. f. 46. ¶ Rursus dicent. His addit Suarez de grat. p. 3. l. 12. c. 37. n. 2. Albertum in 1. dist. 41. art. 2. ad 2. & ult. Ferrariensem contra Gentes cap. 149. dub. ult. Hanc opinionem quum Calvinus Pontificiis tribuisset, Instit. l. 3. c. 11. n. 13. his verbis: *Bona pars hominum justitiam ex fide & operibus compositam imaginatur.* Bellarminus, qui omnes ejus reprehendendi ausas arripuit: de hoc tamen illum non reprehendit.

3. Istud Pontificiorum commentum rejicit Calvinus d. n. 12. *Valeant igitur,* inquit, *eorum somnia, qui justitiam ex fide & operibus conflatam comminiscuntur.* Ac eodem planè sensu negari hæc à Calvino, quo à Papistis affirmantur, ex ipsius Calvini disputatione perspicuum est. Sic enim disserit d. n. 13. *Quum rependitur operibus merces, id fit ex debito, non ex gratiâ. Fidei autem tribuitur justitia secundum gratiam. Ergo id non est ex meritis operum.* Et n. 14. *Et si vita Patriarchæ Abrahami spiritualis erat, & penè Angelica: tamen non suppetebant operum merita, quæ illi justitiam coram Deo acquirerent.* Et n. 18. *Dilectio non est nobis justitiæ causa; per se nihil pretij meretur.* Idem est Ecclesiæ Anglicanæ judicium homil. de salvat. serm. 1. *Justitia operum nostrorum excluditur; utpote quæ meritoria esse justificationis nostræ non possint.* Et serm. 2. *Dicimur justificari solâ fide gratis sine operibus, ut prorsus tollatur omne meritum operum nostrorum; utpote quæ justificationem nostram à Deo mereri nequeant.* Et serm. 3. *Fides, spes, caritas, timor, cogitata, dicta, facta nostra imperfecta sunt, ideoq; non idonea, quod ullam justificationis nostræ partem mereantur.*

4. Quæ verò sit hac de re Concilij sententia, Synodus ipsa declarat his verbis sess. 6. de justif. cap. 8. *Gratis justificari ideò dicimur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promeretur.* Hanc Concilij sententiam Scholastici Theologi deinceps uno ferè consensu sic explicârunt, ut illud solum meritum excludi putent, quod dicitur *ex Condigno*, non illud quod vocant *meritum de Congruo.* De quo ad hunc modum Vega in opusc. de justif. q. 7. propos. 4. *Fides & alia bona opera, quibus disponimur ad gratiam gratum facientem, meritoria sunt ex Congruo ejusdem gratiæ, & nostræ justificationis.* Et in defens. Conc. l. 8. c. 8. in principio, *Ex his colligere possumus, Posse peccatores fide, spe, dilectione, eleemosynâ, pœnitentiâ, martyrio, & aliis bonis operibus mereri ex Congruo gratiam justificationis.* In eandem sententiam Bellarm. de justif. l. 1. c. 21. ¶ Respondeo, Particula. *Justificatio gratuita non excludit opera, quæ dicuntur concurrere ad justificationem, ut dispositiones, vel ut merita de Congruo.* Eadem sequutus est Vasques in 1. 2. disp. 218. n. 5. *Homines peccatores per bona opera, quæ tempore præcedunt ipsam justificationem, & fiunt auxilio gratiæ Dei, justificationem ipsam congruè à Deo promerentur.* His assentitur Suarez de grat. p. 3. l. 12. cap. 37. n. 2. *Dico peccatorem divinâ gratiâ adjutum, posse de Congruo mereri primam gratiam sanctificantem, ipsamq; remissionem peccati mortalis.*

6. Cæterum hanc opinionem tamen non esse de Fide, perspicuum est, quoniam qui eam defendunt, id non asserunt, sed tantum *communiorem esse* contendunt. Sic enim Vega in defensione Concilij d. l. 8. c. 8. *Hæc sententia communior nunc est in Scholis Theologorum.* Immò *multò magis communiorem esse* dicit Vasques ubi supra, *apud Theologos Scholasticos*; *aliquibus autem Theologis* (ut ait ibi Vasques n. 1.) *adeò invisum fuit semper nomen Meriti ad gratiam, ut etiam negaverint Meritum ex auxilio gratiæ Dei ad primam gratiam habitualem obtinendam, non modò condignum, sed etiam impetratorium.* In hac sententiâ fue-

runt

runt Capreolus in 4. dist. 14. q. 2. artic. 3. ad argum. Henrici contra secundam conclusionem. Et Antonius Panthussa lib. de grat. & prædest. c. 6. & de lib. arbit. c. 6. Acriter verò eam defendit, & oppositam impugnat Dom. Sotus lib. 2. de nat. & grat. cap. 4. quem sequuntur recentiores Thomistæ in hoc articulo; concedentes quidem fidei & bonis operibus, quibus ad justificationem disponimur, & præparemur, vim impetrandi justificationem & remissionem peccatorum: non autem ullam, ne minimam quidem rationem meriti.

6. *His accedit* (inquit Vasques d. n. 2.) *Petrus Sotus lib. de institut. sacerdotum lect. 9. de pœnitentiâ; qui meritum Congruum ad Justificationem & remissionem peccatorum denegat apertè dispositionibus præcedentibus justificationem ipsam. Demum Hosius in Confessione Cathol. cap. 73. non longè à principio, duas de hac re oppositas opiniones numerat: & quamvis ex propriâ sententiâ nihil definire videatur; nihilominus in eam opinionem vehementer inclinat, ut neget tale Meritum Congruum ad Justificationem, quin immo testatur Viros doctos in Concilio Trident. docuisse, hoc Meritum omnino rejiciendum esse. Quocirca maluisse Patres in eodem Concilio, opera, quæ præcedunt justificationem, appellare dispositiones, quàm Merita etiam congrua.* Ita etiam Suarez d. c. 37. n. 2. *Hæc est communis sententia Theologorum.* Deinde Bellarminus *Quæstionem ait videri esse ferè de solo nomine*, d. c. 21. ¶ Jam verò. Et ¶ Deinde non dicit *Quæstionem esse, An illa opera sint nomine Meriti appellanda.* Ad eundem modum Vega Opusc. de justif. q. 7. *De nomine tantum est quæstio.* Denique contrariam huic sententiam *à multis Pontificiis defendi* tradit idem Vega in defens. d. c. 8. *quos tamen pientissimos, doctissimos, oculatissimos & D. Thomæ studiosissimos fuisse confitetur.* Quod etiam Bellarm, d. c. 21. etsi parcius, significat. *Aliqui etiam ex Catholicis* (ait Bellarminus) *negant dispositiones ad justificationem posse vocari ullâ ratione merita, & Justificari hominem gratis contendunt esse, Justificari sine ullo Merito, sive Condigno, sive Congruo.*

7. Nondum igitur inter Pontificios convenit, Sitne aliquod meritum de congruo an non? Dominicus quidem Sotus de nat. & grat. l. 2. c. 4. *Ullum esse negat*; in eâ fuit sententiâ Medinâ in 1. 2. q. 114. art. 6. qui (ut ait Suarez d. l. 12. c. 32. n. 1.) absolutè dixit, *hoc Meritum de congruo, neq; verum, neq; proprium esse*. Etiam illi, qui esse Meritum aliquod ejusmodi ante tenent, accurateque defendunt: tamen in naturâ illius explicandâ in summâ sunt varietate ac dissensione constituti. Quare Suarez longam disputationem instituit d. l. 12. cap. 33. 34. 35. 36. ut quâ in re *Meriti hujusmodi essentia ponenda sit*, exquirat, atque explicet.

8. Exspectabit jam fortasse quispiam, ut hanc Pontificiorum de Merito congrui opinionem disceptem. Mihi verò non videtur esse faciendum, quoniam ad fidem Rom. Ecclesiæ non pertinere perspicuum feci, de quâ solâ mihi cum Papistis est controversia. Deindè si ex ipsorum sententiâ disputarem, quærendum esset, utrum Actus, quos vocant præparatorios, Fides scil. spes, dilectio, pœnitentia, &c. gratiam habitualem mereantur. Hæc autem qui differere velit, illum aut concedere oportet justificationem nihil aliud esse quam sanctificationem, aut ab institutâ dispositione discedere, quũ hæc quæstio hoc modo proposita cum justificatione (ut sæpe ostendi) nihil habeat commercij.

9. Quod autem Calvinus, aliique nostris Theologis, Nos non justificari operibus contra Pontificios disputaverint, id eâ causâ fecerunt, quoniam ipsis cum iis res erat, qui justificationem, quasi in abstracto disceptandam proposuerunt, nullâ habitâ ratione aut disquisitione, in quâ re illius essentia collocanda esset. Jam verò, quum Synod. Tridentina, & eam sequuti Theologi pontificij justificationis naturam eo modo, quem n. 2. & 4. significavi, explicaverint, neque necesse est, nec profectò decet aut licet, litem illis de hac re intendere.

Cæterum Theologos nostros ad illam, quæ trita est, & celeberrima de Justificatione ex fide & operibus disputationẽ invitaverunt, vel potius pertraxerunt plurima in hanc sententiam à Pontificiis conscripta. Eorum nonnulla recensebo, ut cuivis liquidò constet, causam hujus erroris & cõtroversiæ ab ipsis Pontif: profectam esse, qui admodum incommodè, ne dicam ineptè, de justificatione loquuti sunt. Primùm igitur Sorbonistæ Paris in Artic. à Facult. S. Theol. Paris. determinatis art. 4. dicunt *Peccatorem non solâ fide, sed & bonis operibus justificari.* Deinde Billick. & Malvenda in Coll. Ratisb. 2. replic. 8. ad 1. thesin Conf. August. ita loquuntur: *Quia sanguine Christi nostra constat justificatio, ideò dicimus Hominem etiam virtutibus atq; bonis operibus justificari, quia hæc sanguine Christi tincta sunt.* Deniq; Joan. Forsterus Episc. Roff. contra Luther. art. 1. ita justificationem exponit. *Ad justificationem ex operibus misericordiæ, duo exiguntur, nempe fides & opera. Confidas oportet, Deum operis tui remuneratorem fore: deinde si quicquam inopi propter Deũ contuleris, ex ijs duobus oritur justificatio tui: utrumque concurrat necesse est.* Et hi quidem ante Concil. Trident. ista scripserunt. 10.

Ambrosius vero Catharinus Minoriensis Episc. qui Conc. interfuit, non de illâ nescio quâ justificatione, ex operib. misericordiæ, de quâ Roffensis, sed generatim de Justificatione ita loquitur: *Primùm audit homo quæ proponit Deus de Christo suo, tum de nostro statu & Conditione. Cui auditui si credit, gratis Dei justitiam, h. e. caritatem, ex fide adipiscitur, per quam caritatem, sive justitiam fides postmodò amanter operatur ad perfectam justificationem.* Catharinus ad Rom. 3, 20. Nicolaus Sanderus nostras magis perspicuè: *Fides & opera unam constituunt justitiam à fide quidem inchoatam, ex operibus verò auctam & consummatam; Sicut enim corpus & spiritus unum hominem constituunt; sic fides & opera unam constituunt justitiam, quæ appellatur justitia fidei.* de justif. l. 6. c. 4. Justitiam dicit Sanderus constitui, tanquam ex causis, ex fide, & operibus; quemadmodum homo 11.

ex animo & corpore constituitur. Quis tandem de merito justificationis his Sanderi verbis disputari sentiat: ac non potius id ab illo affirmari dicat, Justitiam, quâ quis justificatur, quod formam ipsius attinet, ex fide & operibus conflari?

12. Quod quidem Jacobus Payva Andradius non obscurè significavit: *Justificatio* (inquit) *duabus constat partibus, Remissione scilicet peccatorum, & Legis obedientiâ.* Orthodox. explic. lib. 6. Quid dici potuit apertius? Quid clarius? Legis obedientiam partem esse justificationis affirmat Andradius, qui Concilio Tridentino ipse interfuit. Etiam Vasques novitius Jesuita, Opera ad formam justificationis pertinere judicat. *Fatentur DD.* (ait Vasques in 1. 2. disput. 203. n. 35.) *Hominem justum sine novo augmento habitus, operibus bonis in Deo factis, quibus meretur vitam æternam, magis justificari. Quod aliter intelligi nequit, nisi tanquam forma, id quod non video, quâ ratione negari possit.* Deinde n. 36. ne quis hæc ad augmentum habitualis formæ referenda esse existimet, ait, *De fide non esse habitum augeri quovis actu meritorio in hac vitâ.* In hanc sententiam Bellarminus de justif. l. 1. c. 1. ¶ Causa formalis; non dubitavit affirmare, *Justificationis causam formalem in actu esse ipsa bona opera,* Stapletonus igitur audacter pronunciat, *Catholicos dicere, Hominem justificari fide, & operibus, tanquam causâ formali.* Promptuario Catholico ad Joan. 8. 17.

13. Jam ex istâ disputatione hæc duo emergunt; Alteram, Multos ex istis Catholicis, aut non intellexisse, quæ fuerit Romanæ Ecclesiæ de justificatione sententiâ: aut eam ineptè, aut propemodum absurdè, & aliter quam res habet, proposuisse. Omninò in Synodo Tridentinâ oppidò paucos fuisse episcopos, qui Scholasticorum de illo disputationem intelligere potuerint, ejusdem Synodi historia luculenter ostendit. Alterum est; aut non Errâsse nostros Theologos, quum Pontificiorum opinionem de justificatione ex fide & operibus multis argumentis refutaverint;

aut

aut Errandi occaſionem dediſſe ipſos Pontificios, qui illam ita ptopoſuerint & defenderint. Mihi verò ignoſcendum eſſe exiſtimo, ſi ab eâ diſputatione ſciens ac volens me abſtineam, cujus nullum eſt veſtigium apud Concilium Tridentinum, in tam longâ de juſtificatione, & tanto artificio tàm accuratè concinnatâ definitione. Quod reliquum eſt, Deum optimum maximum, patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, majorem in modum iterum atque iterum obteſtor & rogo, ut quæ ſcripſi, ea ſi vera ſint, conſtanter tueri faciat; ſi falſa, libenter agnoſcere; nec unquam ſinat me miſerum homuncionem, majorem exiſtimationis meæ rationem habere, quam veritatis ſuæ: cui cognoſcendæ, explicandæ, defendendæ me totum (quantulus quantulus ſum) do, dico, conſecro per Jeſum Chriſtum; cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit laus, gloria, obedientia & gratiarum actio in omnem æternitatem.

Amen.

INDEX RERUM ET VERBORUM, IN QVO PRIMUS NUMERUS PARTEM, SECUNDUS Librum, tertius Caput, quattus Numerum Capitis significat.

A.

ABundantia non significat perfectionem, part. 2. lib. 2. c.4.num. 3.
Actio duplex est, Immanens, Transiens, part. 1. lib.1.cap. 3. n. 20.
Actio transiens quasi transit in creaturam, part. 1, lib. 1, cap. 3, num. 16.
Actiones sunt suppositorum, part. 2, lib. 1, cap. 11, num. 5,
Omnis actio nostra ab intellectu & voluntate nostrâ proficiscitur, part. 2, lib. 1, cap. 16, num. 5,
Actus primus duplex est, Forma & Operatio, part. 1, lib. 2, cap. 7, n. 8.
Adami lapsus ex solâ Dei ordinatione ad pœnam obligat, part. 2, libro 1, cap. 2, num. 6.
Adæ peccatum imputatur nobis, part. 2, lib. 1, cap. 21, num. 16,
Adæ peccatum veram in nobis & absolutam injustitiam posuit, part 2, lib. 2, cap. 20, num. 5,
In Adamo omnes peccavimus, part. 2, lib. 1, cap. 21, num. 7.
Adoptio est pars reconciliationis, part. 1, lib. 1, cap. 9, num. 2,5,6,7,
Adoptio solis credentibus contingit, part. 1, lib. 1, cap. 4, num. 12,
Adoptio tribuitur justificationi tanquam proprius ejus affectus, part. 2, lib. 2, cap. 4, n. 3,
Adoptio non pertinet ad justificationem, part 2, lib. 2, cap. 4, num. 4,
Adoptionis spiritum accipimus per justificationem, parte 2, lib 2, c. 9, n 3.
Adoptionis beneficio vitam æternam consequimur, parte 1, lib. 2, c 19, n. 5,
Adoptari & Hæredem esse ferè idem, parte 2, libro 2, cap. 4, num. 3.
Anima hominis non est idem cum homine, par: 1. lib. 2, cap. 7, num. 7,
Animi duæ sunt partes vel facultates, part. 1, lib. 2, cap 12, num. 6,
Abrahamus quid præstiterit ad justificationem suam, ostendit Apostolus Rom 4, 3, part. 1, lib. 2, cap. 15, n. 6,
ἀποκαταλλάττω reconcilio, part. 1, lib. 1, cap. 6, num. 1,
Quomodo differat à καταλλάττω, part. 1, lib. 1, cap. 6, num. 2,
Auferre peccata, iniquitatem, quid? part. 1, lib. 2, cap. 7, num 7, & par. 2, lib. 2, cap. 32, num. 4,
Autor Commentar: in Epistolas apud Ambrosium, non fuit Ambrosius Mediolanensis, par: 2, lib: 1, c 21, n: 5,
Auxilium quomodo differat ab habituali gratiâ, part. 1, lib 2, cap. 35, n: 2.

ἀφίη-

Ἀφίημι quid significet, part. 2, lib. 2 cap. 32, num. 22.

B.

Beatitudo, de quâ Apostolus Rom. 4, 6, quæ; part: 1, lib: 2, cap. 7, num. 2,
Ad Beatitudinem absolutè sumptam multa præter justitiam flagitantur, part: 1, lib. 2, cap 7, num. 2.
Hominis justificati Beatitudo in non Imputatione sita est, part. 1, lib. 2, cap. 7, num. 3,

C.

Calvini sententia de Justificatione explicatur, part. 1, lib. 2, cap. 4, n. 1,
Caphar quid significet, part. 2, lib. 2, cap. 32, num. 8.
Casah quid significet, parte 2, lib. 2, c. 32, num. 7,
Chamal quid significet, part. 2, lib. 2, cap. 32, num. 5.
Chas quid significet, par. 2, lib. 2, c. 32 num. 6
Causam principalem quid faciat; part. 2, lib. 34, num. 3,
Quomodo differat ab instrumentali, part 2, lib. 2, cap. 34, num. 3.
Καταλλάττω significat & Conciliatio & Reconciliatio, part. 1, lib. 1, cap. 2, num. 2.
Καταλλάττω in scripturis significat tantum Reconciliatio, part. 1, lib. 1, c. 2, num. 5.
Christus secundum utramq; naturam reconciliat, part. 1, lib 1, c. 5, n. 8, 9,
Utriusque naturæ operatio est una numero, part. 1, lib. 1, c. 5, n. 9.
Quomodo Christus valeat ad reconciliationem; part. 1, lib. 1, c. 5, n. 10.
In Christo eramus priusquam eramus in Adamo, part. 2, lib. 1, c. 21, n. 7,
Quo sensu dicamur fuisse in Christo; part. 2, lib 1. c. 21, num. 8, 9.
Cum Christo unimur arcanâ spiritus ejus virtute, parte 2, lib. 1, c. 12, n 4,
Christus & peccator unam & eandem personam non constituunt, part: 2, l. 1. c. 11, num. 4, 5.
Christo, ut causæ efficienti tribuuntur sapientia, sanctificatio, redemptio nostra, parte 2, lib. 1, c. 19, num. 18,
Christus quomodo justificationem nobis acquirat, parte 1. lib. 2, c. 17, num: 2, 3.
Christus justitiæ suæ vim in nos transfundit, part; 1, lib. 2, c, 16, n 5,
Christi merita nobis communicati, quid significet, par: 1, lib. 2, c. 16, n. 6,
Christi justitia ita nobis imputatur, ut ad merum fructum redundet, part: 1, lib. 2, cap. 16, num. 5, & part. 2, lib. 1, cap. 13, num 3, 4.
Christi justitia tam activa quam passiva justificat, part. 1, lib. 2, cap. 10, num. 10, 11, 12.
Christi justitia est justificationis causa meritoria non formalis, part. 2, lib. 1, cap. 9, num. 1.
Christi mors & resurrectio sunt exemplar justificationis, pert. 2, lib. 2, c. num. 9,
Christus operâ utriusque naturæ nos justificavit, part. 1, lib. 2, cap. 17, n. 3,
Nihil à Deo per Christum consequimur, nisi per & propter ipsius obedientiam, part. 2, lib. 1, cap. 19, n. 9,

Christus omnia præstitit, quæ ipsum præstare Deus voluit, p 2, l. 1, c. 19, n. 2,
Christi obedientia est formalis justitia peccatoris, part. 2, lib. 1, c 4, n. 8, 19,
Christi obedientia spectat ad jus vitæ æternæ acquirendum, p. 2, l. 1, c. 21, n. 5
Christi obedientia à Deo justificando peccatori imputatur, parte 2, lib. 1, cap. 3, num. 9; & 4, 2; & 9, per tot:
Christus torcular calcavit solus, part: 2, lib 1, c. 11, n. 6,
Christus metaphoricè dicitur caput, part. 2, lib. 1, c. 11, num. 5, 7, 8.
Christus quo sensu caput verum dicatur; parte 2, lib. 1, c. 12, num. 8,
Christum peccati reum fuisse, Deus existimare non potuit, part. 2, lib. 1, c. 13, num: 7, 8, 9,
Christus quomodo cum peccatoribus numeratus, part: 2, lib. 1, c. 18, n. 12,
Christi mors & resurrectio non sunt exẽplar justificationis, p: 2, l: 2, c: 23, n: 9,
Conformitas cujusque cum Deo in ipsius formali justitiâ sive legis impletione posita est, part: 2, lib. 1, c. 3, num: 5; & 4, 2; & 8, 4.
Concupiscentia est fons omnium tentationum;
Naturæ nostræ Corruptio;
Propensio ad omnia vitia;
Potentia prona ad malum;
Deordinatio quædam & perversitas naturæ; part: 2, lib. 2, c. 18, num. 2,
Concupiscentia nasci non potuit, nisi remoto justitiæ originalis dono, parte 2, lib. 2, c. 18, num. 1.
Concupiscentia non est solum in carne; parte 2, lib. 2, c. 19, n. 12,
In justificatione non tollitur; parte 2, libro 2, capite 18, numero 3,
Condonatio & infusio gratiæ non sunt formæ oppositæ; p. 2, l. 2, c. 6, n. 10.
Corpus dicitur multitudo hominum, non aliorum animantium, parte 2, lib. 1, c. 11, num. 5,
Corpus esse & Personam esse idem est, parte 2, lib. 2, c. 11, n. 5,
Credere Deum, Credere Deo, aliud quam Credere in Deum; part. 2, lib. 1, c. 14, num. 5.
Credere significat fidere; præsertim cum in, εἰς, ἐπὶ, part. 2, lib. 2, c. 35, num. 24,
Credere in Christum significat fiduciam; part. 2, lib. 1, c. 14, num. 3.
Modus loquendi est totus à Spiritu sancto; part. 2, lib. 1, cap 14, num 3.
Hebræum ב in, etiam fiduciam significat, part. 2, lib. 1, c. 14, num. 4,
Credere in, voluntatis affectum designat; part. 2, lib. 1, c. 14, num: 5.

D.

Definitio primo loco ponenda; par. 1, lib. 1, c. 1, num. 1,
Definitio perfecta, quæ; part. 1, lib. 2, c. 2, num. 1,
Significat quid res sit; part. 1, lib. 2, c. 2, n. 1.
Est essentiæ notificatio; part. 1, lib. 2, c. 2, num. 1,
Est demonstrationis fundamentum; parte 2, lib. 2, c. 33, num. 5.
Integra definitio totam definiti naturam complectitur, p. 2, lib. 2, c 33, n. 7,
In definitione esse & definitum, & id per quod definitur, part. 2, l. 2, c. 33, n. 4.

Definitio & Definitum quomodo differant; parte 2, lib. 2, cap. 33. n. 4.
Delere peccatum quid; part. 2, lib. 2, cap. 32, num. 28.
Deus reconciliationis causa efficiens principalis, parte 1, lib. 1, c. 3, n. 2.
Ex Deo ut causâ pendent omnia, part. 1, lib. 1. c. 3, num. 2.
Deus an alio modo reconciliare nos potuerit, part. 1, lib. 1, c. 4. num. 4.
Potuisse sentiunt Augustinus, Scholastici, & alij Theologi, part. 1, lib. 1, cap. 4, num. 5, 6.
Deus in scripturis non dicitur reconciliari nobis, sed nos Deo, part. 1, lib. 1, c. 7, n. 4.
Deus quibus reconciliatur, non fuit iratus, part. 1, lib. 1. c. 2. num. 9.
Quo sensu dicatur Irasci, Odisse, part. 1, lib. 1, c. 2, num. 10, 11.
Deus esse & posse simul habet, part. 1, lib. 1, c. 5, num. 4.
Deus non est obnoxius mutationi, par. 1, lib. 1, c. 7, num. 4.
Omnia Dei attributa & cum essentiâ ipsius, & inter se unum sunt, part. 2, lib. 2, c. 35, n. 10.
Omnes Dei actiones ad salutem nostram pertinentes, præter prædestinationem, sunt actiones transeuntes; part. 1, lib. 1, c. 3, num. 12.
Deus per spiritum suum sc: in nobis inhabitat; part. 2, lib. 2, c. 16, n. 1.
Deus non statuit voluntate efficaci homines justos ab omni peccato incolumes conservare; part. 2, lib. 2, c. 17, num. 15.
Diabolus hominem à Deo relictum invasit, part. 2, lib. 1, c. 21, num. 10.
Diabolus quâ justitiâ victus, part. 2. lib. 1, cap. 21, num. 10, 11, 12.
Διαλλάττω idem quod καταλλάττω, part. 1, lib. 2, cap. 1. n. 1.
Non dicitur in scripturis de reconciliatione cum Deo, part. 1, lib. 1, c. 2, num. 1.
Donare pro Condonare; part. 2, lib. 2, cap. 32.

E.

Ecclesia potest participare Christo in nomine, non in naturâ; part 2, lib. 1. c. 12, num. 6.
Electi non sufficiunt sibi ad innocentiam; part. 2, lib. 2, c. 24, num. 11.
Essentia rei cujusque ejus formâ continetur; part. 1, lib. 2, c. 2. num. 1.
Exemplari quis sit finis propositus p. 2, lib. 2, c. 12, num. 4.
Existimatio quid sit; par. 2, lib. 1, c. 18, & 19, 6.
Hominem etiam ipsum justificationis causam esse efficientem, putant Papistæ part. 2, lib. 2, c. 34, n. 2, 6.
Homo non habet se merè passivè in justificatione; c. 34, n. 2, 5.

F.

Fœdus aliud est atque aliud pro ratione conditionis ex quâ pendet; parte 2, lib. 1, c. 4, num. 4.
Fœdus de vitâ æternâ per justitiam habitualem vel actualem consequendâ inter Deum & Adamum fuisse, Scriptura non tradit; part. 2, lib. 1, c. 7, num. 1.
Fœdus de vitâ æternâ ex operibus cum

lege Mosi datâ initium habuit, parte 2, lib. 1, c. 4, n. 5,
Fœdus legale 430 annos post pactionem Evangelii factum est, part 2, lib: 1, c. 4, n 5.
Per novum fœdus intellige gratuitam remissionem peccatorum, part. 1, lib. 2, c. 3, num. 2.
Fides quid: parte 1, l. 2, c. 12, n. 1, 7, 8.
Non solum assensus, sed etiã fiducia;
Fides est, quâ creditur vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, p: 1, lib. 2, c. 35, num. 3.
Fides ut assensum significat, ad omnes verbi Dei partes pertinet, par: 1, lib: 2, c. 12, num. 10,
Fides quo sensu dicatur historica; p. 1, lib 2, c. 12, num. 10.
Fides divinâ veritate nititur, part. 2, l. 2, c. 24, n. 3,
Nomen fidei & assensui & fiduciæ tribuitur, part. 2, lib 2, c. 35, num. 7.
Fides causa instrumentalis reconciliationis; p. 1, lib. 1, c. 1, n. 3,
Fides in utraque animi facultate sedem habet, part 1, lib. 2, c. 12, num. 6,
Fides in intellectu solius veritatis rationem habet, part. 1, lib. 2, c. 12, n. 7,
Fides in voluntate bonum sive commodum aliquod respicit, ibid.
Fides quatenus est in intellectu quid; ibidem.
Ad fidem quomodo spectet cognitio; ibidem.
Fides verbo Dei nititur, p. 1, l. 2, c. 15, n. 3,
Fides in voluntate naturâ semper, interdum tempore, posterior est fide in intellectu, part. 1, l. 2, c. 15, n. 6,
Illa sine hac consistere non potest; ibid.
Hæc sine illâ ad justificationem valere non potest; ibidem.
Fide in intellectu fit, ut Dei promissioni de reconciliatione per Christum fidem habeamus; p. 1, l. 2, c. 15, n. 8.
Fide in voluntate fit, ut Christo secundum Dei promissionem nitamur ad reconciliationis beneficium consequendum, ibid.
Fidei in voluntate objectum est promissio Dei, p. 1, lib. 2, c. 12, n. 11.
Fides quum sit fiducia quomodo in intellectu; part: 1, lib 2, c. 13, n. 1.
Fides quatenus significat fiduciam actus; par. 1 l. 2, c. 12, n. 9 & c. 13, n 5,
Fides in Christum crucifixum in lege non præcipitur, p. 2, l. 1, c. 6, n 2.
Fides in Christum crucifixum est justitia quædam, quum sit obedientia Evangelio; part. 2, lib. 1, c. 6. n. 2,
Fidem esse fiduciam probatur è scripturis, part 1, lib. 2, c. 14. per tot. & p. 2, lib. 2, c. 35, n. 7, 8, 9, &c.
Fides est fiducia de futuro bono, non de præterito, par. 1, lib. 2, c. 14, n 2, ...
Non est fiducia de peccatis remissis, p. 1, lib 2, c. 15, n 1, 2.
Nec persuasio de Christo pro nobis mortuo; part. 1, l. 2, c. 15, n. 3, 4, 5, 6,
Fides in justificatione significat actum secundum, p. 1, l. 2, c 12, n. 2, 3, 4, 5.
Fides justificationis causa efficiens, scil. instrumentalis, part. 1, l. 2, c. 11, n 1, 2,
Actus fidei non habitus justificat, part. 2, lib. 2, c. 34, n 5, & c. 35, n 7.
Fide justificari non est fidei beneficio de justificatione certiorem fieri, par. 1, lib. 2, c. 15, n. 1.
Fides naturâ antecedit justificationem, parte 1. lib 2, c. 15, n. 2.
Fides rectâ nos ad Christum ducit, ut per eum justificemur, part. 1, lib. 2. c. 19, n. 9.

Fi-

Fides non aliâ ratione justificat, nisi quia in communicationem justitiæ Christi nos inducit, parte 1, lib. 2. c, 18, n. 4, 5; & p. 2, l. 2, c. 34, n. 6.

Ideo Fides justificat, quia Deo placet, credenti in Christum omnia peccata condonare; parte 1, lib. 2, c. 18, n. 6,

Fide solâ justificari quid; parte 1, lib. 2, c. 18, num. 7, 10,

Sola fides justitiam Christi merito partam accipit, parte 1, l. 2, c. 18, n. 10,

Fides vasi confertur, p. 1, l. 2, c. 18, n. 6.

Fides causa instrumentalis justificat, ut conditio; parte 1, lib. 2, c. 18, num. 1.

Nec habitus, nec actus fidei ullâ suâ præstantiâ justificat; p 1, l 2, c. 14, n. 12

Fides non justificat ut virtus, parte 2, lib. 2, c. 35, n 7,

Fides non est formalis causa justificationis; parte 2, lib. 1, c. 14, num. 12;

Fides à Deo ad justitiam imputatur, p. 1, lib. 2, c. 16, num. 10;

Fidem ad justitiam imputari quid; p. 2, lib. 1, c 9, n. 4,

Fides reputata à Deo ad justitiam est ipsa fides, sive τὸ πιστεύειν, part. 2, l. 1, c. 14, n. 5, 6, 7, 8, 9, 10; & c 15, n. 1.

Fidei voce Rom. 4, 3, 5, quid significare voluerit Apostol. p. 2, l 1, c. 15 per tot.

Nullus in voce Fidei Rom 4, 3, 5, tropus latet; p. 2, l. 1, c. 15, n. 3, 4, 5,

Quomodo factum sit, ut Fides ad justitiam imputata tropicè exposita sit; p 2, l. 1, c. 14, n. 6, 12.

Fides justificat per modum præparationis & dispositionis; p. 2, l 2, c. 35, n. 3,

Fide & operibus justificamur; p. 2, l. 2, c 37, n. 1, 2,

Qui Fidem dicunt esse Fiduciam, non errant; parte 2, lib. 2, cap. 35, n. 6.

Et Fiducia & assensus ad justificationem requiruntur, p. 2, l. 2, c. 35, n. 7, 8.

Fiduciæ causa quomodo sit Fides, p. 2, l. 2, c. 35, n. 13,

Fiducia quomodo pendeat ex scientiâ; p, 2, l. 2, c. 35, n. 8.

Fiducia sitne spes roborata; par. 2, l. 2, c. 35, n. 9, 10.

Fiducia & spes ad Deum relata, quomodo differant? p. 2, l. 2, c. 35, n. 10.

Fides pro doctrinâ Fidei, par. 2, l. 2, c. 35, num. 20,

Ex Fide verum esse quid sit; par. 1, l. 2, c. 15, n. 4,

Fides quomodo operetur; p. 1, l. 1, c. 5, n. 4

A patre tanquam, principio operandi, virtutem accipit; p. 1, l. 1, c. 5, n. 4,

Quia non est Filius à se, non potest à se; p. 1, l. 1, c, 5, n 4, 5,

Ipsa est potentia in Filio, quæ substantia; part. 1, l. 1, c. 5, n. 4,

Filius habet subautoritatem agendi; p. 1, l. 1, c. 5, n. 4, 6.

Finis e formâ oritur; p. 1, l. 1, c. 1, n. 3,

Finis rei duplex est; ex naturâ rei ipsius, ex ordinatione agentis; p. 2, l. 1, c. 19, n. 10; & c. 5, n. 8.

Justificatio unà peccatorum veniâ comprehenditur, p. 1, lib 2, c. 16, n. 1,

Justificationis forma solâ peccatorum remissione continetur, p. 2, l. 1, c. 12, n. 3,

Justificationis forma etiam obedientiæ sive justitiæ Christi imputatione continetur; n. 3, & c. 3, n. 1.

Alia justitia præter remissionem peccatorum requiritur ut formale in justificatione; num. 3,

Duas de partes formæ justificationis di-

dicunt Bellarminus & Suarez; p. 2, lib 2, c. 6, n. 11,
Justificationis causam formalem unicam & simplicem esse Calvinus asserit, n. 12, & part. 1, 2, 4.
Justificationis forma constat duabus mutationibus; part. 2, l. 2, c. 6, n. 9,
Tota justificatio remissione peccatorũ describitur à Spiritu S. p. 1, l. 2, c. 7, n. 1.
Omnis justificatio in remissione peccatorum posita est; p. 1, l. 2, c. 8, n. 13.
Causam justificationis formalem duplicem fieri à Concilio, negat Bellarminus; c. 6, n. 3,
Duplicem fieri rectè dixit Calvinus; c. 6, n. 4, 5, 6,.
Quanam accipitur homo in eo momento in quo justificatur, quæ tamen ad Justificationem constituendam non pertinent, c. 9, n. 5, & c. 13, n. 6,
Justificationem effectum positivum bonum & intrinsecum, c. 11, n. 1.
Justitia quâ justificamur habitualis est |Fiducia Pontific: c 8, n. 5, 6,
Justitia inhærens est causa formalis justificationis; c. 9, n. 2,
Nulla pars justitiæ quâ justificamur, in habitu sive qualitate sita est, ibidem,
Nullus justus est quocunque modo coram Deo, nisi per justitiam habitualem; c. 8, n. 5,
Justitia quâ justificatur homo, est inhærens & habitualis; c. 4, n. 1.
Qui legem implevisse reputatur, per eam impletam formaliter justus esse intelligitur; num. 10, 12.
Justum esse formaliter, quid; c. 12, n 1,
Justitia formalis quibus in rebus consistat; c. 16, n. 4, & c. 19, n. 4,

G.

Gnavar quid significet; p. 2, l, 2, c. 32, c. 12
Gratia significat donum in omnia inhærens; p. 2, l. 2, c. 5, & c. 8, n. 3,
Etiam favorem sive amorem; p. 2, l. 2, 1, n. 4, & c. 21, n. 5, 6, 7, 8, 9, 10,
Gratia Pontificiis in justificatione idem quod justitia; p. 2, l. 2, c. 8, n. 3,
Gratia habitualis est principium justè operandi; p. 2, l. 2, c. 18, n. 2.
Sanitas voluntatis; p. 2, l 2, c. 18, n. 2, & 27, n. 10;
Tota rectitudo ordinis; p 2, l. 2. c 18, n. 2.
Rectitudo totius hominis; ibidem.
In voluntate est originaliter, in aliis partibus quasi rectificatis, tanquam in subjecto; ibidem.
Includit omnia accidentia ad constituendum hominem justum; p. 2, l. 2, c. 16, num. 1.
Gratia habitualis Adamo concessa motus rationem prævenientes excitari non sinebat; p. 2, l. 2, c. 18, n, 1.
Habitualis gratiæ effectus est ordinatio ad gratiam; p. 2, l. 2, c. 9, n. 6.
Donorum gratiæ infusionem recipit homo eo momento quo justificatur; p. 2, l. 2, c. 9, n. 4.
Sine gratiâ habituali justificari nemo potest; p. 2, l. 2, c. 9, n. 6, & c. 10, n. 7,
Gratia per quam nos justificari dicit Apostolus, est caritas; p. 2, l, 2, c. 21, n 16
Gratia infusa non naturâ suæ, sed Dei acceptatione hominem gratum facit Deo; par. 2, l. 2, c. 10, n. 4, & c. 19, n 9.
Est veluti signum deputatum à Deo ad cognoscendum suos; p. 2, l. 2, c 10, n. 4

Gratiæ obicem ponere quid ſit; p. 2, l. 2, c. 27, n. 8.
Prior gratiæ ſequentis quodam modo cauſa eſt; p. 2, l. 2, c. 15, n. 9.
Privatio gratiæ duplex; parte 2, lib. 2, c. 27, n. 6, 7, 8, 9, 10.
Gratiâ imbutus illâ nunquam privatur per quodcunque peccatum; p. 2, l. 2, c. 27, n 5.
Nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, juſtificationis gratiam meretur; parte 2, l. 2, c. 20, n. 3,
Vitam gratiæ ex legis obſervatione acquiri, nemo exiſtimat; p. 2, l. 2, c. 14, n. 2
Gratum eſſe Deo quid ſit; part. 2, lib. 2, c. 10, n. 6.
Eſt poſitivus effectus gratiæ; par. 2, l. 2, c. 20, n. 2.

H.

Habitus juſtitiæ & habitus peccati non ſunt contraria; part. 2, lib. 2, c. 27. n. 15, & 30, n. 2, 3.
Quaſi habitus quid ſit, intelligi non poteſt; parte 2, lib. 2, c. 27, n. 13.
Habitualis gratia ſive juſtitia quid ſit; parte 2, lib. 2, c. 8, n. 6.
Hæreditatem obtinemus propter Chriſti meritum, non propter legem à nobis quoquo modo præſtitam; par. 2, lib. 1, c. 7, n. 3.
Quibus rebus opus ſit ad regni cœleſtis hæreditatem adipiſcendam; parte 2, libro 1, c. 7, n. 3.
Heſed quid ſignificet, p. 2, l. 2, c. 32, n. 13.

I. J.

Ignotum probare per magis aut æquè ignotum, eſt, principium petere, p. 2, lib. 2, c. 10, n: 3.
Imputatio juſtitiæ apud Lutherum ad Galatas nihil aliud, niſi non imputatio peccati; part. 1, lib, 2. c. 5. n. 2.
Inſtrumentalis cauſa quomodo efficiens, part. 1, lib. 1. c. 6, n. 1.
Intellectus Dei â voluntate ſequutus, nullius rei cauſa eſt, p. 2, l. 1, c. 18, n. 9,
Intellectus actus eſt duplex, Inquiſicatio & Aſſenſio; p. 1, lib. 2, c. 9, n. 7.
Intellectus eſt fons, è quo omnes actus voluntatis oriuntur, p. 1, l. 2, c. 13, n. 1.
Imputationis voce in juſtificatione utuntur Pontificij; p. 1, l. 2, c. 16, n. 2.
Imputare juſtitiam nihil aliud eſt quã non imputare peccata; p. 2, l. 1, c. 2, n. 5; & p, 2, l. 2, c. 32, n. 19, & c. 33, n. 8, & p. 1, l. 2, c. 8, n. 1.
Juſtitia ſignificat fidem ſive fidelitatem parte 2, l. 1, c. 2, n. 3.
Etiam vindictam ex odio peccati; p. 2, l. 1, c. 2, n. 3.
Juſtitia Dei Rom, 3, 21, eſt remiſſio peccatorum; p. 1, l. 2, c. 8, n. 1,
Juſtitia hominis eſt Dei indulgentia; ibid:
Juſtitia ex fide nihil habet commercij cum operibus; p. 2, l. 1, c. 2, n. 9.
Juſtitia noſtra in hac vitâ vera eſt, propter veri boni finem; p 1, l. 2, c. 8, n. 1.
Potius remiſſione peccatorum conſtat, quam infuſione virtutum: ibidem: & parte 2, lib. 2, c. 24, n. 11.
Non poteſt eſſe alia juſtitia noſtra, niſi quod peccata quæ habemus, non imputantur; ibidem.
Juſtitia Chriſti vel obedientiam ipſam ſignificat, vel ejus obedientiæ meritum; parte 1, lib. 2, c. 16, n. 3.
Juſtitia Chriſti nobis à Deo ad juſtificationem communicatur, ſive imputa-

tur; parte 1, lib. 2, cap. 16, num. 2.
Justitia est rectitudo ordinis; parte 1, lib. 2, c. 16, n. 3.
Justitia est conformitas cum lege; ibid:
Justitia legalis & Evangelica non differunt materiâ aut formâ; ibid.
Justitia nostra formalis ex solâ Dei ordinatione jus nobis ad vitam æternam tribuit; parte 2, lib. 1, c. 2, n. 6; & c. 4, num. 5.
Justitia habitualis non potest esse ratio quare nos Deus justos pronunciet; parte 2, lib. 2, c. 19, num 10.
Justitiam non maculat nec immundam reddit concupiscentia; parte 2, lib. 2, c. 19, n. 11, 12.
Justitia perfecta quæ; p. 2, l. 2, c. 23, n. 3.
Justitia habitualis non est propriè, sed metaphoricè justitia; parte 2, lib. 2, c. 27, n. 16.
Justitia quâ justificamur, plenè definitur per remissionem peccatorum; parte 2, lib. 2, c. 33, n. 2, 3.
Deus paulatim facit justos; parte 2, l. 2, c. 36, n. 5.
Justitia unde justificatio dicitur, est aliquid internum; parte 2, l. 2, c 14, n. 1.
Justitia in lege imperata non est justitia unde justificatio dicitur; parte 2, l. 2, c. 14, n. 4.
Justitia nostra perfecta qualis sit exeffectis demonstratur; p. 2, lib. 2. c. 16, n. 2.
Justitia nostra habitualis est essentialiter integra & vera justitia; par. 2, l. 2, c. 19, num. 2.
Justitiæ habituali quare non confidant Protestantes; p. 2, l. 2, c. 19, n. 6, 7, 8.
Sine justitiâ justum censeri proinde est ac sine sapientiâ sapientem; parte 1, libro 2, capite 2, numero 2.
Justitia in justificatione sitne interior, an externa; parte 1, lib. 2, c. 2, n. 5, 6.
Tota nostra justitia coram Deo unicâ peccatorum remissione constat; p. 1, l. 2, c. 4, n. 7.
Justitia apud Paulum nihil est quàm remissio peccatorum; p. 1, l, 2, c. 4, n. 2.
Justitia quæ ad justificationem flagitatatur, an posita sit in imputatione justitiæ Christi, secundum Calvin: parte 1, l. 2, c. 4, n. 6, 7, 8.
Paulus totam justitiam in gratuitâ remissione includit; p. 1, l. 2, c. 4, n. 1, 2.
Justitiæ imputationem & remissionem peccatorum exegeticè conjunxit Calvinus; numero 5.
Justitia Christi dicitur, quia sacrificio obedientiæ & mortis Chr: parta est, n. 8
Justificatio pars reconciliationis; parte 1, libro 1, cap. 9, num. 2.
Justificationis definitio; parte 1, lib. 2, c. 1, n. 1; & p. 2, l. 2, c. 1, n. 1; & c. 6, n. 3.
Justificare duo significat; p. 1, l. 2, c. 1, n. 2.
De justificatione quâ justi fiamus; disputatur n. 4.
Justificationis definitio confirmatur; c. 2, n. 1, 2.
Justificationis forma est justitia; ibid.
Justificatio vox pass. Latina; n. 3.
Solis Christianis propria; ibid.
Ad vulg: linguas â Latinâ deducta; ib:
A Belgis & Piscatore repudiata; ibid:
Voces Hebr: & Græc. frequentiss: significant sententiā ferre; p. 1, l. 2, c. 2, n. 4.
Hebr. voces absolutionem significant, Græcæ condemnationem; n. eodem.
Justificatio fit per mutationem; n. 5.
Est remissio peccatorum; n. 8.
Justificationis causa formalis est remissio peccatorum; c. 3, n. 1, 2.

Justificare est ignoscere; n. 3.
Justificationem in remiss: peccatorum collocat Apostolus Rom. 4; c. 4, n. 1.
Justificationis causæ meritoria imputationis justitiæ vocibus significatur à Calvino; n. 9.
Justificationem quo sensu à remissionem peccatorum distinguet Melanthon; c. 5, n. 4, 5.
Justificatio est ablutio & sanctificatio; parte 2, lib 2, c. 22, num. 1, 2.
Justificatio est regeneratio & renovatio; n. 7.
Quid quæratur in justificatione hominis, quum justus esse pronuntiandus sit; c. 19, n. 10.
De quâ justificatione patres loquantur, c. 24, n. 10, 11, 12, 13.
Aliquos justificatos scriptura absolutè justos vocat; c. 23, n. 2.
In justificatione multa peccata tollenda sunt; c. 27, n. 6.
Quod in justificatione tollitur, est peccatum propriè; n. 16.
Justificatio definitur integrè, sed implicitè; Rom. 4, 6, 7, 8; c. 33, n. 7.
Hominem etiam ipsum justificationis causam esse efficientem, putant Papistæ; part. 2, lib 2, c. 34, n. 2, 6.
Homo non habet se merè passivè in justificatione; c. 34, n. 2, 5.
Quæ fuerit fides Eccles: Rom: de justificatione ante Concilium Tridentinum; c. 37, n. 2, 10.
Justificatio peccatoris consistit ex ipsius formali justitiâ, sive obedientiâ legis; parte 2, libro 1, c. 3, num. 4; & c. 5, num. 2.
Justificationem per opera lex non stabilit; c. 4, num. 9.
Ad justificationem impij imputanda est justitia; cap. 16, num. 1.
In justificatione Patres etiam sanctificationem includunt; p 2, l. 1, c. 21, n. 3.
Justificatio non complectitur totam translationem in Dei gratiam; p. 2, lib. 2, c. 1, num. 4.
Justificatio secundum Pontificios sine baptismo fieri non potest; n. eod.
Justificatio & sanctificatio perpetuò cohærent; c. 11, n. 3.
Justificatio impij mutatione perficitur; cap. 14, n. 4.
Est motus de peccato ad justitiam; c. 15, num. 1.
Nomen capit à termino ad qu: n. eod.
Justificari est gratum esse Deo; c. 20. n. 2.
Ad justificationem mutatio postulari potest aliquid duobus modis; n. 7.
Justificationem in hac vitâ consequimur; c. 11, n. 9.
Justificatio non est exemplar resurrectionis Christi; c. 12, n. 2.
Quem Deus justificat, nemo reum facere potest, nedum peragere; c. 19, n. 7; & c. 20, n. 5.
Justitia Christi significat ipsas Christi actiones & passiones, in quibus obedientia ipsius sita est; parte 2, lib. 1, c. 3, num. 1, 2, 3.
Justitia cujusque formalis in ipsius legis impletione posita est; parte 2, libro 1. cap. 3, num. 4; & c. 5, num. 2.
Tota justificatio remissione peccatorũ describitur à Spiritu S. p. 1, l. 2, c. 7, n. 1.
Justificatio est beatitudo Rom. 4, 6, 7, 8. parte 1, lib. 2, c. 7, n. 3.
Abraham justificatus est fide ad justitiã imputatã; parte 1, lib. 2, c. 7, n. 3.
Justificari significat absolvi; numero 6.

Omnis justificatio in remissione peccatorum posita est; p. 1, l. 2, c. 8, n. 13.

Ad justificationem tria concurrere oportet; I. ex Dei parte misericordiã; II. ex Christi parte pretium redemptionis cum lege plenè præstitâ; III. Ex nostrâ parte vivam fidem in Christi merito; parte 1, l. 2, c. 9, n. 1.

Justificationis causa efficiens principalis Deus; parte 1, l. 2, c. 3, n. 2,

Causa minus principalis, scil: meritoria, Christus; ibidem.

Justificatio est per redemptionem pretio persoluto; n. 4.

Justificatio unâ peccatorum veniâ comprehenditur; parte 1, l. 2, c. 16, n. 1.

Justificatio ex fide pendet; part. 1, l. 2, c. 15, n. 2.

De justificatione singulorum nullum est verbum Dei; n. 3.

A justificandi officio excluduntur, timor, spes, dilectio, pœnitentia, aliæq; virtutes; parte 1, lib. 2, c. 18, n. 7.

Tota hominis justificandi ratio ex Dei voluntate & ordinatione pendet; n. 8,

Justificationis materia sive subjectum est homo; parte 1, lib, 2, c. 19, n. 1.

Justificationis fines qui; n. 2.

In justificatione, sapientia, potentia, justitia & misericordia Dei elucet; n. 2.

Ex justificatione hominis pendet ipsius salus; num. 4.

Justificationis forma solâ peccatorum remiss: continetur; p. 2, l. 1, c. 1, n. 3.

Justificationis forma etiam obedientiæ sive justitiæ Christi imputatione continetur; n. 3, & c. 3, n. 1.

Alia justitia præter remissionem peccatorum requiritur, ut formale in justificatione; n. 3.

Duas esse partes formæ justificationis, dicunt Bellarminus & Suarez; parte 2, libro 2, c. 6, n. 11.

Justificationis causam formalem unicam & simplicem esse Calvinus asserit; n. 12; & p. 1, lib. 2, c. 4.

Justificatio & sanctificatio diversa sunt beneficia; part. 2, lib. 2, c. 7, n. 7, 8.

Justificatio Pontif: idem, quod sanctificatio; p. 2, l. 2, c. 4, n. 2; & c. 5, n. 3. & c. 6, n. 3, 5; & c. 7, n. 9.

Justificationis forma constat duabus mutationibus; part, 2, lib. 2, c. 6, n. 9.

Causam justificationis formalem duplicem fieri à Concilio, negat Bellarminus; capite 6, n. 3.

Duplicem fieri rectè dixit Calvinus; capite 6, n. 4, 5, 6.

Quæ justificatio à Concilio Tridentino definiatur; parte 2, lib. 2, c. 1, n. 4.

Justificationis distributio, secundum Pontif. n. 2, 3.

Justificationem quæ fit per scientiam pœnitentiæ patres interdum vocant secundam justificationem; n. 3.

Justificationis genus est translatio; c. 3, numero 1.

Justificatio est motus moralis non physicus; cap. 3, n. 4, 5; & c. 4, n. 2.

Quomodo justificatio sit motus physicus secundum Pontificios, explicatur; cap. 4, num. 1.

Qui sint termini motus justificationis; numero 3.

Terminus ad quem in justificatione duo membra complectitur; ibidem.

Justificationis vox à Concilio Trident: & pro ipsâ gratiæ infusione, & pro totâ mutatione supernaturale sumitur; capite 6, num: 1.

Justificatio definitur à Concilio cap. 4, quare generalis dicatur; n 2.
Justificatio definitur à Concilio cap. 7, quatenus à præparationibus distinguitur; n. 8.
Propria justificatio quid sit apud Suarem; cap. 9, num. 4.
Quadam accipitur homo in eo momento, in quo justificatur, quâ tamen ad justificationem constituendam non pertinent; c. 9, n. 5; & c. 13, num. 6.
Justificatione dicit effectum positivum bonum & intrinsecum; c. 11, n. 1.
Justificare in justificatione apud Deum, idem est quod justum facere; parte 2, lib. 2, cap. 10, num. 1.
Justitia quâ justificamur habitualis, est fiducia Pontificiis; c. 8, n. 5, 6.
Est rectitudo in ordine ad Deum; n. 5, 6
Est perfecta justitia; n. 5, 8, 9.
Justitia habitualis justificans quo sensu Dei nostra dicatur; n. 10.
Justitia inhærens est causa formalis justificans; c. 9, n. 2.
Nulla pars justitiæ quâ justificamur, in habitu sive qualitate sita est; n. 2.
Justum esse Pontif: quid; c. 7; n. 5.
Justus peccatorum veniâ divinâ quâdam justitiâ justus esse intelligitur; n. 6.
Nullus justus est quocunque modo coram Deo, nisi per justitiam habitualem; c. 8, n. 5.
Justitia quâ justificatur homo est inhærens & habitualis; c. 4, n. 1.
Injustitia hominum singulorum sunt ipsorum peccata habitualia & actualia; parte 2, l. 1, c. 3, num. 7.
Qui legem implevisse reputatur, per eam impletam formaliter justus esse intelligitur; n. 10, 12.
Formaliter per legis impletionem justo vita æterna debetur ex fœdere Hoc fac & vives; n. 10, 13; & 13, 1.
Justitia in justificatione justum facit per modum mutationis alicujus; c. 4, num. 17.
Justitia cujus lex norma est, non est via perveniendi ad cœlum sine merito; n. 18.
Sine justitiâ justificari non possunt peccatores; n. 19; & c. 16, n. 1.
Omnis injustitia non pendet ex lege Decalogi non præstitâ: nec justitia omnis ex illâ præstitâ; c. 6, n. 1.
Justitiâ habituali opus est nobis, ut aditus nobis ad cœlum pateat; c. 7, n. 3.
Justum esse formaliter, quid; c. 12, n. 1.
Justitia formalis quibus in rebus consistat; c. 16, n. 4; & c. 19, n. 4.
Justitia Dei multa significat in scripturis; c. 20, n. 3.
Justitia Dei dicitur, quâ ipse justus est; parte 2, l. 1, c. 20, n. 3.
Quam Deus præcipit; ibidem.
Ipsius Christi justitia Dei justitia dicitur; n. eodem.
Quâ homo ex injusto justus fit; n. eod.
Quid significet apud Patres; n. 6, 15, 16.
Justitia quam Patres à Deo acceptam esse dicunt, est inhærens; c. 21, n. 15, 16.
Assignata est homini aliena justitia, quum caruit suâ; n. 13.
Imputare ad justitiam idem est, quod in justitiæ loco numerare; c. 15, n. 1.
Per imputationem peccator formaliter justus esse non potest; c. 26, n. 4.
Quæ justitia illi sit imputanda; c. 16, num. 2.

Justitia imputata Rom. 4, 6, nihil aliud est quàm remissio peccatorum; n. 3.
Justitia Christi nobis imputatur; c. 21. num. 2.

L.

De Latinis vocibus non est laborandum in rebus Theologicis; part. 2, l. 2, c. 16, n. 3.
Lex Mosis non potuit sanctificare accedentes; parte 1, lib. 2, c. 7, num. 8.
Lex 430 annos post fœdus in Evangelio data est; parte 2, lib. 1, c. 4, n. 5.
Lex fœdus Evangelij inane reddere non potuit; n. eod.
Justitiæ norma est; c. 4, n. 7.
Lex suâ naturâ & per se ad justitiam, tanquam ad scopum collineat; ibidẽ
Legem stabiliri quid sit; n. 8.
Lex solum ex Dei ordinatione ad justificationem tendit; num. 10.
Quomodo pædagogus ad Christum; numero eod:
Est norma illius justitiæ, quæ de jure ad vitam æternam ducit; n. 11.
Lex non est norma illius justitiæ, per quam de facto justificamur; p. 2, l. 1, c. 4, n. 14, 15; & c. 8, n. 1, 2, 3.
Legis justitia peccatori convenire non potest; c 4, n 16.
Lex hominem justũ esse supponit; n 17.
Lex impletur à nobis in personâ nostrâ, in personâ Christi; n. 20, 21, 22.
Lex à nobis in Christi personâ præstari non potuit ad justificationem; n. 22.
Lex est norma operum, quæ à nobis in Christi persona præstita esse dicantur; num. 23.
Legi cum Christo mediatore nihil esse potest commercij; capite 6, num. 2.
Quod vitam æternam consequuturus sit, qui legem præstitit, à Dei voluntate proficiscitur; n. 3.
Legis pactum quod; c. 13, n. 2.
Legis justitia quomodo in nobis impleatur; c. 19, n. 23, 3.
Legis justitia quid significet; n. 4.
Legem in nobis impleri, quid; n. 3.
Lex à justificatione quomodo præstari intelligatur; numero 7.
Justitia Legis impletur, quum secundum carnem non ambulatur, sed secundum spiritum; numero 8.
Lex quomodo ad Christum tendat; n. 13, 14.
Impletio legis à primitiis facta, toti massæ adscribitur; c 21, n. 2.
Ex lege acquiri est ex legis observatione vel operibus acquiri: c 14, n. 2.
Qui legem præstiterit vitâ, gratiæ opus non habet per Christum, ad vitam æternam adipiscendam; numero eod.
Legem præstantibus vita æterna debetur, tanquam merces illius præstitæ; numero 2, 3.
Lex omnes deprehendit peccatores; n. 3
Lex à transgressionibus liberare nos non potuit; num. eod.
Nemo unquam aliquid operatur, quod cum lege absolutè consentiat; p. 2, l. 2, c. 16, n. 3.
Liberi arbitrij motus requiritur ad justificationem impij; part. 2, l. 2, c. 34 num. 2, 6
Legem servantibus vitam æternam impertietur; parte 2, libro 1, capite 8, num. 2.

M.

Macula, Privatio justitiæ & Aversio unum ac idem sunt; p. 2, l. 2, c. 25, n. 6.
A maculâ propriè & formaliter peccatores nominamur; n. eod & c. 26, n 1.
De maculâ nihil certi est apud Pontificios; c. 26, n. 1.
De maculâ nihil tradidit C. Trid. n eod.
A cognitione maculæ pendet vera intelligentia status peccati, à quo per justificationem liberamur; n. eod.
Macula quid sit; n. 2, 3, 4, 5; & c. 27; n. 21.
In maculâ est aliquid morale, aliquid naturale; c. 26, n 5.
Habitus vox maculæ naturam non exprimit; c. 27; n. 15.
Macula munditiæ & puritati opponitur; n 21.
Machah quid significet; c. 32, n. 5.
Machal quid significet; n. 11.
Materia reconciliationis homo peccator; parte 1, l. 1, c. 4, n. 1.
Medij loco adferendum non est quod non minorem habet dubitationem, quam ipsa quæstio; p. 2, l. 2, c. 10, n. 5.
Meriti voce vel dignitas omnis ad merendum vel ipsum meritum actu significatur; parte 1, l. 2, c. 16, n. 4.
Dignitas ad merendum adjuncti rationem obtinet; n. 5.
Meritum actu effecti naturam habet; n. eod.
Meritum actu fructus dicitur; n. eod.
De merito actu in justificatione disputatur; numero eod.
Propter merita Christi in lege præstandâ & morte oppetendâ justificamur & adoptamur; p. 2, l. 1, c. 13, n. 2.
Meritum obedientiæ Christi est illa justitia, quam dono accipimus, Rom. 15 17; p. 2, l. 1, c. 17, n. 3.
Meritum obedientiæ non potest esse nostra formalis justitia; c. 19, n. 3.
Meritoria causa quare in efficientibus numeretur; p. 1, l. 1, c. 4, n. 1.
In mixtione aut utraque substantia abolетur, aut alia in aliam convertitur; parte 2, lib. 1, c. 12, n. 3.
Motus physicus, moralis; parte 2, l. 2, c. 3, n. 3, 4.
In omni motu requiruntur duo, Motio moventis & motus mobilis; n. 2.
Mutatio in reconciliatione nostrâ, quæ p. 1, l. 1, c. 7, n. 4.

N.

Nasa quid significet; p. 2, l. 32, c. 2, n. 10.

O.

Omni attribui quid sit; p, 2, l. 1, c. 20, n. 4.
Omnia opera ad extra à singulis fiunt personis immediatè quare; p. 1, l. 1, c. 5, n. 7.
Quomodo fiant à singulis; n. eod.
Opera habent ex Dei beneficêtiâ, quod & justitiæ titulo, & mercede digna habeantur; p. 2, l. 1, c. 4, n. 5; & c. 7, n. 2.
Bonis operibus opus habemus ad regni cœlestis hæreditatem consequendam; c. 7, n. 3.
Opera bona sanctorum imperfecta sunt; p. 2, l. 2, c. 16, n. 3.
In quibus operibus Jobus non peccavit; c. 17, n. 1.
Opera hominis fide justificati justa esse censeri possunt; p. 2, l. 1, c. 19, n. 7.
Opposita se mutuò tollũt; p. 2, l. 2, c. 13. n. 3

P.

Pactum nullum est de vitâ Christi gratiæ illi largiendâ, qui Christo legem præstiterit; p. 2, l. 2, c. 14, n. 2.
Paresis significat potius dilationem quã remissionem; parte 2, l. 1, c. 2, n. 4.
Partes aliæ ab aliis discrepant; p. 1, l. 2, c. 7, n. 7.
Pater principium origine, non prioritate; parte 1, l. 1, c. 5, n. 4.
Quomodo major filio; n. 5, 6.
Patres nullam imputationem peccatorum Christo, nisi ad eadem expianda agnoscunt; p. 2, l. 1, c. 18, n. 13.
Paulus Gal. 2, 20. de se justificato, non justificando loquitur; p. 1, l. 2, c. 15, n. 6
Pœna & venia adversa sunt; part. 2, l. 1. c. 11, n. 8.
Ad pœnarum persolutionem nullâ peccati imputatione Christo opus fuit; c. 18, n. 14.
Patrum autoritas quanta; parte 2, l. 2, c. 24, n. 4.
Patres justitiæ suæ apud Deum confidere non audebant; n. 10, 11.
Unum in quantitate facit pax vel æquale; p. 2, l. 2, c. 13, n. 3.
Peccatum & Justitia ut contraria immediata se mutuò tollunt; p. 1, l. 2, c. 8, n. 2.
Peccatum vel formaliter sumitur, vel effectivè; p. 2, l. 1, c. 18, n. 2.
Peccata nostra quomodo imputata sint Christo; c. 16, n. 4, 5, 6.
Peccata solvi, dimitti quid Hieronymo; parte 2, l. 2, c. 24, n 7.
Peccati nomine in justificatione tum originale, tum actuale significatur; capite 25, numero 1.
Peccatum quo Dei actu remittatur; c. 25, n. 4; & c. 30; & c. 31.
Quæ maneant post actum peccati præteritum; c. 25, n. 5, 6, 7, 8, 9.
Quod manet post actionem peccati, propriè dicitur peccatum; n. 6,
Peccatum propriè est actus humanus malus; c. 27, n. 16.
Propter actum peccati homo obnoxius est morti æternæ; p. 2, l. 2, c. 28, n. 3.
Peccati natura in eo tota posita est, quod sit defectus, privatio, inconformitas; c. 27, n. 17.
Peccati essentia physicè & moraliter considerata quid; c. 29, n. 1.
Quid sit quod in peccato transire dicitur, quid quod manere; n. 3, 4.
Quomodo peccatum manere dicatur; n. 4, 5, 6.
Peccatum in justificatione tollendum non manet in homine per modum formæ; c. 30, n. 4; & capp. 25, 26, 27.
Peccatum purgare quid; c 32, n. 26.
Quid illud sit à quo homo peccator denominetur; p. 2, l. 2, c. 25, n. 4, 6.
Peccator quis dicitur dupliciter; c. 24, n. 12.
Deus non potest sibi conjungere peccatorem, quin ex peccatore justum faciat; p. 1, l. 2, c, 9, n. 3.
Peccator per peccatorum remissionem fit justus; c. 8, n. 2.
Peccator in Christo & per Christum legem præstitisse reputatur; p. 2, l. 1, c. 3, n. 10, 11; & c. 11, n. 1, 2, 3, & c.
Quod peccator puniendus sit à Dei voluntate proficiscitur; c. 6, n. 3; & c. 18, n. 3.
Nullus peccator verè fuit in Christo, in

totâ ipsius obedientiâ omnibusque perpessionibus; c. 11, n. 6, 7, 8, &c.
Peccator dicitur qui aliquando peccavit; parte 2, l. 2, c. 28, n. 1.
Qui peccavit utrum ex solâ Dei voluntate, non ex naturâ actionis injustus maneat; c. 31, n. 2, 3. 4.
Personæ distinguuntur pro vario modo subsistendi; p. 1, l. 1, c. 5, n. 2.
Alio atque alio modo eandem divinitatem participant; n. eod.
Unus sunt ac idem Deus; n. eod.
Divina natura tribus personis ordine convenit; n eod.
Quis sit ille ordo, explicatur; n. eod.
Eadem est personis operandi, quæ subsistendi ratio; parte 1, l. 1, c. 5, n. 3.
Perfectum est cui nihil deest, quod ad constitutionem ipsius in illo genere postulatur; p. 2, l. 2, c. 16, n. 2.
Persona est suppositio in naturâ intellectuali; parte 2, l. 1, c. 11, n. 5.
Prædestinatio est actio Dei immanens; parte 1, l. 1, c. 3, n. 12.
Nihil ponit in prædestinato, quia est pars providentiæ; n. eod.
Ejus nec causa, nec ratio reddi potest præter voluntatem Dei; n. eod.
Executio tamen ex fide pendet; n. eod.
Prædestinationis finis Dei gloria, & hominis salus; c. 8, n. 2.
Pretium redemptionis Christus toto obedientiæ suæ cursu persolvit; parte 1, l. 2, c. 10, n. 6.
Scriptura tamen morti ejus quasi proprium adscribit; n. 7, 8, 9.
Potentia Dei absoluta ordinata; p. 2, l. 2, c. 15, n. 8.
Primitiæ quomodo totam massam sanctificent; parte 2, l. 1, c. 21, n. 4.
Principium petere quid; parte 2, l. 2, c. 10, n. 3; & c. 15, n. 7.
Præparationes ad materiam, an ad efficientem referendæ sint; c. 35, n. 2.
Problema quid sit Aristoteli; c. 14, n. 2.
Propositio propria secundum Aristotelem universalis est, quia pars consequens toti antecedenti attribuitur; parte 2, l. 1, c. 20, n. 4.

Q.

Quale quid naturam rei non continet, sed accidens rei adjunctum denotat; parte 2, l. 2, c. 27, n. 14.

R.

Reconciliatio quid sit; parte 1, l. 1, c. 1, n. 2, 5, 7, 8; & c. 3, n. 7, 8.
Reconciliatio quid; parte 1, l. 1, c. 2, num. 4.
Reconciliatio est actio Dei patris; c. 3, num. 3, 4, 5.
Ejus causæ meritoria, instrumentalis, finalis; c. 1, n. 3.
Forma reditu in gratiam continetur; c. 2, n. 1.
Reconciliari Deo quo sensu dicamur; c. 2, n. 13; & c. 14, n. 11.
Reconciliationis materia vel subjectum; c. 7, num. 1.
Reconciliatio est spiritualis benedictio c. 3, n 3.
Est non imputatio peccati; c. 3, n. 7.
Est actio transiens non immanens; c. 3, num. 11.

Significat mutationem physicam. Pontif: nostris Theol: moralem; n. eod.
Pontificiis idem est cum justificatione sive sanctificatione; n. eod.
Solis credentibus conceditur; n. 12.
In tempore fit, non ab æterno; n. eod.
Est beneficium, & quasi indulgentia à Deo concessa; n. 16.
Reconciliatio etiam filij actio est; c. 5, num. 1.
Humanæ Christi naturæ effectum; c. 7, num. 1.
Reconciliationis causa instrumentalis fides; num. eod.
Quare in definitione reconciliationis peccatorum potius quam inimicorum fiat mentio; num. 2.
Reconciliatio mutuam gratiæ restitutionem non flagitat; num. 3.
Finis reconciliationis quis; c. 8, n. 1.
Reconciliatio est effectus prædestinationis; num. 2.
Reconciliatio Activa, Passiva; c. 9, n. 1.
Reconciliationis partes quæ; n. 2.
Redemptio per pretium non habet opus imputatione; p. 1, l. 1, c. 18, n. 14.
Relatio ad causam privationis gratiæ est quiddam positivum rationale; p. 2, l. 2, c. 27, n. 27.
Remitto est pax composita; p. 2, l. 2, c. 32, n. 31.
Significat retrò mittere; num. eod.
Quis sit tropus quum ad peccatum referatur; num. 32.
Remissio peccatorum nihil aliud est, quam condonatio culpæ & pœnæ; p. 2, l. 1, c. 21, n. 9, & p. 2, l. 2, c. 25, n. 3.
Remittere peccata quid; p. 2, l. 2, c. 32, n. 31
Remittere peccata idem quod Non imputare peccata; p. 1, l. 2, c. 3, n. 5.
Remissio peccatorum non significat physicam eorum ablutionem; n. 34,
Remissione peccatorum condonationem significare voluit vetus interpres; n. 33.
Remiss. peccatorum quibus Dei actibus spiritus in scripturis significet; n. 2.
Remissio peccatorum idem est Apostolo cum justitia; part. 1, l. 2, c. 4, n. 1.
Rectè dicitur justitia; n. 2. etiam Dei, c. 20, n. 5.
Est justitia virtualiter; c. 8, n. 3.
Est justitia & justificatio nostra; n. 1, 2.
Remissio peccatorum justificatio propropria, c. 7, n. 3.
Est justitia imputata; n. 2, & p. 2, l. 2; c 33, n. 8.
Etiam Pontificiorum multorum judicio condonationem significat, p. 2. l. 2, c. 6, n. 7.
Est beatitudo hominis, cui Deus imputat justitiam sine operibus; p. 1, l. 2, c. 7, n. 2.
Remiss: peccatorum Apostolus interpretatur justificationem, n. 8.
Est justitia ex fide, ad quam Gentes pervenerunt, Judæi non pervenerunt, p. 2, l. 1, c. 2. n. 8.
Remissio seu venia peccatorum justum facit; p. 2, l. 2, c. 20. n. 1.
Sola remissio peccatorum non tribuit gratiam; c. 15, n. 5.
Remissis peccatis à reatu tàm pœnæ quàm culpæ immunes sumus; p. 2, l. 1, c. 21, n. 9.
Remissionem peccatorum obedientiæ Christi merito adipiscimur, c. 19, n. 13
Remiss. peccatorum accipitur, acceptatur, & approbatur à Deo pro nostrâ plenâ & perfectâ justificatione; part.

libro 2, capite 3, numero 1.
Remissio peccatorum quid sit secundum Pontificios; p. 2, l. 2, c. 25, n. 2.
Post remissionem nihil manet in justificatis, quod veram peccati rationem habeat; n. eodem.
Resipiscentium est quædam justitia, quum sit obedientia cuidam immediata divino; parte 2, lib. 1, c. 6, n. 2.
Renovatio quomodo differat à vitę novitate; p. 2, l. 1. c, 12, n. 2, 3.
Resurrectio Christi valet ad veniam peccatorum; n. 5.
Resurrectio Christi non est exemplar justificationis nostræ; n. 2, 6.

S.

Sacramentorum acceptio est quædam justitia, quoniam est obedientia mandato Christi; p. 2, l. 1, c. 5, n. 2.
Salach quid significet; p. 2, l. 2, c. 32, n. 4.
Sanctificare Hebr. 10. 2, est absolvere à peccatis; p. 1, l. 2, c. 7, n. 8.
Sanctificationem interpretatur Thomas executionem sanctitatis per bona opera; p. 2, l. 2, c. 15, n. 7.
Sanctitas non datur per justificationem; c. 23.
Scientia simplicis intelligentiæ, visionis; p. 2, l. 2, c. 29, n. 5.
Scientia visionis; p. 2, l. 1, c. 18, n. 9; & c. 19, n. 6.
Scientia visionis perpetuò existentiam præsupponit objecti; c. 18, n. 9.
Scripturarum quæ sit autoritas; p 2, l. 2, c. 24, n. 5.
Distinctio quæ non habet fundamentum in scripturis, rejicienda est; p. 2, l. 2, c. 4, n. 20.
Socinus impiè redemptionem negat; p. 1, l. 2, c. 10, n. 5.
Spiritus sanctus conciliationem de suâ cujusque salute testimonio suo confirmat; p. 1, l. 2, c. 16, n. 6.
Spiritus testimonium omnes fideles suâ quisq; mensurâ, suo tempore agnoscunt; n. eod.
Stellæ non sunt mundæ in conspectu Dei; p. 2, l. 2, c. 24, n. 11.
Suaris error à Bellar. refellitur; c. 9, n. 6.
Suppositum in naturâ intellectuali est persona; p. 2, l. 1, c. 11, n. 5.
In omni Syllogismo oportet esse aliquem terminum universalem; p. 2, l. 1, c. 20, n. 4.

T.

Theologiæ veritas è solis scripturis petenda; p. 2, l. 1, c. 6, n. 3.
Thomæ confessio Joan. 20, 28, est hominis justificati non justificandi; p 1, l. 2, c. 15, n. 7.
Traditiones non scriptæ; p. 2, l. 2, c 24, num. 2.
Translatio in favorem Dei, non est pars formæ justificationis; c. 4, n. 4.
Tropus quando ad scripturę locum aliquem interpretandum adhibendus; p. 2, l. 1. c. 14, n. 5; & c. 15, n. 3.
Tzaphan quid significet; p. 2, l. 2, c 32, n. 9.

U. V.

Unum esse cum Christo quid; p. 2, l. 1, c. 11. n. 3, 6.
Unum esse cum Christo, est unum esse corpus; num. 5.
Unum esse corpus cum Christo, est unâ esse cum illo pers; p 2, l. 1, c. 11, n. 5, 6.

Unum cum Christo corpus efficimur per similitudinem; c. 12, n. 5, 6, 7, 8.
In eâ similitudine spectanda Ordo, Perfectio; Virtus; n 5.
Unio cum Christo tollit imputationem; n. 9.
Qui unus est cum Christo, eundem habet cum Christo intellectum, eandem voluntatem; n. 3, 4.
Propter unionem nostram cum Christó, ejus merita nobis imputantur; parte 2, l. 2, c. 16, n. 8; & parte 2, l. 1, c. 10, n. 2.
Regula vitæ æternæ est impletio legis; parte 2, l. 1, c. 1, n. 1; & c. 5. n. 2, 3.
Eadem justitia est via vitæ æternæ, cum in lege, tum in Evangelio; c. 4, n. 3, 4, 5, 6.
Non est eadem justitia; n eod.
Justitia est via vitæ æternæ de jure vel de facto; n. 11.
Via vitæ æternæ vel totam viam significat, vel ejus partem; n. 13.
Vita æterna de facto nulli datur, propter opera justitiæ, quam Adamus habuit in creatione; parte 2, l. 1, c. 7, num. 3.
Vita æterna est effectus justificationis; c. 15, n 8.
Voluntas nihil operatur, nisi ex judicio practico intellectus; parte 1, l. 2, c. 13, n. 1.
Voluntas divina à nullo objecto extra ipsum in creaturâ determinatur; p. 2, l. 1, c. 6, n. 3.
Voluntas divina efficax quæ; parte 2, l. 2, c. 27, n. 7.
Voluntatis divinæ ratio objectiva; cap. 22, n 8.
Præcipua fidelium voluntas est voluntati Dei servire; capite 16, numero 1.

INDEX LOCORUM SCRIPTURÆ, IN QVO PRIMUS NUMERUS PARTEM, SECUNDUS Librum, tertius Caput, quartus Numerum Capitis significat.

GENES.

Cap. 2, 17. Part. 2, lib. 1, cap. 3, num. 7; & cap. 6, n. 1; & c. 7, n. 1.
4, 7. parte 1, l. 2, c. 5, n. 5.
5, 24. parte 2, l. 1, c 5, n. 5.
6, 8. parte 2, l. 2, c 13, n. 3.
12, 3. parte 2, l. 1, c. 5, n. 5.
15, 5. 6. parte 1, l. 2. c. 12, n. 1, 2.
18, 24. 26. p. 2, l 2, c. 32, n 10, 22, 29.
29, 16. parte 2, l. 2, c. 32, n. 5.
30, 10. parte 2, l. 2, c. 32, n. 31.
Cap. 45. 41. parte 1, l. 1, c. 2, n. 5.
50, 7. parte 2, l. 2, c. 32, n. 10.
v. 21. parte 1, l. 1, c. 2, n. 5.

EXOD.

Cap. 14, 31. parte 1, l. 2, c. 14, n. 4.
18, 2. parte 2, l. 2. c. 32, n. 31.
20, 1. parte 2, l. 1, c. 5, n. 5.
32, 32. parte 2, l. 2, c. 32, n. 10.
34, 7. parte 2, l. 2, c. 21, n. 8.
v. 9. parte 2, l. 2, c. 32, n. 24.

LEVIT.

LEVIT.

Cap. 4, 20. parte 2, l. 2, c. 32, n. 4:
18, 5. p. 2, l. 1, c. 5. n 17; & c. 11, n. 6; & l. 2, c. 14, n. 2.

NUM.

Cap. 14, 10. 11. p. 1, l. 2, c. 12, n 2; & c. 14, n. 1.
v. 18, 19, 20. p. 2, l. 2, c. 32, n. 4, 24, 10.
30, 6. 9. 13. parte 2, l. 2, c. 32, n. 26.
36, 4. parte 2, l. 2, c. 32, n. 33.

DEUTER.

Cap. 9, 24. parte 2, l. 2, c. 32, n. 8.
11. 29. parte 2, l. 2, c. 32, n. 33.
21, 8. parte 2, l. 2, c. 32, n. 8.
v. 23. parte 2, l. 1, c. n. 2; & c. 16, n. 16
25, 1. parte 1, l. 2, c. 2, n. 7.
27, 26. p: 2, l 1, c. 3, n. 6; & c. 4, n. 1; & c. 5, n. 16; & c. 8, n. 1, 2; & c. 11, n. 5; & c. 18, n. 4
29, 30. parte 2, l. 2, c. 32, n. 4.

JOSUÆ:

Cap: 1, 5. parte 1, l. 2, c. 12, n. 11
6, 17. parte 2, l. 2, c. 29, n. 2
7, 21. ibid:
24, 19. parte 2, l. 2, c. 32, n. 10, 22

I. SAMUELIS:

Cap. 3, 14. parte 2, l. 2, c. 32, n. 8.
15, 3. parte 2, l. 2, c. 32, n. 5.
v 4. parte 1, l. 2, c. 2, n. 7
25, 28. parte 2, l. 2, c. 32, n. 10, 35

II. SAM:

Cap. 12, 13. parte 2, l. 2, c. 32, n. 12
13, 29. parte 1, l. 1, c. 9, n. 3
14, 22. 24. 25. 34. 37. p: 1, l. 1, c. 9, n. 3
13, 37. parte 1, l. 1, c. 9, n. 3
v. 29. parte 1, l. 1, c. 7, n. 3
19, 39. parte 2, l. 1, c. 11, n. 7
24, 10. parte 2, l. 2, c. 32, n. 15

II. PARAL.

Cap. 6, 25. parte 2, l. 2, c. 32, n. 30 *
7, 14. ibidem.
16, 7. parte 1, l. 2, c. 14, n. 2
20, 20. p: 1, l. 2, c. 12, n. 2; & c. 14, n. 1
36, 15. parte 2, l. 2, c. 32, n. 5

I. REG:

Cap. 2, 31. parte 2, l. 2, c. 32, n. 13 *
8, 30. parte 2, l. 2, c. 32, n. 4
v. 32. parte 1, l. 2, c. 2, n. 7
21, 21. 22. 29. parte 1, l. 1, c. 8, n. 1

II. REG:

Cap. 5, 18; & 24, 4. parte 2, l. 2, c. 32, n. 4

NEHEM:

Cap. 4, 5. parte 2, l. 2, c. 32, n. 28
v. 8. parte 2, l. 2, c. 31, n: 7
13, 14. parte 2, l. 2, c. 32, n. 11

JOB

Cap. 8, 13. 14. parte 2, l. 2, c. 32, n. 9
14, 16. parte 2, l. 2, c. 32, n. 30

PSALM:

Psal. 2, 12. parte 1, l. 2, c. 14, n. 2
5, 6. parte 1, l. 1, c. 2, n. 10
11, 5. parte 1, l. 1, c. 3, n. 10
30, 8. parte 2, l. 2, c. 32, n. 14
25, 12. parte 2, l. 2, c. 32, n. 30
v. 16. parte 2, l. 2, c. 32, n. 15
17. parte 2, l. 2, c. 32, n. 10
31, 2. parte 2, l. 1, c. 20, n. 3
32, 1. 2. parte 1, l. 2, c. 7, n 2, 4; & c. 16 n. 10; & p. 2, l. 2, c. 21, n. 8; & c. 32, n. 7, 9, 10, 29.
36, 7. 11. parte 2, l. 1, c. 20, n, 3
40. 5. parte 2, l. 2, c. 28, n. 4
51, 1. parte 2, l. 1, c. 3, n. 5; & p. 2, l. 2, c. 32, n. 11, 28; & v. 4. p: 2, l. 2, c. 29, n. 4; v. 5. p. 2, l. 2, c. 28, n. 4; & v. 11. p. 2, l. 2, c. 25, n. 8
64, 3. parte 2, l 2, c. 32, n. 30
65, 4, parte 2, l. 2, c. 32, n. 8.
78, 21. parte 1, l. 2, c. 12, n. 2; & c. 14, n. 2.
v. 38. parte 2, l. 2, c. 32, n. 8
42. ibidem.
79, 8. parte 2, l. 2, c. 32, n. 15
v. 9. parte 2, l 2, c. 32, n. 8.

Pſ. 82,4. parte 2, l. 2, c. 2, num. 7.
85, 2. parte 2, l. 2, c. 31, num. 29.
103,3,4. part. 2, l. 2. c. 32, num. 4.
119, 1. parte 2, lib. 2, c. 23, n 3.
125, 1. parte 1, lib. 2, c. 14, n. 2.
132,9. parte 2, l. 1, c. 21, n. 18.
139,15. parte 2, l. 2, c. 29, n. 6.

PROVERB.

Cap. 16,15. parte 2, l. 2, c. 32, n. 8.

ECCLES.

Cap. 11,2,9. parte 2, l. 2, c. 28, n. 3.

ESAIÆ.

Cap. 6,2,7 parte 2, l. 2, c. 32, n. 13, 26.
13,18 parte 2, l. 2, c. 32, n. 6.
21, 4. parte 2, l. 2, c. 32, n. 8.
27, 9. parte 2, l 2, c. 23, n. 8, 24.
44, 12 parte 2, l. 2, c. 32, n. 11.
53, 4. parte 2, l. 2. c. 32, n. 10. *
v. 5,6. parte 1, l. 1, c. 4, n. 8; & c. 17, n. 1, & c. 29, n. 2; part. 2, l. 1, c. 11. n. 6, & c. 18, n. 3, & l. 2, c. 32, n. 23.
v. 10, parte 1, l. 2, c. 17, n. 5.
11, p. 1, l. 2, c 10, n. 1; & c. 17, n. 4.
12, parte 2, l. 1, c. 18, n. 12.
51, 6. parte 2, l. 1, c. 21, n. 9. *
55, 7. parte 2, l. 2, c. 32, n. 4.
59, 2. parte 2, l. 2, c. 22, n. 11.

JEREM.

Cap. 16,17. parte 2, l. 2, c. 32, n 9.
17, 1. parte 2, l. 2, c. 29, n. 4.
18. 23. parte 2, l. 2, c. 32, n. 28.
20,17. ibidem.
31,34 parte 2, l. 2, c. 32, n 15.
33, 8. parte 2, l. 2, c. 32, n. 4, 30.

EZECH.

Cap. 5,11. parte 2, l. 2. c. 32, n. 5.
16,16. parte 2, lib. 2, c. 32, n. 8.
v. 63. ibidem.
18,22. parte 2, l. 2, c. 2, n. 32, 15.
v. 24. parte 2, l. 1, c. 3, n. 7.

DANIEL.

Cap. 9,24. parte 2, l. 2, c. 32, n. 8, 30.

HOSEA.

Cap. 7, 2. parte 2, l. 2, c. 29, n. 4.
8, 13. ibidem.

JOEL.

Cap. 2,14. parte 2, l. 2, c. 32, n. 30.
v. 14. parte 2, l. 2, c 32, n. 6.
v. 17,18. parte 2, l. 2, c. 32, n. 30.

JONÆ.

Cap. 3, 9. parte 2, l. 2, c. 32. n. 30.

ZACHAR.

Cap. 3, 4 parte 2, l. 2, c. 32, n. 12.

MATTH.

Cap. 3, 7. parte 2, l. 2, c. 32, n. 2.
5, 8 parte 2, l. 1, c. 7, n. 3.
v. 23,24. part. 1, l. 1, 2, n. 6; & c. 9, n. 4.
48. parte 2, l. 1, c. 3, n. 5.
6,12. parte 2, l. 2, c. 32, n 33.
15. parte 2, l. 2, c. 32, n. 29.
33 parte 2, l. 1, c. 20, n 3.
7, 2. parte 1, l. 2, c 14, n. 5.
9, 2 parte 2. l. 2, c. 32, n. 22.
5.6. ibidem.
21.22. parte 2, l. 2, c. 35, 19.
11,22. parte 2, l. 2, c. 32, n. 33.
12,31. parte 2, l. 2, c. 32, n. 22.
13,17. parte 2, l. 1, c 8, n. 3.
14,26 parte 2, l. 2. c. 35. n 19.
17,20. ibidem.
18,21. parte 2, l. 2, c. 32, n. 22, 33.
25. ibidem.
27. parte 2, l. 2, c 32, 33.
19,17. p. 2, l. 1, c. 4, n. 1; & c. 8, n. 1; & c. 13, n. 2.
cap. 20,15. part. 2, l. 2, c. 18, n. 3.
28. parte 1, l 2, c 10, n. 5, 1.
21,38. parte 2, l. 2, c. 16, n. 3.
40. ibidem.
25,34. parte 1, l. 1, c. 9, n. 7; & l. 2,

c. 19, n. 4; & p. 2, l. 1, c. 7, n. 3.
v. 41. parte 2. l. 28, c. 28, n. 3.
cap. 26, 28. parte 1, l. 2, c. 10, n. 7.

MARC.

Cap. 2, 5. parte 2, l. 2, c. 32, n. 22
v, 9. parte 2, l. 2, c. 32, n. 33.
9, 10. ibidem.
23. parte 1, l. 2, c. 12, n. 2.
10, 45. parte 2, l. 1, c. 18, n. 14.
11, 25. parte 2, l. 2, c. 32, n. 22
12, 30. parte 2, l. 2, c. 16, n. 3
15, 26.27. parte 2, l. 1, c. 18, n. 12
16, 16. parte 1, l. 2, l. 15. n. 4; & c. 18, n. 1; & parte 2, l. 1, c. 15, n. 6.

LUC.

Cap. 1, 45. parte 1, l. 2, c. 12, n. 2
8, 3. parte 1, l. 1, c. 2, n. 5
v. 12. ibidem.
5, 20.21. parte 2, l. 2, c. 32, n. 33
6, 37. parte 2. l. 2, c. 32, n. 33
7, 22. parte 2, l. 2, c. 32, n. 16
47. parte 2, l. 2, c. 26, n. 6
10, 12. parte 2, l. 2, c. 32, n. 33
11, 4. parte 2, l. 2, c. 32, n. 22
18, 13. parte 2, l. 2, c. 32, n. 17
21, 23. parte 2, l. 2, c. 32, n. 33
23, 7. parte 2, l. 2, c. 32, n. 31
12. ibidem
34. parte 2, l. 2, c. 32, n. 20
24, 25.26.27. parte 1, l. 1, c. 4, n. 8.

JOAN.

Cap. 1, 29. parte 2, l. 2, c. 32, n. 23
v. 17. parte 2, l. 1, c. 5, n. 5; & c. 12, n. 15 & c. 19, n. 18; & l. 2, c. 21, n. 12, 14
12. parte 1. l. 1, c. 6, n. 2; & c. 9, n. 5; & l. 2, c. 12, n. 2; & p. 2, l. 2, c. 22, n. 11.
3, 11. parte 2, l. 1, c. 7, n. 3.
36. parte 1, l. 2, c. 15, n. 4; & c. 6, n. 2
4, 34. parte 1, l. 2, n. 19, n. 5
6, 27. parte 1, l. 1, c. 4. n. 8
cap. 13, 10. parte 1, l. 2, c. 15
14, 1. p. 1, l. 2, c. 12, n. 2; & c. 14, n. 1
20, 28. parte 1, l. 2, c. 15, n. 8.

ACT.

Cap. 3, 19. parte 2, l. 2, c. 32, n. 28
4, 12. parte 1, l. 1. c. 4, n. 8
7, 60. parte 2, l. 2, c. 32, n. 20
8, 37. parte 1, l. 2, c. 12, n. 2
10, 43. p. 2, l. 2, c. 10, n. 1; & c. 18, n. 10
13, 38.39. parte 1, l. 2, c. 4, n. 1; & c. 7 n. 8; & c. 18, n. 10; p. 2, l. 1, c. 11, n. 8; & l. 2, c. 4, n. 3
14, 9. parte 2, l. 2, c. 35, n. 19
16, 30.31, 32. parte 1, l. 2, c. 14, n. 1; & c. 15, n. 2, 4; & c. 18, n. 1; & p. 2, l. 1, c. 5, n. 2; & c. 15, n. 6.

ROM.

Cap. 1, 5. parte 1, l. 2, c. 12, n. 6; & p. 2, l. 1, c. 15, n. 7
v. 8. parte 1, l. 2, c. 12, n. 6; & p. 2, l. 1, c. 11, n. 7.
16. parte 1, l. 2, c. 12, n. 2; & c. 15 n. 4; & c. 18, n. 1
17. parte 2, l. 1, c. 20, n. 7
2, [illegible]. parte 2, l. 1, c. 5, n. 11
17. parte 2, l. 1, c. 3, n. 3
26. parte 2, l. 1, c. 9, n. 4
3, 19. parte 2, l. 1, c. 4, n. 2.
20. parte 2, l. 2, c. 7, n. 5; p. 2, l. 1, c. 5, n. 5
21. par. 2, l. 1, c. 5, n. 12, 14; & c. 10 n. 1; & c. 20, n. 7; & c. 21, n. 16
24. parte 1, l. 2, c. 10, n. 3; & c. 19, n. 1; & p. 2, l. 1, c. 5, n. 2; & c. 19, n. 18; & p. 1. 2, c. 18, n. 10; & p. 2, l. 2, c. 5, n. 2; & c. 22, n. 12
25. parte 1, l. 2, c. 17, n. 1, 5; & c. 18, n. 10; & c. 19, n. 2; & p. 2, l. 1, c. 2, n. 2 & c. 3, n. 2, 3; & c. 15, n. 6; & c. 22, n. 12
26. parte 1, l. 2. c. 19, n. 2

v. 28. parte 1, l. 2, c. 18, n. 1; & c. 19, n. 1; & parte 2, l. 1, c. 5, n. 5, 9, 12
30. parte 1, l. 2, c. 15, n. 2; & parte 2, l. 2, c. 34, n. 4
31. parte 2, l. 1, c. 5, n. 7
4, 3. parte 1, l. 2, c. 12, n. 2; & c. 16 n. 10; & c. 18, n. 10; & p. 2, l. 1, c. 9, n. 4; & c. 14, n. 2, 4, 5; & c. 15, n. 6.
4. parte 2, l. 1, c. 5, n. 18; & c. 16, n. 1; & l. 2, c. 14, n. 2.
5. parte 1, l. 2, c. 19, n. 1; & p. 2, l. 2, c. 5, n. 2, 15, 18; & c. 6, n. 2; & c. 16 n. 1; & l. 2, c. 14, n. 2
6, 7, 8. parte 1, l. 1, c. 3, n. 5; & l. 2, c. 7, n. 1, 2, 3, 4; & c. 16, n. 10; & parte 2, l. 1, c, 2, n. 4; & c. 11, n. 8; & c. 16, n. 3; & l. 2, c. 21, n. 8; & c. 32, n. 19.
13. parte 2, l. 1, c. 4, n. 12; & l. 2, c. 14, n. 3
21. parte 2, l. 2, c. 35, n. 8
24. parte 2, l. 2, c. 12, n. 1
25. parte 2, l. 2, c. 30, n. 8
5, 1. parte 1, l. 1, c. 6, n. 1; & c. 7, n. 4; & c. 18, n. 10; & cap. 19, n. 4; & parte 2, l. 2, c. 35, n. 12
8. parte 1, l. 2, c. 19, n. 2, 4
9. parte 1, l. 2, c. 10, n. 7
10. parte 1, l. 1, c. 2, n 8; & c. 3, n. 3, 4, 14; & c. 4, n. 3; & c. 7, n. 1, 5; & c. 8, n. 2; & p. 2, l 1, c. 5, n 2; & l. 2, c. 21, n. 17
11. parte 1, l. 1, c. 3, n. 3, 14.
12. parte 2, l. 1, c. 6, n. 1; & c. 17, n. 5; & l. 2, c. 21, n. 12
19. parte 1, l. 2, c. 17, n. 4; & c. 9, n. 2; & parte 2, l. 1, c. 21, n. 6
20. parte 2, l. 2, c. 30, n. 8
21. parte 2, l. 1, c. 2, n. 7; & c. 9, n. 6
6, 3. parte 2, l. 2, c. 30, n. 8
4. parte 2, l. 2, c. 12, n. 2
v. 23. parte 2, l. 1, c. 6. n. 1
7, 23. parte 1, l. 2, c. 19, n. 8
8, 4. parte 2, l. 1, c. 19, n. 1, 8
9. parte 2, l. 2, c. 23, n. 8
10. p: 2, l. 2, c. 21, n. 17; & c. 23, n. 10
17. parte 1, l. 1, c. 7, n. 4; & c. 9, n. 7; & parte 2, l. 2, c. 4, n. 3.
15. parte 2, l. 2, c. 23, n. 10
23. ibid.
24. parte 1, l. 2, c. 19, n. 4
25. parte 2, l. 2, c. 32, n. 10
29. parte 2, l. 1, c. 12, n. 5
32. parte 1, l. 2, c. 19, n. 2
33. parte 1, l. 2, c. 2, n. 7; & p. 2, l. 1, c. 19, n. 7; & c. 35, n. 12; & c. 20, n. 5; & c. 23, n. 4; & c. 34, n. 4.
9, 8. parte 1, l. 2, c. 9, n. 4
30. parte 1, l. 2, c. 18, n. 10; & p. 2, l. 1, c. 2, n. 8; & c. 20, n. 1
33. parte 1, l. 2, c. 12, n. 2; & c. 14, n. 5
10, 2. 3. parte 2, l. 1, c. 20, n. 1, 7
4. parte 1, l. 2, c. 18, n. 1; & p. 2, l. 1, c. 2, n. 9; & c. 19, n. 9
v. 5. parte 2, l. 1, c. 5, n. 11; & c. 6. n. 2; & c. 11, n. 5; & l. 2, c. 14, n. 2, 4
6. 7. p: 1, l. 2, c. 18, n. 3; & p: 2, l. 1, c. 2, n. 9; & c. 16, n. 2; & l. 2, c. 20, n. 3
9. parte 1, l. 2, c. 18, n. 2
10, 11. par: 1, l. 2, c. 10, n. 10; & parte 2, l. 1, c. 2, n. 9; & c. 6, n. 2
11, 27. parte 2, l. 2, c. 32, n. 24
12, 1. parte 1, l. 2, c. 19, n. 2; & p. 2, l. 1, c. 12, n. 9
16, 19. parte 1, l. 2, c. 12, n. 6.

I. CORINTH:

Cap. 1, 22 23. parte 1, l. 2, c. 19, n. 2
30. parte 2, l. 1, c. 19, n. 15; & l. 1, c. 7, n. 8; & c. 21, n. 17; & c. 22, n. 11
6, 2. parte 2, l. 1, c. 19, n. 18
11. par: 2, l. 2, c. 7, n. 9; & c. 21, n. 17

cap. 7, 11. parte 1, l. 1, c. 2, n. 6; & c. 9, n. 4
5, 7. parte 2, l. 1, c. 19, n. 18
12, 17. parte 2, l. 1, c. 19, n. 14
13, 13. parte 2, l. 2, c. 35, n. 9
15, 49. parte 2. l. 2, c. 23, n. 4, 8.

II. CORINTH:

Cap. 1, 14, 15. parte 2, l. 2, c. 35, n. 14.
2, 10. p: 2, l. 2, c. 32, n. 16; & c. 35, n. 17
3, 4. parte 2, l. 2, c. 35, n. 15
6. parte 2, l. 1, c. 21, n. 15
5, 10. parte 2, l. 2, c. 28, n. 3
17. parte 2, l. 2, c. 21, n. 15
18. parte 1, l. 1, c. 3, n. 4, 5
19, 20. parte 1, l. 1, c. 2, n. 2; & c. 3, n. 14; & c. 7. n. 1, 2; & l. 2, c. 4; n. 3
21. parte 1, l. 2, c, 17, n. 5; & p. 2, l. 1, c. 11, n. 7; & c. 18, n. 36; & c. 20, n. 1, 7
6, 14. p: 2, l. 2, c, 21, n. 15; & 30, n. 5
8, 13. parte 2, l. 2, c. 32, n. 33
22. parte 2, l. c. 35, n. 16
10. parte 2, l. 2, c. 35, n. 8

GALAT:

Cap. 1, 15. parte 2, l. 2, c. 21, n. 10
2, 16. parte 1, l. 2, c. 15, n. 2; & c. 18 n. 2; & p: 2, l. 1, c. 5, n. 5, 6
17. parte 1, l. 2, c, 10, n. 1
20. p: 1, l. 2, c. 15, n. 7; & c. 19, n. 3
3, 6. parte 1, l. 2, c. 18, n. 10; & p. 2, l. 1, c. 9, n. 4; & c. 14, n. 2; & c. 15, n. 4
8. parte 2, l. 1, c. 5, n. 5
10. parte 2, l. 1, c. 5, n. 16; & c. 8, n. 1; & c. 11, n. 5.
11. parte 2, l. 1, c. 3, n. 3.
12. parte 2, l. 1, c. 6, n. 2.
21. parte 2, l. 2, c. 14, n. 1, 2, 4, 5.
22. parte 1, l. 2, c. 18, n. 9
23. parte 2, l. 2, c. 14, n. 3
24. parte 2, l. 1, c. 19, n. 13.
26. parte 1; l. 1, c. 7, n. 4; & c. 9, n. 5.
4, 3. parte 1, l. 2, c. 19, n. 2.
cap. 5, 4. parte 2, l. 1, c. 6, n. 2.

EPHES:

Cap. 1, 3. parte 1. l. 1, c. 2, n. 10; & c. 3, n. 2; & parte 2, l. 2, c. 14, n, 3.
4. parte 1, l. 1, c. 1, n. 11.
5. ibidem; & c. 8, n. 2; & parte 2, l. 1, c. 21, n. 9.
6. parte 1, l. 1, c. 8, n. 2; & parte 2, l. 1, c. 21, n. 9; & l. 2, c. 23, n. 2.
11. 12. parte 1, l. 1, c. 8, n. 2; & parte 2, l. 1, c. 21, n. 9.
14. ibidem.
18. ibidem.
22. parte 2, l. 1, c. 1, n. 12.
2, 1. 3 parte 1. l. 1, c. 2, n. 10; & c. 7, n. 4.
10. parte 2, l. 2, c. 21, n. 15.
12, 13. parte 1, l. 1, c. 7, n. 4.
3, 12. parte 2, l. 2, c. 35, n. 12.
4, 7. parte 2, l. 2, c. 21, n. 12, 13, 14.
8. parte 2, l. 2, c. 21, n. 13.
11. ibidem.
32. parte 1, l. 1, c. 9, n. 4; & p. 2, l. 2, c. 22, n. 11; & c. 32, n. 16, 23.
5, 2. parte 1, l. 2, c. 19, n. 3; & p: 2, l. 1, c. 11, n. 5, 6; & c. 18, n. 6.
8. parte 2, l. 2, c. 21, n. 15; & c. 30, n. 5.
23. parte 2, l. 1, c. 12, n. 2.
25. parte 1, l. 2, c. 19, n. 3; & p. 2, l. 1, c. 11, n. 5. 6, & c. 18, n 6.
26. p: 2, l. 1, c. 19, n. 18; & p. 2, l. 2, c. 27 (n. 21.
27. p: 2, l. 1, c. 19, n. 18.
30. parte 2, l. 1, c. 12, n. 2.

PHILIPP:

Cap, 1, 6. parte 1, l. 2, c. 10, n. 6.
7. parte 1, l. 2, c. 17, n. 4.
9. parte 1, l. 2, c. 19, n. 3.
3, 21. parte 2, l. 2, c. 23, n. 10.

COLOSS.

Cap. 1, 13. parte 2, l. 2, c. 1, n. 3.
19. 20. p: 1, l. 1. c. 3 n. 14; & c. 4, n 3.

v. 21. parte 1, l. 1, c. 7, n. 5
cap. 2, 3. parte 2, l. 2, c. 32, n. 33
4. parte 2, l. 2, c. 32, n. 28
13. parte 2, l. 2, c. 32, n. 16
14. parte 2, l. 2, c. 32, n. 11
3, 13. parte 2, l. 2, c. 32, n. 16.

I. TIMOTH:

Cap. 1, 4. parte 2, l. 2, c. 35, n. 20
15. parte 2, l. 1, c. 11, n. 7
2, 5. parte 1, l. 2, c. 10, n. 4
6. parte 1, l. 2, c. 10, n. 5; & c. 11, n. 6
3, 13. parte 2, l. 2, c. 35, n. 20
5, 6. ibid:
v. 12. ibid:
6, 21. ibid:

TIT.

Cap. 2, 14. parte 1, l. 2, c. 10, n. 4
3, 5. parte 2, l. 1, c. 5, n. 18
v. 7. parte 1, l. 2, c. 19, n. 4; & p. 2, l. 2 c. 21, n. 10; & c. 22, n. 11

HEBR.

Cap. 1, 3. parte 1, l. 2, c. 9, n. 13; & p. 2, l. 2 c. 32, n. 27
2, 10 parte 2, l. 1, c. 7, n. 3
17. parte 2, l. 2, c. 32, n. 17
7, 9. parte 2, l. 2, c. 32, n. 18
8, 12. parte 2, l. 2, c. 32, n. 21, 30
9, 12. parte 1, l. 1, c. 4, n. 8; & l. 2, c. 10, n. 7
v. 14 parte 2, l. 1, c. 11, n. 6
22. parte 1, l. 2, c. 17, n. 5; & parte 2, l. 2, c. 32, n. 27
26. parte 2, l. 2, c. 32, n. 18
10, 2. parte 1, l. 2, c. 7, n. 8
4. parte 2, l. 2, c. 12, n. 24
v. 7. parte 1, l. 2, c. 9, n. 3
v. 9. 10. p: 1, l. 2, c. 4, n. 4; & c. 10, n. 13
11. parte 2, l. 2, c. 32, n. 27
14. parte 1, l. 2, c. 17, n. 1
17. parte 2, l. 2, c. 32, n. 21
11, 3. parte 1, l. 2, c. 12, n. 6
5. parte 2, l. 1, c. 5, n. 5
6. parte 2, l. 2, c. 35, n. 8
12, 14. parte 2, l. 1, c. 7, n. 3
13, 5. parte 1, l. 2, c. 12, n. 11

JACOB:

Cap. 1, 17. parte 1. l. 1, c. 7, n. 4
v. 20. parte 2, l. 1, c. 20, n. 3
2, 10. parte 2, l. 1, c. 5, n. 16
23. p: 2, l. 1. c. 14, n. 2; & c. 15, n. 4

I. PET:

Cap. 1, 15. parte 2, l. 1, c. 18, n. 13
v. 18. parte 1, l. 2, c. 10, n: 8
19. parte 2, l. 1, c 19, n. 18
2, 6. parte 1, l. 2, c. 14, n. 5
24. parte 2, l. 1, c. 18, n. 13

II. PET.

Cap. 1, 1. parte 2, l. 1, c. 20, n. 3

I. JOAN.

Cap: 2, 9. parte 2, l. 2, c: 21, n: 15
3, 4. parte 2, l. 1, c. 5, n. 16
5. parte 2, l. 2, c. 32. n: 23
23. parte 2. l: 1. c: 6. n: 2
5. 10. parte 1. l: 2. c: 15. n. 4

APOC:

Cap: 3. 5. parte 2. l: 2. c: 32. n: 28
18, 5. parte 2. l. 2, c. 29, n. 4
20, 12 parte 2, l. 2, c. 29, n. 6
21, 27. parte 2, l. 2, c. 22, n. 11.

FINIS.

ERRATA

Quorum prior numerus paginam, alter lineam notat.

Pag. 2, 14. significatur; pag. 4, 21, ut ille de; pag. 8, 6. definitione, pag. 10. 21. Ista, pag. 11, 5. unam; pag. 15, 2. pater. pag. 24, 21. proponit; pag. 25, 6. Reconciliatum; pag. 32, 6. celebres; pag 45, 7. post remissionem; pag. 63, 18. est ita; pag. 65, 12. omnes; pagin. 67, 16. personam; pag. 71, 25. fides; pag. 76, 26. quia; pag. 78. 2. præstare, & l. 28. nobis; pag. 80. ult. Idem; pag. 87, 20. Minor; pag. 93, 24. ad obedientiam; pag. 100. ult. ad Rom. pag. 107, 3. iidem; p. 111. 24. justitiam; pag. 117, 14. quæ; pag. 120, 3. Deo; pag. 132, 2. ex lege; pag. 143, 4. quâ; pag. 146, 10. legem; pag. 141, 21. unius in multorum; pag. 150, 20. illum: pag. 151, ult. vitam habere; pag. 156, 3. quod nos; pag. 163, 14. Horum; pag. 164, 4. uti; pag. 169. ult. Hunc; pag. 173. ult. cujus involucris; pag. 174, 4. mihi animadvertisse; pag. 175, 20. à Deo ad; pag. 182, 30. &; pag. 185, 15. non; & l. 30. ita vel; pag. 191, 17. nostra; pag. 195, 20. qnum; pag. 201, 3. hominem; p. 204, 15. Dei non; pag. 228, 14. quum; pag. 237, 21. quod dicunt; pag. 240, 2. ait: pag. 246, 31. ita in; pag. 247. commistio; pag. 254, 8. posita interna; & l. 25. Christi; p. 255, 1. accipimus ut; pag. 258. Apostolo; pag. 261, 23. habere; pag. 260, 28. esset Lex; pag. 264, 21. integrum Syllogismum; & l. 25. Verùm; pag. 265, 4. absolutus; & l. 22. Id sumitur; pag. 267, 28. concedo conclusionem; pag. 269, 2. est ut; pag. 270, 4. & inchoata; p. 276, 5. illius Syllog. pag. 281, 16. Reliqua; pag. 285, 2. in illa; pag. 288, 4 quicquam; pag. 297, 5. esse; pag. 248, 10. illum; pag. 303, 4. verba vel; p. 305, 16. expungendum, tum etiam ex Dei constitutione necesse est: pag 307, 22. illo respectu; pag. 322, 30. Psal. pag. 324, 31. expungendum ab illó finis; pag. 328, 18. peccati significationes; pag 330. negari; pag. 334, 11. emundamur; pag. 335, 29. est debitum; pag. 338, 10. adultum; pag. 339, 1. multas; & l. 20. potiatur; & l. 25. voluntati; pag. 341, 15. ille non consequatur, fit; pag. 343, 9. quia est; & l. 21. esse aliquid; & l. 27. induere: pag. 346, 15. manente; pag. 350. 16. expungendum Si; pag. 351, 29. eadem; pag. 353, 23. in animâ; pag. 356, 16. hominis; pag 357, 13. fine; & l. 15. ex; & l. 26. eum; pag. 359, 5. per actus; pag. 364, 21. recedat; pag. 370, 2. plerasque; pag. 476, 8. aliæ; & l. 19. sed; pag. 377, 3. nisi; pag. 378, 1. hæc; & lin. 16. justificantem sine; pag 364, 6. fiducia; pag. 389, 25. qui; pag. 395, 1. declarat; pag. 398. 17. eandem; pag. 400, 24. è nostris; pag. 402, 23. alterum.

Cleaned & Oiled
July 1990